ANALYSIS
CONCILIORUM
GENERALIUM ET PARTICULARIUM,

CONTINENS EORUM CANONES SUPER DOGMATE,

MORALI DOCTRINA AC DISCIPLINA
tam veteri quam recentiore,

ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATOS,

ET CUM NOVO, NOMINATIM VERO CUM PECULIARI
Galliarum Jure collatos; quos antevertit, introductionis loco de Conciliis in universum Tractatus; Opus Clero sæculari & regulari, itemque Jurisconsultis utile;

A REV. PATRE

CAROLO-LUDOVICO RICHARD

THEOLOGIÆ PROFESSORE

EX ORDINE ET NOVITIATU GENERALI FRATRUM PRÆDICATORUM
Dictionarii universalis Scientiarum Ecclesiasticarum
Auctore Gallice editum;

ET A REVER. ET EXCELL.

JOANNE ANTONIO DALMASO

VICETINO,

Sacra Theologia Doctore Collegiato Latine redditum.

TOMUS SECUNDUS.

NAPOLI

VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
MDCCLXXVI.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

MONITUM

TYPOGRAPHI GALLI.

CONGRUÆ Conciliorum Analyſis gravitas & utilitas me impulerunt, ut meis eam typis edendam ſuſciperem; ac factum equidem vere dixerim, ut nec mea me ſpes, nec favens quam de ea primum animo imbiberam, opinio falleret. Quoad Operis ipſam vim ac dignitatem judicari poterit ex rationibus quas de eo reddiderunt e noſtrarum Ephemeridum Auctoribus plures quorum Excerpta ſubdimus, dum cætera advenerint.

Poſita eſt ad hujus Voluminis calcem alphabetica ſimul & chronologica Conciliorum Tabula, quæ prioribus duobus Voluminibus continentur. Ita quidem Tabulis duabus in unam coactis congeſtiſque, Concilia quibus opus fuerit, commodius quam ſi eædem ſejunctim præſto fuiſſent, comperientur. Adjumento etiam erit hæc Tabula, ut facile inveniantur Concilia quorum Textus afferuntur in altera Operis Parte: quæ eo ſane majoris momenti eſt, quod in eadem argumenta omnia in Conciliis diſperſa, ſuper Dogmate, Morali doctrina ac Diſciplina, tam fuſe cumulateque diſcutiuntur, ut articuli bene multi de argumentis ad quæ ſinguli referuntur, abſoluti Tractatus loco eſſe poſſint.

EXCERPTUM EPHEMERIDIS ECCLESIASTICÆ,

Mensis Martii, an. 1772.

ANALYSIS CONCILIORUM Generalium & Particularium, continens eorum Canones super Dogmate, Morali doctrina & Disciplina tam veteri quam recentiore, qui Adnotationibus explicantur, & cum novo, nominatim vero cum peculiari Galliarum Jure conferuntur, quosque antevertit de Conciliis universim Tractatus, ut procemii loco sit; Opus sæculari & regulari Clero, perinde ac Jurisconsultis utile; per R. P. *Carolum Ludovicum Richard*, Theologiæ Professorem, ex Ordine & Novitiatu generali Fratrum Prædicatorum, Dictionarii universalis Scientiarum ecclesiasticarum Auctorem, Tomus Primus, Parisiis apud *Vincent*, in via Mathurinorum, in Ædibus Cluniacensibus; in 4. *pag.* 908.

IN Januarii mensis Ephemeride Prospectum probati hujus Operis annuntiavimus; conjectis in eum oculis, lectores nostri magnam de eo existimationem percipere debuerunt; iisdem, re jam ipsa, de Operis sedulitate ac soliditate ex primo Volumine quod Bibliopola Venale profert, judicare licet; ut dici possit in eo *P. Richard* nominis claritatem quam sibi comparavit, sustentare. Gravissimum hoc Opus est, eorumque unum quæ apprime Ecclesiasticis utilia sunt. Conciliorum studium iis prorsus necessarium esse quis dubitet? An vero alia de causa, quam quod hæc ignorantur, inimicus homo tantopere Morum doctrinam ecclesiasticamque Disciplinam devastat? Quæ non adjumenta hinc hauriant Ministri vigiles accuratique, ut ipsi sibi facem ad agendum præferant, Ecclesiæ Legibus observantiam concilient, ad utilem in Collationibus quæ per statas Diœceses usui sunt, operam ponendam se comparent, denique perficiant, ut prima nascentis Ecclesiæ ratio quasique mens quæ adeo his temporibus in oblivionem abiit, reviviscat? Conciliorum studium hoc semper hactenus Episcopi commendarunt. Ecclesiasticorum plerique non ita comparati erant, ut solidum in modum ad illud incumberent. Quid enim reapse est, quod ab iis requiratur, ut seu Luparensem quæ 37. in folio, quod ajunt, seu PP. Labbæi & Cossartii, quæ 17. seu P. Harduini quæ 12. Volumina complectuntur, Conciliorum Collectiones, mediocris proventus adminiculo, sibi conquirant? Addamus his Collectionem Conciliorum Galliæ, quam P. Sirmundus elaboravit, eas quoque quas aliarum nationum Ecclesiæ sibi vindicant. Necesse ergo erat Ministros aliquibus imperfectis, haud satis accuratis, ac minime idoneis compendiis, ut se super hoc argumento erudirent, contentos esse; ejusmodi sunt, œcumenicorum & particularium Conciliorum Analysis, in 2. Voluminibus in 8. Conciliorum Historia, auctore D. Hermantio, in 4. Volum. in 12. Conciliorum manuale Dictionarium, in 1. Volum. in 8. At P. Richardi Opus erit probe medium inter eas magnas collectiones & hæc Com-

pendia quæ nihil dicunt; & pretium quo idem venit, utpote plerisque omnibus accommodatum in causa est, ut iidem excusatione careant, reique sint, siquidem renuerint hoc tempore illud acquirere, suumque peculiare studium in eo collocare. Eos, quod in nobis est, cohortamur, ut ne Subscriptionem claudi sinant, & beneficio quod hæc iis affert, utantur. Argumenta singillatim persequi non aggredimur, quæ in hoc primo Volumine continentur; eorum quæ præstitit Auctor, imaginem Prospectus exhibuit; id unum monebimus a Tractatu de Conciliis eum exordiri; & ita quidem, ut nemo unus, ad hoc usque tempus, tam bene, super hac parte, quam P. Richardus scripserit. Huic primo Volumini Triburtinum Concilium, an. 895. finem imponit.

E X C E R P T U M

Anni Litterarii 1772. Epist. IV. Num. 8. pag. 190. & seq.

Tibi sane, Domine, notæ sunt Conciliorum magnæ Collectiones tres; Luparensis e triginta septem Voluminibus itidem in folio, Patrum Labbæi & Cossartii, Jesuitarum, e septendecim Voluminibus itidem in folio, Venetiis, opera Nicolai Coleti, presbyteri, non sine incremento, iterum editis; quibus addenda Volumina quinque pariter in folio, Supplementi loco, a P. Joanne Dominico Mansi, e Congregatione Matris Dei, deinde Archiepiscopo publici juris facta; denique P. Harduini Collectio e duodecim Voluminibus, & his ipsis in folio. Harum, prope dixerim, immensarum Collectionum acquisitio & lectio difficultatis plurimum offerunt; jam vero P. Richardus Religionis Ministris, Jurisconsultis iisque omnibus qui solidam eruditionem adipisci student, gravissimum servitium præstat, per hanc excellentem Analysin quæ redacta ad Volumina quatuor in quarto, universos & singulos super Dogmate, super Moribus superque Disciplina Canones exhibet. Ejus curæ laborisque argumentum & emolumenta tibi equidem ob oculos posui; Volumen primum quod prodiit, cujusque rationem tibi reddere aggredior, multo melius efficiet, ut hujus redactionis vim utilitatemque assequaris.

In primi hujus Tomi fronte, P. Richardus dogmaticum Compendium posuit in quo traditur Ecclesiæ Doctrina super Conciliorum auctoritate, super eorumdem convocationis ratione, super eorum qualitate qui in iis judicandi jus obtinent, uno verbo, super argumentis omnibus quæ eodem referri, satisque Lectoris animum, ad hæc rerum genera quod spectat, imbuere possunt. Ad rem deinde ipsam accedit, suamque, in hoc primo Volumine, Analysin ab Jerosolymitano Concilio quod ab Apostolis super ipso divini eorum Magistri sepulcro in urbe Jerusalem habitum fuit, ad Romanum usque Concilium ducit, quod an. 900. celebratum est, quin ullum prorsus omittat. Primo quidem locum celebrationis cujusque Concilii, tum habiti cœtus occasionem, Præsidum præcipuorumque Episcoporum nomina, denique super Dogmate, Moribus ac Disciplina decisiones annuntiat. Equidem, in hac Canonum Collectione, eos tantum seligam, qui mihi visi sunt continere aliquod Mo-

ralis

ralis doctrinæ specimen, usumque hominis cura dignum qui sæculorum retro actorum peculiarem notam quasique characterem explorat. Hujus veluti philosophici aspectus ope, nemo non persuasum habere potest se partem Historiæ Morum ad varias ætates spectantium in Judiciorum Collectione detecturum, quæ lata sunt; ut eorum seu corruptio cohiberetur, seu qui in eosdem irrepserant, abusus corrigerentur....

P. Richardi Analysis a vitiis immunis est quæ Abbreviatoribus exprobrari possunt qui eum in hoc curriculo antecesserunt. Ei prorsus, quæ necessaria, amplitudo est, omnisque diligentia quæ in eadem expeti potest.

EXCERPTUM PRIMUM

EPHEMERIDIS ENCYCLOPEDICÆ

Diei 1. Junii, an. 1772. Tom. IV. Part. II.

PErgrave sane ac jamdiu ab Ecclesiasticis æque atque a Jurisconsultis expetitum Opus est accurata generalium & particularium Conciliorum Analysis. Quam utile id Operis futurum esset, perspiciebatur; at illud tam late patebat, adeo laboriosum erat, tam multis difficultatibus suberat, tamque absolutam cumulatamque & Conciliorum & novi, potissimum vero peculiaris Galliarum Juris notitiam requirebat, ut qui id oneris sibi sumere vellet, eum singulari quadam eruditione, vi, sollicitudine se instructum sentire oporteret. At quæcunque tandem in hoc conatu salebræ occurrerent, eædem tamen R. P. Richardum minime deterruerunt, qui, nedum ob obstacula, specie tenus, insuperabilia quæ ei nihilominus subeunda & æquanda erant, despondit animos, ostendit, e converso, per successum qui hoc ipsum susceptum Opus consecutus est, scientiæ ac sollicitudini cum assiduo labore conjunctis difficile nihil esse. Una hujus Analysis forma atque adumbratio legentium animo satis exhibet Auctoris singularem ingenii vim, perinde ac dignitatem magnamque utilitatem ejusdem Operis cujus æstimabile argumentum fuit, ut ipse pronuntiat, omnes Conciliorum Canones diligenter expositos enucleatosque, ad facilem captum redactos, cum novo & præcipue Galliarum peculiari Jure, præsenti Jurisprudentia, Legibus, Usibus & Libertatibus collatos, parva impensa, Christifidelibus, in primis vero Ecclesiasticis comparare. Constat ergo a R. P. Richardo officia fuisse præstanda duo, unum autem, supra omnem comparationem, altero difficilius; omnium quippe Canonum accurata interpretatio & perspicua explicatio nihil demum aliud quam horum ipsorum Canonum perfectam notitiam, laborem multumque constantiæ postulabant; ut Dogmatum, Moralis doctrinæ ac Disciplinæ, quæ Conciliorum Canones statuerunt, notitiæ addenda erat, ut hi Canones ipsi ad Galliarum Leges, Usus & Libertates exigerentur, longe maxima Gallicanæ Jurisprudentiæ cognitio; atque hanc quidem scientiam P. Richardus probe, si quis unquam alius e laboriosioribus Jurisconsultis, assecutus est, quemadmodum ex hujus primi Voluminis lectione compertum fit. In hac ipsa Canonum cum Gallicis Legibus conciliatione, penes Auctorem præterea tuta æque ac splendida critice, & ad capita componenda quæ, primo aspectu, hominum plerisque mutuo pugna-

pugnare videntur, rara quædam facilitas exhibetur. Duplex argumentum in hujus Analysis adumbratione enuntiatum eo R. P. Richardum suapte natura ducebat, ut Opus suum bifariam divideret; quod sane præstitit. In prima nimirum Parte, chronologicum secutus ordinem, historicas, breves eas quidem, sed quæ satis tamen sunt, quoniam nihil desiderandum relinquunt, omnium tam generalium quam particularium Conciliorum notitias, cum eorum super Fide, Moribus ac Disciplina Canonibus, tradit; & notitias has comitantur Adnotationes quæ, quicquid in eorumdem Canonum pluribus obscurum est, in optimo lumine ponunt. In altera Parte quæ majoris procul dubio momenti est, quandoquidem operæ multo plus requirebat, ægriusque perfici poterat, omnia in Conciliis agitata rerum capita, præcipuosque Canones qui ad hæc singula referuntur, alphabetico ordine, Auctor disposuit. Ibi Canones hi verbis ipsis quibus editi sunt, afferuntur, eosque sequitur novum & peculiariter Gallicum Jus, secundum Pragmaticas Sanctiones, Concordata, Constitutiones, Edicta & Declarationes Regum Galliæ; neque vero Parlamentorum & Magni Consilii Decreta, generalium Cleri Cœtuum Deliberationes, Leges, Usus & Libertates Ecclesiæ Gallicanæ, itemque præstantiorum Jurisconsultorum Scripta Auctor ibidem negliget. Ordo hic eo se graviorem prodet, quod P. Richardus, ita Conciliorum Canones post novi Juris statuta collocans, quod eos omnino vel abrogat, vel adoptat, quodque eos moderatur recipit ex parte tantum, perficiendum sibi proposuit, ut, haud ægre perque unam hujus dispositionis inspectionem, qui abrogati, ab iis qui omnino recepti aut solum ex parte adoptati sunt, secernerentur; quæ profecto Theologis æque ac Jurisconsultis necessaria & præcipua cognitio est, eosque in theoria ducere & in praxi illustrare una potest atque adeo debet. Inest etiam huic Analysi frustra hactenus exoptatum emolumentum, quod Conciliorum Canones multiplicibus aut barbaris, aut obscuris, aut supervacaneis vocabulis in ea tandem excussi prostant, quibus involuti ac prope immersi in magnis Collectionibus existebant; quas quidem Collectiones qui possident, hujus Analysis ope facilius iis uti, qui vero non possident, dummodo hanc Analysin sibi comparent, ob iisdem percommode abstinere poterunt.

Est hæc, universim, animo cudenda hujus Operis notio; nec magnificentius quam verius de eo nostrum elogium est; quique illud legerint, in eo quæ occurrunt, subsidia, quæque continentur, emolumenta, multo etiam quam annuntiamus, copiosiora esse fatebuntur.

EXCERPTUM ALTERUM

EPHEMERIDIS ENCYCLOPEDICÆ

Diei 13. *Junii, an.* 1772. *pag.* 37. *& seq.*

JUdicium quod de hujus Analysis forma nos quidem edidimus, eximiique qui eam antecedit, Tractatus notio quam legentibus inspirandam censuimus, satis, quæ nostra saltem sententia est, hujus Operis gravitatem, magnamque utilitatem, potissimum vero R. P. Richardi, ejusdem auctoris meritum solidamque eruditionem pro-

probant. Si docti hujus Theologi animadversiones, ejusque historicum Conciliorum Compendium Lectoribus fecere satis; iidem etiam multo majore cum fructu ac voluptate ipsam Conciliorum Analysin legent, super quibus splendidissimas, ad historiam quod attinet, notitias invenient cum Adnotationibus, seu potius Animadversionibus quæ ad Canonum illustrationem, qui sine earum subsidio obscuri videri possent, plurimum conferunt, & admodum præcipuæ sunt. Auctor non edidit in præsentia nisi eam primam partem quæ hoc primum Volumen conficit, in quo omnia Concilia chronologico ordine digesta sunt; quemadmodum in Parte altera id ipse sibi proposuit, ut de omnibus argumentis quæ in iis ipsis Conciliis pertractata sunt, alphabetico ordine loqueretur.

Immoremur aliquo momento temporis in his historicis chronologicisque notitiis, dum nobis P. Richardus judicii de gravibus Tractatibus ferendi, quos in sequentibus Voluminibus editurus est, occasionem præbeat.... Hujus Voluminis eo jucundior lectio est, quod in eo declarationes occurrunt quæ faciunt apprime satis, super priorum Ecclesiæ sæculorum Disciplina, superque variis nationum usibus, penes quas Concilia singula coacta fuere; alia quoque ex parte historicæ eædem notitiæ brevissimæ sunt, nec testimoniorum congerie ac prope ostentatione quadam, aut fusioribus narrationibus defatigant. Nobis Auctor, in antecessum, maxime perspicuam enucleatamque Tractatuum notionem tradit, quos in tribus sequentibus Voluminibus pollicetur, quosque Theologi, æque ac Jurisconsulti quo avidius præstolati fuerint, eo libentius recipient ac promptius & alacrius arripient.

ANA-

ANALYSIS CONCILIORUM GENERALIUM ET PARTICULARIUM.

CONCILIA SÆCULI DECIMI.

Concilium Ravennatense, an. 902.

BARONIUS, in Annalibus, Sigebertus in Chronico, & P. Labbæus concilium hoc ad an. 904. referunt; illud alii paulo post Romanum, a Papa Joanne IX. coactum putant. Ei Lambertus imperator adfuit cum septuaginta quatuor Episcopis; lectique, eo præsente, sequeutes articuli decem.

Primus. Si quis sanctorum Patrum regulas, & Imperatorum, Caroli Magni, Ludovici, Lotharii, ejusque filii Ludovici capitularia non servaverit, excommunicationi subdetur.

2. Imperator Lambertus enuntiat licere cuique ad ejus implorandum patrocinium accedere, suamque iis indignationem, qui obluctati fuerint, minitatur.

3. Romanæ Ecclesiæ vetera privilegia se inviolate servaturum promittit.

4. Quod postremum Romanum concilium, quoad Papam Formosum mandaverat, approbatur.

5. Præcipitur, ut puniantur Romanæ Ecclesiæ territorio illatæ violentiæ quæ Papam adegerant, ut ad Imperatorem confugeret.

6. Instauratur inita sanctam Sedem inter & imperatorem Guy, Lamberti patrem, conventio.

7. Mandatur edictorum revocatio, quæ ejus conventionis conditionibus haud consentanea comperta fuerint.

8. Pronuntiatur fore, ut bona per Principis Litteras, in ejusdem conventionis præjudicium, donata reddantur Ecclesiæ.

9. Rogatur Imperator, ut Francorum, Romanorum & Longobardorum illicitos cœtus, in S. Petri territoriis, tamquam sanctæ Sedis & imperialis dignitatis auctoritati contrarios prohibeat.

10. Conquestus est etiam apud eumdem Principem Papa Joannes IX. quosdam male animatos homines impediisse, ne ligna ad divini Servatoris redintegrandam ecclesiam cæderentur, eoque paupertatis Romanam ecclesiam redactam esse, ut non amplius solatio pauperibus offerendo, rebusque quibus ministri & domestici opus habebant, suppeditandis par esset. *Ibid.*

Concilium Troslejanum, an. 909.

Hervæus, Remensis archiepiscopus, indixit concilium hoc, Rege Carolo veniam dante, Trosleji prope Suessionem vici, ad Junii diem 26. an. 909. Guius archiepiscopus Rothomagensis ei cum Episcopis decem adfuit. Concilium ergo ex archiepiscopis duobus & episcopis decem qui sequentes canones quindecim edidere, conflatum fuit.

1. Mandatur, ut Ecclesiæ debita observantia exhibeatur, ecclesiastici, monachi & religiosæ honore afficiantur, iisdemque, prout indiguerint, prospiciatur, quo digne suo quisque ministerio fungi possint.

2. Cohortatio est Regem spectans, & e sanctorum Patrum testimoniis pluribus ducta, ut ei sua ipsius officia in animum revocentur; itemque ad Episcopos & ecclesiasticos documentum, super fidelitate & obedientia quam Regibus debent.

3. Deploratur excidium monasteriorum utriusque sexus, & peculiariter virorum, imprimis ex abbatum vitio derivatum, qui, utpote laici, & maxima ex parte illiterati conjugatique, non ii erant qui perficere possent, ut regula servaretur. Proferuntur Regum capitularia, in quibus laici, licet ad pietatem compositi, de monasteriorum bonis statuere prohibentur, jubenturque abbates regulam probe percipere, eamdemque cum monachis exequi; & his quidem licere pronuntiatur suos sibi abbates eligere; proinde, mandatur, ut deinceps abbates sint religiosi, regularis disciplinæ periti; monachi vero & religiosæ ad pietatem susceptæque professionis simplicitatem, suæ vitæ rationem instituant; atque ut a monasteriis & proprietatis vitium & vestium vanitas ablegetur, quicquid, tam ad victum quam ad vestitum, necessarium fuerit, secundum regulam, comparetur.

4. Quid, & quotuplicis generis sacrilegium sit, explicatur; pronuntianturque in hujus criminis reos anathemata quatuor: fore scilicet, ut iis clausa cæli janua, & inferorum aperta sit; ne qua iidem cum Christianis communione aut societate jungantur; ac ne pauperibus quidem, quod ex eorum mensa est, tribuatur. Eos peculiariter impetunt hæc anathemata qui ecclesias diripiunt, quique earum bona detinent.

5. In eos quoque anathema pronuntiatur, qui erga presbyteros aliosve sacros ministros observantiæ deerant, quique eos aspernabantur, aut contumeliis injuriisque afficiebant.

6. De laicorum avaritie concilium queritur, quæ scilicet eo devenerat, ut iidem a presbyteris census & alia tributa, dona, prandia, equos, horumve pabulum ex bonis Deo consecratis exigerent, tametsi non iis liceret, eorum bonorum causa, nisi spiritale servitium exposcere. Hæ querelæ, ut videtur, patronos spectabant qui ad suæ collationis beneficia nominantes, hæc onera iis imponebant quos nominabant. Concilium decimas, oblationes & primitias ab omnibus fiscalibus & dominicis juribus immunes declarat; mandatque, ut eædem, e veteri consuetudine, a presbyteris, consulto Episcopo, administrentur. Presbyteros tamen hortatur, ut locorum dominis, ubi eorum ecclesiæ sitæ sunt, congruum obsequium exhibeant, suorumque pariter parochianorum animos sibi devinciant, sine sui ministerii præjudicio. Ostendit, sacræ Scripturæ auctoritate, de-

cimam de bonis omnibus, fuerint licet negotiationis aut industriæ fructus, deberi.

7. Damnantur rapinæ, direptiones, raptus & matrimonia clandestina, seu quæ clanculum & absque consuetis formis per leges præscriptis contrahebantur.

8. Antequam matrimonium contrahatur, proprius parochus de re monendus qui in ecclesia, universo præsente populo, contrahentes interrogabit, ut percipiat, an consanguinei sint, aut alicui obligationi subsint, tum vero presbyter nuptialem iis benedictionem impertietur; sua puellæ dos esse debet, & hanc parentes sponso aut paranymphis in manus tradant, necesse est.

9. Damnatur licentior vita, potissimum in ecclesiasticis, quibus, proinde feminarum colloquia interdicuntur.

10. Christifideles hortatur concilium, ut caste vivant.

11. Afferuntur præclara plura Sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum loca ad ostendendam obligationem cui quisque subest, ut fidem jurejurando obstrictam præstet, nunquamque perjurus sit.

12. & 13. Damnantur vehementiores impetus animi, violentiæ, homicidia & mendacia.

14. Ad impediendum, ne quis, ad Episcopi mortem, mobilia aliaque Ecclesiæ bona sibi sumat, prætexens ad defunctum ea pertinuisse, sacrilegii notam huic direptioni concilium inurit, & propiorem Episcopum, ut abusui huic occurratur, funeri adesse vult, eumdemque operam dare, ut rerum omnium in episcopali domo existentium recensio fiat, & hanc recensionem ad metropolitanum mittere; vult etiam duos tresve, quoad fieri poterit, sui confratris exequiis Episcopos interesse, ut eamdem ei charitatem mortuo testentur, quam viventi professi fuerint. Addit concilium se a Sancta Sede certius factum cujusdam Photii errores & blasphemias in Oriente contra Spiritum Sanctum disseminari, eum scilicet a Patre solum, non item a Filio procedere; hortari Episcopos, ut adjumenta quærant in sacris Litteris & Patribus, quorum ope hunc errorem refellant.

15. Longa cohortatio est quæ super necessitate versatur edocendi fideles, ut peccatum evitent, suaque omnia officia fideliter exequantur.

Positum est ad Troslejani concilii calcem, Guillelmi, Arverniæ Comitis & Aquitaniæ Ducis, testamentum; quæ proprie fundationis abbatiæ Cluniacensis vetus charta est; data Septembris die undecima an. 910. qui regni Caroli regis undecimus erat. Declarat ibi Dux se utiliter, ad animæ suæ salutem, bonis uti volentem, quæ Deus eidem largitus fuerat, eo animo esse, ut monachorum communitatem de suo sustentaret; donare proinde Cluniacensem terram cum capella quæ ibidem erat, ea conditione, ut nimirum Cluniaci erigeretur, in honorem SS. Petri & Pauli, monasterium in quo S. Benedicti regula servaretur; iisque esset perfugii loco, qui e sæculo pauperes egredientes, non nisi bonam voluntatem secum afferrent. Mandavit, ut ejus monasterii tum monachi, tum bona ab eodem pendentia sub Bernonis abbatis potestate, quoad viveret, remanerent; eo vero vita functo, iisdem liceret eum sibi abbatem, secundum S. Benedicti regulam, quem mallent, ex eodem ordine, eligere, quin vel ipse Dux, vel quævis alia potestas regularem electionem impedire posset. Altera conditio ejusmodi fuit, ut monachi Cluniacenses, quinto quoque anno, solidos aureos decem S. Petro urbis Romæ, ob luminare, solverent; & misericordiæ erga pauperes, advenas & peregrinos opera singulis diebus ederent. Declaravit Guillelmus hos monachos, ex ea die, nec ei, nec ejus propinquis, nec Regi, nec terrarum ulli prorsus potestati subjectos fore; obtestans, Dei nomine, Principes, Papam, Episcopos, ne ejus monasterii bonis potirentur; ea ne venderent, ne permutarent, ne imminuerent, ne cuipiam in feudum tribuerent; neve ejusdem monachis superiorem, eorum ingratiis, darent. Transacta fuit donatio hæc in urbe Bituricensis, eique subscripsere Guillelmus Dux, Madalbertus, Archiepiscopus Bituricensis, Adalardus, Episcopus Clermontiensis, Episcopus alius, *Atto* nomine, procerum plures, & Oddo, diaconus & vice-Cancellarius. *Ibid.*

Concilium Confluentinum, *an.* 922.

Concilium hoc, Caroli, *Simplicis* dicti, regis Galliæ, & Henrici, Germaniæ regis jussu, coactum fuit. Ei adfuere Episcopi octo, abbates aliquot, & presbyteri numero plures. Herimanus, archiepiscopus Coloniensis, & Herigerus Moguntinus, omnium primi nominantur. In eodem editi canones octo quorum 2. 3. & 4. periere.

Primus. Vetat, ne matrimonium inter consanguineos, ad sextum gradum usque, & hunc ipsum, contrahatur.

5. Contra regulas esse ait, ut laici decimas e capellis percipiant, quæ ad eos pertinent, quarumve patroni sunt, suos ut canes suasque concubinas ex iisdem alant; eas nempe decimas ad presbyteros earumdem ecclesiarum servitio addictos spectare debere, ut nimirum tam in eorum sustentationem, quam in luminaria, reparationes, pauperumque & advenarum solatium conferantur.

6. Statuit, ut monachi nullo non tempore Episcopis pareant, iisque subsint cum ecclesiis quibus deserviunt.

7. Eum declarat homicidii reum qui Christianum seducit, ut eum vendat.

8. Quicumque donationem edit, prohibetur privare decimis veterem ecclesiam quæ ante hanc donationem eas percipiebat. *Reg. Tom. XXV. Lab. Tom. IX. Hard. Tom. VI.* ex Martenne in *Thesauro*, *Tom. IV.*

Concilium Remense, *an.* 923. *seu* 924.

Seulfus, Remensis archiepiscopus, una cum Episcopis sex & Remensis provinciæ deputatis habuit concilium hoc in quo statutus pœnitentiæ modus iis imponendæ qui interfuerant Suessionensi prælio, Carolum regem inter, ejusque competitorem Robertum qui in eodem occisus fuit, cum ne anni quidem spatio repugnasset. Ad quadragesimas nimirum tres, continuis annis tribus singulis, conficiendas damnantur. Quadragesimæ primæ tempore, extra ecclesiam consistent, & Feria quinta majoris hebdomadæ reconciliabuntur. Per has singulas Quadragesimas tres, jejunabunt ex pane & aqua, secunda, quarta & sexta feriis, aut jejunium rediment. Servabunt simile jejunium per dies quindecim ante S. Joannis festum diem, perque alios quindecim ante Natale Christi Domini, singulisque per annum feriis sextis, nisi hoc jejunium redemerint, aut in eam diem solemne festum inciderit, dummodo non morbo correpti sint, eosve belli servitium detineat. Redimebantur jejunia per eleemosynas, vel alimentis certo cuidam pauperum numero suppeditatis. *Ibid.*

Concilium Grateolanum, *an.* 928.

Ethelstanus rex, Eduardi successor, concilium hoc in Anglia coegit, in quo, ex Ulfhelmi, aliorum regni Episcoporum suorumque ministrorum sententia, leges plures tam ad civile quam ecclesiasticum regimen tulit.

Primus. Mandat Princeps, ut omnes terræ, etiam quæ ad ejus peculiare dominium spectant, decimam solvant; qui colonias tenent, id conferant quod sit certo pauperum numero ad victum & vestitum satis; unusque singulis mensibus servus libertate donetur.

3. Veneficas seu quæ magiam profitentur, punitas vult, morte quidem, si in cujuspiam vitam facinoris convictæ sint, gravibus autem mulctis, si minus completa probatio fuerit; eas tamen patitur, siquidem petant, per experimenta tunc usitata, ignis & aquæ scilicet, se purgare.

4. & 5. Qui horum experimentorum alterutri se subdebat, triduo ante quam illud aggrederetur, presbyterum conveniebat, a quo consuetam benedictionem accipiebat. Per sequentes dies tres, pane tantum, sale, aut leguminibus vescebatur, nec nisi aquam bibebat; iis diebus singulis, Missæ intererat, suamque oblationem peragebat. Experimenti momento ipso, Eucharistiam percipiebat, jurabatque se criminis de quo accusabatur, innocentem esse. Si hæc erat gelidæ aquæ probatio, sub aquæ superficie, per funem qui ulnam cum dimidio longus erat, immergebatur; si vero candentis ferri, hoc, trium dierum spatio, intra ejus manum positum relinquebatur; si calidæ demum aquæ, expectabatur, dum ebulliret; in eamque tunc aquam ejus manus, aut etiam brachium immergebatur, manui apposita petra. In his probationibus tribus, accusatorem itemque accusatum triduo jejunare oportebat, suæque accusationis veritatem jurejurando testari. Adducebant singuli testes duodecim qui cum iisdem jurabant. *Ibid.* & Wilkins, Anglic. I.

Concilium Erfordiense, *an.* 932.

Congregavit Henricus Rex concilium hoc, in Tubingia, Kalend. Jun. an. 932. Hildebertus, archiepiscopus Moguntinus, & Rogerius, archiepiscopus Trevirensis, ei adfuere cum aliis Prælatis undecim e quorum numero erat S. Uldaricus, Episcopus Augustanus; in eodem quinque qui sequuntur, canones editi.

1. Celebrabuntur solemnem in modum duodecim Apo-

Apostolorum festa, & in vigiliis antiquitus institutis jejunabitur.

2. Conciones seu cœtus sæculares dominicis festisque aut jejunii diebus non habebuntur; septemque ante Natale Dominicum diebus, a Quadragesima ad Paschatis octavam usque, judices suum ad tribunal accire neminem poterunt.

Interdictionem hanc Henricus rex in christianæ Religionis favorem firmavit, quo commodius Fideles ecclesias frequentare, ibique per ea tempora preci vacare possent.

3. Interdictio, ne in jus vocentur, aut alia ratione citentur fideles qui ad ecclesiam pergunt, qui in ea versantur, quive ex ea redeunt.

4. Presbyter, aut diaconus qui pravæ suspicioni locum præbuerit, cujus notitia ad Episcopum pervenerit, de suo se peccato apud eum accusabit, ut super eo correctionem accipiat, suamve innocentiam per jusjurandum, & per aliquorum e suis collegis testimonium probabit.

5. Prohibentur privati homines, sine diœcesani Episcopi, ejusve magni Vicarii venia, ipsi sibi jejunia imponere, quia id plures superstitione quadam potius quam pietate permoti faciebant.

Superstitio in voluntariis jejuniis quæ sibi quispiam ipse imponebat, in eo erat posita, quod Christianorum bene multi persuasum habebant se sibi jejunia imponentes, facilius futura divinare.

Concilium Ingilenheinense, an. 948.

Habitum fuit concilium hoc, sub Papæ Marini II. Pontificatu, die 7. Junii. Ei reges duo, Ludovicus & Otto, cum archiepiscopis quinque, Episcopis viginti sex, tam ex Gallia quam ex Germania, abbatibusque, canonicis & monachis numero pluribus adfuerunt. Archiepiscopi erant, Trevirensis, Moguntinus, Coloniensis, Remensis, Amburgensis; Marinus, sanctæ Sedis legatus præfuit; editique canones decem.

In 1. Dicitur excommunicatione plectendus Hugo, Parisiensis Comes, propterea quod Ludovici regis ditiones invaserat, nisi concilii decisioni se subdat.

In 2. Declaratur Artoldus in Remensem archiepiscopatum canonice restitutus, & Hugo excommunicatus qui eum usurpaverat; hujus ordinatores & ab ipso ordinati, communione privati, nisi satis facturi ad concilium Treviris in sextam Septembris diem indictum venerint.

3. Excommunicationem rursus Parisiensi Comiti minitatur, qui expulerat sua sede Raulum, Laudunensem episcopum, cujus crimen totum in fide Ludovico regi servata positum erat.

4. & 5. Ecclesiarum patroni presbyteros in iis ponere, vel ab iisdem amovere, sine Episcopi nutu, &, generatim, laici presbyteros vexare prohibentur.

6. & 7. Mandatur, ut Paschatis hebdomada omnino tota, itemque Pentecostes secunda, tertia & quarta feriæ, tamquam Dominica dies, colantur; & magnæ Litaniæ, seu S. Marci die, pariterque Rogationum ante Ascensionem diebus jejunetur.

8. & 9. In laicos interdictio, ne quid e fidelium oblationibus, aut e decimis quæ iis alendis addictæ sunt qui altari serviunt, ipsi sibi tribuant; ac si forte laici earumdem potiti fuerint, causæ judicium non ad sæculares judices, sed ad concilium pertinebit.

10. Incestuosa matrimonia prohibentur. *Ibid.*

Concilium Augustanum, an. 952.

Augusti die septima an. 952. qui Ottonis, in Germania, regni decimus sextus erat, hic Princeps coactum voluit concilium hoc, ut ad disciplinæ restitutionem incumberet. Adfuere cœtui Longobardi Episcopi plures, una cum Germanicis, quibus præerant metropolitani quatuor, Fridericus Moguntinus, Heroldus Salisburgensis, Manasses Mediolanensis, & Petrus Ravennatensis. Notissimus inter Episcopus S. Uldaricus erat, Episcopus Augustæ ipsius. Adfuit & Rex; Moguntinus vero Archiepiscopus edidit canones undecim, e cœtus consensu.

1. Prohibentur, excommunicationis indicta pœna, clerici omnes, ab Episcopo ad subdiaconos, & hos ipsos usque, matrimonium inire.

2. Renovatur, quam Toletanorum conciliorum unum ediderat in ecclesiasticos interdictio, ne venationi vacent, neve, in hunc finem, canes & accipitres alant, secus, eam pœnam subituri, suis ut functionibus destituantur.

3. Depositionem Episcopis, presbyteris & diaconis concilium minitatur, qui moniti, ne aleis ludant, id facere pergent.

Ricard Concil. Tom. II.

4. Prohibentur omnes clerici apud se feminas subintroductas habere; quod si quam habeant, cujus fama suspecta fuerit, eam concilium Episcopo facultatem dat, ut eos virgis cædi, iisdemque capillos amputari jubeat; volens Regis auctoritatem, si sæcularis potestas obstiterit, adhiberi.

5. Qui civili societati nuntium remittunt, ut monasticum statum amplectantur, e monasterio, absque abbatis venia, non egredientur; ibique jejunio & preci vacabunt.

6. Diœcesanorum Episcoporum regimini monasteria subduntur, cum ea facultate, ut in iisdem quamprimum corrigant, quod correctione dignum fuerit.

7. Episcopi, nedum clericos suos impedient, quominus inter monachos nomen dent, ut asperiorem vitam agant, eos ad perseverantiam, qui id consilii jam inierint, hortabuntur.

8. Cum puellis perinde se gerent, quæ voluntarie se religiosas statuerunt.

9. In patronos laicos interdictio, ne presbytero ecclesiam de qua ei canonice provisum fuit, absque Episcopi consensu, adimant.

10. Omnes decimæ sub Episcopi potestate erunt.

11. Non Episcopi solum, diaconi & subdiaconi in cœlibatu vivent, sed reliqui etiam clerici, cum ad ætatem paulo provectiorem pervenerint, ad continentiam adigentur. *Ibid.*

Concilium Romanum, an. 964.

Joannes Papa XII. a conciliabulo an. 963. Romæ habito, sede pulsus, & a Romanis revocatus habuit concilium hoc in ecclesia S. Petri, die 26. Februarii an. 964. Ejus de Ottone Imperatore querelæ sessionem primam aperuerunt, in qua Leonem, Protoscriniarium, qui Papa in ejus locum a superioris anni conciliabulo electus fuerat ipse deposuit, una cum Episcopis quos Leo ordinaverat. Eos tamen Joannes in concilium ingredi jussit, casulis & stolis indutos, & postquam, ejus jussu, super charta singuli scripserant: *Meo patri cum eo nihil erat, nihilque is mihi dedit*. Eos in gradum quem prius obtinebant, restituit.

Habita est altera sessio, 27. ejusdem Februarii mensis die. In hac discussiones ad eos usque productæ sunt qui Papæ Leoni mutuam pecuniam dederant, decisumque, ut, si Episcopi erant, presbyteri aut diaconi, suum gradum amitterent; sin monachi aut laici, anathemate percellerentur. Concilium reservavit Papæ judicium super abbatibus ab ipso pendentibus qui præcedenti concilio interfuerant; prohibuitque, ne quis inferior superiori gradum adimeret, neve monachi desererent monasterium in quo sæculum abdicaverant.

In sessione tertia, depositus Sicon Ostiensis qui Papam Leonem ordinaverat, quique a Leone ipso ordinati fuerant, in gradum pristinum restituti. Vetuit deinde concilium, Papæ rogatu, ne, inter Missarum solemnia, laici, circum altare, vel in sanctuario consisterent. *Ibid.*

Concilium Anglicanum, an. 969.

S. Dunstani archiepiscopus, Papæ Joannis XIII. jussu, convocavit concilium hoc quod Angliæ generale concilium fuit. Edgarus rex in eo vehementes super clericorum depravationibus querelas edidit; concilinmque mandavit, ut omnes canonici, presbyteri, diaconi & subdiaconi continentiam servarent, suasve ecclesias desererent. Demandata est hujus decreti executio Dunstanensi archiepiscopo, & episcopis duobus a Rege nominatis, Vorchestriensi nimirum & Vinchestriensi qui, cum Dunstanensi, monasticæ in Anglia disciplinæ instauratores fuere. *Ibid. & Anglic. I.*

Concilium Romanum, an. 975.

Habitum est concilium hoc a Stephano, Benedicti VII. Papæ legato, Adelberone, Remensi archiepiscopo, & Episcopis aliquot, super Thieboldo, Ambiani jactato Episcopo, qui tamquam ejus ecelesiæ usurpator excommunicatione perculsus fuit, *Reg. Tom. XXV. Lab. Tom. IX. Hard. Tom. VI.*

Concilium Carrofense, an. 989.

Gumboldus, archiepiscopus Burdegalensis, habuit concilium hoc, cum Aquitaniæ Episcopis sex, in monasterio Carrofensi, quod ad Pictaviensem Diœcesim spectabat. In eo Patres edidere canones tres, ut aliquibus ejus temporis malis remedium afferrent. Pronuntiat primus in eo anathema qui cujusdam ecclesiæ januas fregerunt, & aliquid ex ea surripuerunt.

Eos alter eadem censura plectit, qui agricolæ aut pauperum alteri ovem, bovem, aliave armenta sustulerint. Per tertium prohibetur ecclesiæ aditu, quicumque presbyterum, diaconum, seu quemvis alium clericum sine armis compertum percusserit aut ceperit. *Ibid.*

Concilium Remense, an. 989.

Cum Adalbero, Remensis archiepiscopus, obiisset, provinciæ Episcopi convenerunt, ut ei successorem darent; conspiraruntque suffragia, ut Arnulo, regis Lotharii naturali filio, & principis Caroli nepoti faverent. Princeps hic Remensi urbe potitus est, captivumque novum archiepiscopum secum duxit, quem patruo urbem tradidisse, ac se data opera, suam ut proditionem tegeret, capiendum curasse suspicio fuit. Ab hac is quidem suspicione se purgare conatus est, excommunicatione in eos edita qui Remensem ecclesiam urbemque vastaverant, quoad nihil non restituissent.

Eum imitati qui ex ipsius provincia erant, Episcopi, cum Silvanectum, an. 990. in concilii modum convenissent, decretum vulgarunt quo in Remensem & Laudunensem ecclesias interdictum, & in presbyterum Adalgerium, traditæ Remensis urbis accusatum, inque omnes ejusdem socios anathema pronuntiabant.

Rex Hugo Capetus qui in Arnuli electionem consenserat, cum ei de ipso querendi causa subesset, a suæ eumdem provinciæ Episcopis canonice judicatum voluit, qui, ut id perficerent, an. 991. in S. Basilii abbatiam, Remis proximam coiverunt. Erant omnino tredecim numero; sex e Remensi provincia, tres e Senonensi, tres item e Lugdunensi, & Dabertus, archiepiscopus Bituricensis. Concilio præfuit, tamquam senior, Seguinus, archiepiscopus Senonensis. In medium adductus Arnulus, fractæque quam Regi debebat, fidei se reum fassus, Episcopatum abdicavit, & publice veniam petiit, se sacerdotio indignum enuntians. Itaque depositus fuit, eique suffectus Gerbertus, abbas Aurillacensis. Depositus quoque presbyter Adalgerius, renovatumque in eos omnes anathema, qui principi Carolo Remensem urbem tradiderant. Hujus concilii acta, Francofurti, an. 1600. seorsim impressa fuere. Patres Labbæus & Harduinus non nisi libellum abdicationis Arnuli, actumque electionis Gerberti, & ab hoc editam fidei professionem publici juris fecerunt. Suæ ipse abdicationi reclamavit Arnulus; ejus depositio Romæ abrogata fuit, suaque episcopalis sedes eidem reddita. Eam Gerbertus per aliquod temporis spatium occupare non destitit, quandoquidem an. 993. suæ provinciæ Episcoporum concilio præfuit, ad quod acciti qui ejusdem provinciæ seu bona diripuerant, seu clericos male habuerant, ut ob patrata crimina pœnitentiam agerent, satisque facerent, additis minis fore, ut ab Ecclesiæ communione abscinderentur, nisi, intra statutum tempus, se suum ad officium redigerent.

Concilium Romanum, an. 993.

Joannes Papa XV. postrema Januarii die an. 993. celebravit concilium hoc in quo S. Uldaricus, Episcopus Augustanus in Sanctorum album relatus fuit, vicesimo post anno quam occubuerat. Mandavit summus Pontifex, ut hujus sancti Præsulis memoriæ honos exhiberetur, expeditamque in id bullam voluit cui subscripsit ipse cum Episcopis quinque, presbyteris cardinalibus novem & diaconis tribus. Est hæc omnium quæ nobis suppetunt, ad Sanctorum canonizationem quod attinet, bullarum prima. Domnus Mabillonius (*T. I. Actor. Ord. S. Benedict. p.* 417.) qui S. Uldarici vitam & miracula nobis dedit, animadvertit nondum *canonizationis* vocabulum usui fuisse, cum Papa Joannes hanc cæremoniam peregit. Consuli potest, super solemnibus canonizationibus, Patris Papebrockii, ad frontem Tomi primi Actorum Sanctorum mensis Maji, Dissertatio.

Concilium Ravennatense, an. 998.

Arnulo, Papæ Gregorii V. jussu, ac Roberti regis accedente consensu, in Remensem Archiepiscopalem sedem restituto, Gerbertus se apud imperatorem Ottonem III. recepit a quo Ravennatensis archiepiscopus creatus fuit. Hic ergo, die prima Maji an. 998. una cum novem e suis suffraganeis, Ravennæ, concilium habuit in quo edidit canones tres. Horum primus abusum abolet qui irrepserat, ut subdiaconorum unus Episcopo, consecrationis ejusdem die, hostiam venderet quam in hac cæremonia suscipiebat; in eodem archipresbyteri quoque sanctum chrisma vendere prohibentur. Canon alter iisdem archipresbyteris mandat, ut, quotannis, Sancti Vitalis festo die, subdiaconis Ravennatensibus duos, census titulo, solidos solvant. Instauratur, in tertio, veterum canonum interdictio, ne oratorium aut ecclesia in extera diœcesi, sine diœcesani Episcopi venia, consecretur; ne quis pariter ad aliam diœcesin pertinens recipiatur, promoveatur retineaturque, sine proprii Episcopi formatis Litteris; declaratur in eodem ordines iis tantum conferri debere qui iisdem digni ob scientiam bonosque mores judicati fuerint, quique ea ætate sint quam Ecclesiæ leges præscribunt. Ibidem subditur interdictio, ne quid ob sepulturas exigatur.

Conciliorum Collectiones hoc ipsum ad an. 997. referunt; at eo quidem anno Gerbertus nondum Ravennæ archiepiscopus erat, nec is fuit nisi sequente anno, ut ex Epistola compertum fit, quam Gregorius V. ad eum scripsit statim ab ipsius ad hunc archiepiscopatum nominatione, pallium ad eumdem mittens. Data est IV. Kalendas Majas, Indictione undecima, videlicet, Aprilis die 28. an. 998.

Concilium Romanum, an. 998.

Summus Pontifex Gregorius V. imperatore Ottone III. præsente, habuit concilium hoc cui adfuere Episcopi viginti octo, quos inter Gerbertus, archiepiscopus Ravennatensis. In eo editi canones octo.

Primo, Edicitur, ut rex Robertus consanguineam suam deserat quam contra leges sibi conjugem sumpserat; pœnitentiam annorum septem, secundum gradus ab Ecclesia præscriptos, agat; quod si forte renuerit, anathema sit; idem quoad Bertham statuitur.

2. A communione suspenditur Archambodius Turonensis qui iis nuptialem benedictionem tribuerat, omnesque Episcopi qui eidem adfuerant, quoad sanctæ Sedi se stiterint, satis huic errato facturi.

3. Bresburgensis Episcopatus, a sancta Sede & ab imperatore Ottone I. in universali concilio instituti, & ab Ottone II. absque ullius concilii sententia suppressi restitutio præcipitur.

4. Pronuntiatur fore, ut, si Gisilerius ostendere canonice potest se Mersburgo Magdeburgum translatum fuisse, non ambitione permotum, sed a clero populoque vocatum, in hac posteriore sede permaneat; sin autem in ea translatione se de ambitione vel avaritia purgare non potest, amittat utramque.

5. Deponitur Stephanus, Episcopus Aniciensis, in Velaunia, propterea quod electus fuerat a Gujo, patruo & decessore, sine cleri populique consensu, ordinatusque, post Guji mortem, a duobus tantum Episcopis qui nec e provincia erant. Erant hi Episcopi duo Dagobertus Bituricensis, & Rodenus Nivernensis.

6. Suspenduntur a communione hi Episcopi duo, quoad accesserint, satis sanctæ Sedi propterea facturi quod, contra Ecclesiæ leges, Stephanum, vivente Gujo, ejus patruo, ordinaverint.

Mendum esse necesse est hoc in canone, vel in præcedenti, quia Stephani ordinatio ponitur in hoc quidem, vivente Gujo, in eo autem, post ejus mortem.

7. Concilium declarat clerum populumque Velaunensem posse ad alterius Episcopi, a Papa consecrandi, electionem procedere.

8. Fore dicitur, ut Rex Robertus haud iis quidem suum Stephano patrocinium concedat, sed cleri populique electioni faveat, salva obedientia quæ a subditis eidem debetur. *Ibidem.*

Concilium Pictaviense, an. 1000.

Guillelmus V. cognomento *Magnus*, Pictaviensis Comes & Aquitaniæ Dux convocavit concilium hoc an. 1000. vel superiore 999. Adfuere cœtui Episcopi quinque, Seguinus Burdegalensis, Gislebertus Pictaviensis, Hilduinus Lemovicensis, Grimoardus Engolismensis, Islo Sanctonensis, & abbates duodecim quorum haud notata nomina. Concilio propositus finis fuit pacis, justitiæ, disciplinæque ecclesiasticæ restitutio. In eo tres editi canones; quorum primus statuit, ut dissidia super damnis quinquennio ante hujus concilii celebrationem illatis, aut in posterum afferendis dirimantur a locorum judicibus seu principibus ad quorum tribunal partes accedere debebunt; quod si renuerint, loci princeps seu dominus cogat proceres Episcoposque qui concilio adfuerunt; iidemque in perduellem incedant, eumque adigant, ipsius etiam vastatis bonis, ut rationi se subdat. Guillelmus Dux & proceres

res qui concilio aderant, se, sub excommunicationis pœna, canonem servaturos polliciti sunt, obsidesque dederunt. Relicta est Carrofensi concilio an. 989. pœnarum impositio, quas subirent qui deinceps ecclesiarum januas frangerent, aut aliquid ex iisdem surriperent. Secundus canon Episcopos & presbyteros vetat munera ob pœnitentiam vel ob confirmationem exigere, eosdem tamen id accipere patitur quod ultro oblatum fuerit. Canon tertius, sub degradationis & excommunicationis pœna, vetat presbyteris diaconisque, ne apud se feminas habeant. *Lab. Tom. IX. Hard. Tom. VI.*

Sub idem tempus, habita sunt in Italia & in Gallis concilia plura de quibus nobis id unum constat quod Glaber Rodulfus, S. Germani Antissiodunensis monachus qui undecimo sæculo scribebat, memoriæ prodidit. In iis vetiti Episcopi inter Ascensionis & Pentecostes festos dies jejunia præcipere, excepta posterioris hujus festi vigilia; permittuntur tamen pietatis jejunia. In iisdem querelarum non nihil in monachos extitit, qui *Te Deum*, dominicis Adventus & Quadragesimæ diebus, contra Romanæ Ecclesiæ usum, canerent; iisque respondentibus se hac in re S. Benedicti regulam, a Papa Sancto Gregorio approbatam sequi, suus est relictus mos. Glaber, *Lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 27.

C O N C I L I A
SÆCULI UNDECIMI.

Concilium Eingthamense, in Anglia, *an.* 1009.

REX Æthelredus concilium hoc, Ælfeagio Cantuariensi, & Wulstano Eboracensi rogantibus, congregavit. Ad illud vocati Episcopi, quique inter regni proceres primas tenebant; patuitque cœtus ipsa Pentecostes die. Ejus canones triginta duo super moribus Ecclesiæque disciplina nobis suppetunt.

1. Hortatur concilium clericos, abbates, abbatissas, itemque personas quæ iisdem subsunt, ut e sua quisque professione vivant; omnesque Christianos jubet pœnitentiam agere.

2. Vetat Dei ministros, præsertim vero presbyteros matrimonium inire, secus, eam pœnam subituros, ut publicis oneribus ac tributis obnoxii sint.

3. Dei amorem & ab ethnicis superstitionibus aversionem commendat.

4. Venefici, præstigiatores, depravatæ feminæ, perjuri, e regionis finibus, in exilium mittentur.

5. Mandatur, ut injustæ leges reformentur.

6. Christianorum nullus extra regionem suam, præsertim ad ethnici servitium, vendetur.

7. Christianus ob levem culpam morte non punietur.

8. Christiani, ad sextum usque consanguinitatis gradum, matrimonium inire non poterunt.

9. Ecclesiæ paci & libertati consulitur.

10. & 11. Unusquisque suorum fructuum decimam, & S. Petri denarium, statis diebus, accurate solvet.

12. 13. & 14. Solventur etiam, ter in anno, census, ut luminaria serventur, &, ad apertam foveam, sepulturæ jus; quod si corpus extra parœciam humo dari contigerit, id non oberit, quin solvatur quod debetur ecclesiæ a qua, dum viveret, defunctus pendebat.

15. 16. & 17. Jejunabitur in vigilia Assumptionis B. Virginis, festorumque Apostolorum, S. Jacobi & S. Philippi tantum excepta, quippe quæ in Paschale tempus incidit; Quatuor Temporum diebus, singulisque sextis per annum feriis, nisi forte horum dierum aliquis festus sit.

18. Non lites agentur, non jusjurandum præstabitur apud judicem, nec nuptiæ celebrabuntur solemnibus festis diebus, Quatuor Temporibus, ab Adventu ad Epiphaniæ Octavam usque, & a Septuagesima ad decimi quinti post Pascha diei finem usque.

19. Viduæ non nisi post viduitatis annum, novum conjugium inire poterunt.

20. Christianos concilium hortatur, ut ad pœnitentiæ & eucharistiæ Sacramenta, ter in anno saltem, accedant.

21. Prohibentur falsa pondera, falsæ mensuræ, falsa testimonia, querelæ, dissensiones, denique peccata omnia; vultque concilium Christifideles tum dictis tum factis se bene moratos ostendere.

22. 23. 24. 25. & 26. Peculiares super regni politia constitutiones sunt.

27. & 28. Hi duo canones in eos editi sunt qui ipsi sibi mortem consciscunt, in eos item qui læsæ Majestatis rei sunt, in eos denique qui virgines aut viduas corrumpunt.

29. Cohortatio est ad operam dandam, ut religio augeatur.

30. Commendatur ecclesiasticis castitas & in precibus assiduitas; cohortaturque concilium laicos ad fidem in Deum, ad servanda jejunia, ad festos & dominicos colendos dies quorum spatio nec nundinis, nec mercatibus, nec populi cœtibus locus erit; ad venationem non pergetur, nullique mundano operi vacabitur; eosdem præterea laicos hortatur, ut Domini ministros honore prosequantur, ut pauperes alant, ut viduas orphanosque soleutur, ut viatoribus & exteris opitulentur, ne denique alteri faciant quod sibi factum nollent.

31. Mandatur, ut in pios usus conferantur mulctæ iis impositæ qui aliquod in Deum, vel in Ecclesiam crimen patrarunt.

32. Mandatur, ut pœnæ ad delictorum rationem & personarum conditionem exigantur, ea tamen lege, ut qui cæteris eminent, gravius quam alii puniantur.

Hujus concilii exemplaria non desunt in quibus non nisi viginti octo canones occurrunt. *Ibid.* & *Anglic. I.*

Concilium Papiense, Ticinense, an. 1012.

Papa Benedictus VIII. præfuit concilio huic, in eoque longum in clericos licentius viventes sermonem habuit; qui quidem positus est in fronte actorum concilii, quæ septem decretis seu canonibus continentur.

1. Nec conjuges, nec concubinæ clericis erunt; & id, sub depositionis pœna.

2. Eadem in Episcopos pœna qui feminas apud se detinebunt.

3. & 4. Clericorum filii erunt ejus ecclesiæ servi cui inservit eorum pater, quamvis ipsorum mater libera sit; & omnia quoque bona quæ pater iisdem donaverit, ad ecclesiam pertinebunt. In laicos judices interdictio, sub excommunicationis pœna, ne ejusmodi servos manumittant.

5. Ecclesiæ servi nihil acquirere, nihilque possidere possunt proprietatis jure, etiamsi matre libera nati fuerint.

6. Homo liber qui Ecclesiæ servo suum nomen dederit alicujus acquisitionis gratia, suas Ecclesiæ cautiones dabit, aut excommunicationi suberit.

7. Idem in judicem seu tabellionem anathema, qui contractum scripserit. Subscripsere decretis his Episcopi septem, Benedicto Papa in numerum relato. Data sunt Kalend. Augusti; quo anno, non dicitur.

Concilium Legionense in Hispania, an. 1012.

Alphonsus V. Legionis rex haberi jussit concilium hoc cui adfuit ipse cum regina Geloite, Sponsa, in sanctæ Virginis ecclesia, 23. Julii die. Qui illud habuerunt Episcopi, condidere sequentes canones septem.

1. In conciliis quæ in posterum celebrabuntur, primo loco de ecclesiasticis negotiis agetur.

2. Ecclesia bonis testamento sibi relictis tranquille fruetur; si qua difficultas extiterit, a concilio judicabitur.

3. Abbates, abbatissæ, monachi & religiosæ diœcesani Episcopi jurisdictioni suberunt.

4. Nemo non prohibitus sibi sumere Ecclesiæ bona.

5. Regis officiarii eos apud judicem persequentur qui hominem ad Ecclesiam pertinentem occiderint.

6. Absoluto ecclesiasticorum negotiorum examine, procedetur ad ea discutienda quæ regni sunt.

7. Si quis servi ad Ecclesiam spectantis successionem

nem emerit, eam amittet æque ac pecuniam quam dederit.

Extant alia plura hujus concilii decreta, sed quæ civile quam ecclesiasticum regimen potius afficiunt. *Reg. Tom. XXV. Lab. Tom. IX. Hard. Tom. VI.* & de Aguirre, *Concil. Hisp. Tom. IV.*

Concilium Ravennatense, an. 1014.

Cum Ravennatensis ecclesia vacasset per annos undecim, absona plura, seu quoad ordinationes, seu quoad ecclesiarum dedicationes in ea provincia contigerunt. Imperator Henricus fratrem Arnulum nominavit qui hanc sedem repleret quam Adalbertus usurpaverat. Pacificus possessor relictus Arnulus concilium hoc, an. 1014., postrema Aprilis die congregavit. In eo habitæ sessiones tres; statutumque, in prima, ut qui illicite ordinati fuerant, ad amplius examen usque suspenderentur; in altera, ut ecclesiæ quas Adalbertus consecraverat, interdictæ remanerent; &, in tertia, vetitum, sub anathematis pœna, ne pecunia ob sanctum chrisma, ob animæ commendationem & ob sepulturam exigeretur; prohibitique archipresbyteri benedictionem aut confirmationem per sanctum chrisma populo tribuere, cum hæ functiones Episcopis reservatæ sint. *Ibid.*

Concilium Aurelianense, an. 1022.

Stephanus & Lisoyius, Galli clerici duo, doctrinæ & pietatis fama gaudentes, se ab Italiæ quadam vidua, Manichæorum hæresi infecta seduci passi erant. Vetus ergo novumque Testamentum rejiciebant in iis quæ de Trinitate ac de mundi creatione ibidem dicuntur; negabant Christum Dominum de Virgine Maria natum passumque esse, denique resurrexisse; peccata delendi vim baptismati inesse; panem & vinum in corpus & sanguinem Christi Domini per presbyteri consecrationem mutari. Bona opera & Sanctorum patrocinium tamquam inutilia spectabant, matrimonium damnabant, & carnis esum vetabant. Conveniebant nocte ad suorum mysteriorum celebrationem; & cum lampades extinxissent, omnium generum impuritatibus se dedebant. Cum eos nobili genere vir, *Arefastus* nomine, detexisset, Robertum regem per Richardum, Normanniæ Ducem de re monitum voluit. Indictum Aureliani concilium, an. 1022. Rex ejusque sponsa regina Constantia se ad illud contulere cum Episcopis pluribus e quorum numero erat Leuthericius, archiepiscopus Senonensis. Stephanus & Lisoyus una cum iis quos suos in errores traxerant, ad concilium perducti. Data est opera; ut ad collationem pertraherentur quæ a prima diei hora ad pomeridianas horas tres usque producta fuit; pertinacibusque compertis ignis indictæ minæ, ad illud alacriter se contulerunt; at cum flammarum vim sentire cœpissent, se in clamores suorumque errorum detestationem dederunt. Eos e flammis extrahi haud per tempus licuit; in iisque undecim periere; cum enim tredecim essent, cum se concilio stiterunt, duo tantum, clericus & religiosa, resipuerunt. Baronius, P. Labbæus, aliique plures Glaberum Rodulphum secuti sunt qui eventum hoc ad an. 1017. refert; at ex diplomate ad S. Mesminii abbatiam spectante compertum fit, concilium, horum recentium Manichæorum occasione, Aureliani habitum an. 1022., regni Roberti vicesimum septimum pertinere; idem constat ex Ademarii testimonio, qui hanc hæresin detectam ait sub Adolrici Aurelianensis Episcopatu qui ante an. 1022. incipere non potuit, quandoquidem hoc tantum anno Theodoricus, ejus decessor, se episcopatu abdicavit, ut in S. Petri Senonense monasterium secederet. Mabillonius, *Tom. IV. Annal. in Append. p.* 708., & *Lib.* 55. *Annal. num.* 1. & 3.

Concilium Salegunstadiense, an. 1022.

Aribo, Moguntinus archiepiscopus, concilium hoc, undecima Augusti die, celebravit, ut disciplinæ consensionem in omnibus ecclesiis ab ejus metropoli pendentibus restitueret, & plura synodalia decreta ususque plures supprimeret, quorum oppositio dissidia & perturbationem afferebat. Ergo Strasburgensis, Augustanus, Bambergensis & Wirzburgensis Episcopi, singuli Moguntini archiepiscopi suffraganei, una cum eo, sequentes viginti canones edidere.

1. Christifideles ad unum omnes a carne & sanguine, seu ab adipe, per dies quatuordecim ante S. Joannis festum, & per totidem ante Natale Dominicum abstinebunt; eamdemque abstinentiam in Epiphaniæ, festorum Apostolorum, Assumptionis sanctæ Virginis, S. Laurentii, omniumque Sanctorum vigiliis servabunt; & quidem comedent semel tantum.

2. Idem in Quatuor Temporum jejuniis servabitur.

3. Nemini licebit matrimonium inire eorum dierum ullo, vel ab Adventu ad Epiphaniæ octavam usque; itemque a Septuagesima ad octavam Paschatis.

4. Presbyter qui post galli cantum biberit, Missam postridie celebrare non poterit.

5. In presbyteros interdictio, ne plures Missas quam tres una eademque die celebrent.

6. Prohibetur, anathematis indicta pœna, ne corporale, tactu Corporis Domini consecratum, in ignem projiciatur, incendii extinguendi causa; ne intra ecclesiam gladius gestetur, nisi qui Regis est; & ne quis garriat in ecclesiæ vestibulo.

7. Si e personis duabus de adulterio accusatis, fateatur una, neget altera, pœnitentiæ subdetur ea quæ crimen fatetur; quæ vero negat, suæ innocentiæ probationes afferre jubebitur.

8. Regis tantum gladius in ecclesiam inferetur.

9. In ecclesiis earumve atriis cœtus interdicuntur.

10. Damnatur nonnullorum mos & quarumdam matronarum potissimum, quæ sibi quotidie lectum Evangelium, *In principio erat Verbum*, dictasque Trinitatis aut Sancti Michaelis Missas volebant, superstitione quadam, atque ut divinarent. Mandatur, ut hic usus aboleatur; ac, si quis, in Trinitatem observantiæ ergo, peculiarem Missam audire voluerit, diei Missam audiat, aut unam pro viventium salute, aut defunctorum unam.

11. Mandatur, ut in consanguinitatis gradibus enumerandis, regulæ loco non civiles leges, sed canones sint; ita quidem, ut a fratrum seu sororum filiis inchoetur enumeratio.

12. Diruentur laicorum ædificia ecclesiis contigua; ipsique tantum presbyteri in atrio degent.

13. In patronos laicos interdictio, ne cui presbytero, absque diœcesani Episcopi, ejusve magni vicarii consensu & approbatione, suas ecclesias conferant.

14. Si duæ personæ patrati mutuo adulterii accusatæ factum negent, petantque, ut una pro utraque probationem edat, quæ Dei judicium dicitur, & ea quidem in probatione succumbat, adscribetur utrique crimen.

15. Publica quæ Episcopus mandaverit, jejunia servabuntur, aut alendo, per quemque jejunii diem, paupere redimentur.

16. Peraget nemo Romam iter, sine diœcesani Episcopi, ejusve magni vicarii venia.

17. Anathematis indicta pœna, in presbyteros interdictio, ut e quadraginta dierum jejunio pœnitentibus imposito nihil detrahant, nisi pœnitentes infirmi sint.

18. Qui quorumdam criminum rei pœnitentiam a proprio Episcopo accipere nolunt, ea spe fore, ut Romam pergentes suorum a Papa peccatorum remissionem obtineant, monentur ejusmodi indulgentiam iis omnino non profuturam; eos prius debere pœnitentiæ se subdere quæ eorumdem criminum gravitati respondeat, tum vero posse cum Episcopi sui venia & litteris Romam pergere.

19. Vetiti pœnitentes, intra pœnitentiæ quadraginta dies iter agere, ut presbyter cui demandata est eorum cura, qua se interim ratione gesserint, testari possit.

20. Eos quibus ob crimina non licet in ecclesiam ingredi, Presbyteri, nisi ab Episcopo jussi in eam non recipient. *Ibidem.*

Concilium Atrebatense, an. 1025.

Gerardo, Atrebatensi & Cameracensi Episcopo hujus habendi concilii occasionem præbuere quidam hæretici qui Atrebati detecti fuerant. Hos adduci jussos Præsul de doctrina interrogavit, & in errore versantes videns, triduo in carcere detentos voluit, clericis & monachis mandans, ut jejunio ac precibus ad eorum resipiscentiam vacarent. Iis ad ecclesiam die dominica revocatis, quæsivit, coram clero populoque, quæ eorum fides, quis sectæ auctor; quem esse Italum quemdam, Gandulphum nomine responderunt, ab eoque se didicisse non aliam suscipiendam Scripturam quam Evangelium & Apostolorum scripta; Evangelii doctrinam eo demum redigi, ut mundus deseratur, carnis desideria reprimantur, e manuum labore victus quæratur, afferaturque injuria nemini; his servatis præceptis, baptismum ad salutem necessarium non esse. Haud pluris faciebant eucharistiam & pœniten-

tentiam; matrimonium rejiciebant, tantumque Apostolos & Martyres habebant Sanctorum loco. His erroribus a Gerardo Episcopo confutatis anathema sectarii dixerunt, & fidei professioni quæ iisdem exhibita, subscripserunt, se deceptos fassi.

Enuntiat a fidei professio cui subscribere jussi sunt, ad Eucharistiam quod spectat, hanc eamdem carnem esse quæ ex Virgine nata est, quæ passa super cruce, quæ e sepulcro egressa, quæ ad cælum elata, quæ ad Patris dexteram in gloria est. Harduinus, *Tom. VI*. Spicilegii initio; Mabillonius, *Lib.* 55. *num.* 63. *pag.* 308.

Concilium Ansanum, Ansense, prope Lugdunum, *an.* 1025.

Archiepiscopi Lugduni, Viennæ Allobrogum, Tarantasiæ, cum Episcopis novem adfuere concilio huic quod in S. Romani ecclesia habitum fuit. Gauslinus, Episcopus Matisconensis, conquestus est Burchardum, archiepiscopum Siennensem, id sibi sumpsisse, ut in monasterio Cluniacensi quod e Matisconensi diœcesi erat, monachos, contra canones, ordinaret. Earum ordinationum vadem archiepiscopus abbatem Odilonem dedit qui cum suorum monachorum nonnullis aderat. Protulit Abbas Romanæ sedis privilegium per quod ei licebat, quem mallet, Episcopum ad monachos quibus præerat, ordinibus initiandos, itemque ad ecclesias quæ ab ejusdem monasterio pendebant, dedicandas vocare. Lecti sunt Chalcedonensis aliorumque conciliorum canones qui diœcesanis Episcopis monachos subdunt, vetantque, ne quis Episcopus, in aliena diœcesi, absque ordinarii venia, seu ordinationes, seu dedicationes peragat; hinc Episcopi qui concilio intererant, intulerunt allatum privilegium, utpote quod iis canonibus ex diametro repugnaret, tamquam nullum spectandum esse; adeoque, quod archiepiscopus Viennensis egerat, haud satis ab abbate Odilone firmari. Archiepiscopus cum nihil haberet quod reponeret, se apud Matisconensem Episcopum excusavit, eique olivæ oleum ad sancti Chrismatis confectionem necessarium se quotannis, satisfactionis in modum, suppeditaturum promisit. Concilii tamen judicium locum habuit ad tempus tantum; summi enim Pontifices, nominatim Joannes XIX. Urbanus II. & Calixtus itidem II. Cluniacensis abbatiæ privilegium confirmarunt; & in quodam Remensi concilio convenit in abbatis potestate esse suos monachos cui voluerit, Episcopo ordinandos dare. *Ibidem*.

Concilium Lemovicense, an. 1028. & 1031.

Cum Odolricus, abbas S. Martialis Lemovicensis, dedicationem ecclesiæ S. Salvatoris, an. 1028. peragendam curasset, Episcopi qui ad eam convenerant, in cæremoniæ confectionem, concilium habuerunt, in quo de S. Martialis apostolatu controversiam agitarunt. At controversia hæc quæ jam Parisiis agitata fuerat in collatione quæ in regis Roberti palatio habita est, in altero concilio, an. 1031. celebrato, tertio discussa fuit. Huic abbas Odolricus interfuit cum Episcopis decem e quorum numero erat Aimonius, Archiepiscopus Bituricensis, qui cœtui præfuit. Probationes apostolatus S. Martialis in medium allatæ; quarum prima ducebatur ex ejus vitæ quadam historia, Aureliani, ejusdem discipuli nomine scripta quam apocrypham esse nunc temporis in comperto est; eo reliquæ redigebantur, ut ostenderent ejus nomen, tam apud Latinos quam apud Græcos, in Litaniis, inter Apostolos, reperiri; eum præterea Apostoli titulo in libris omnibus insignitum esse; ejusmodi denique veterem regionis traditionem esse. Adeo singula hæc rationum momenta Robertum regem qui aderat, omnesque concilii Episcopos permoverunt, ut S. Martialis apostolatus ibidem, unanimi consensu, tamquam extra omnem dubitationem positus statueretur. Lecti deinde canones quos ante dies quindecim habitum Bituriense concilium ediderat; receptique, excepto secundo qui eucharistiam singulis dominicis diebus renovari jubebat; dictum est scilicet satis fore, ut ea duodecies in anno, præcipuisque festis diebus conficeretur, cujus tamen sæpius renovandæ facultas monasteriis concessa est. Super querela monachorum Belli-loci, quibus abbas erat clericus sæcularis qui per indigenarum procerum auctoritatem patruo successerat, Jordano, Episcopo Lemovicensi, in mandatis datum, ut iis e regula abbatem daret; ac sæcularis quidem abbas se ultro abdicavit, Episcopos rogans, ut ejusmodi abusum corrigerent; qui definierunt monachum posse a monasterio quod a regula deflexit, ad aliud migrare in quo regula viget; nihil omnino de privilegio detrahendum quo S. Martialis monasterium gaudebat, ut ibidem baptismus, Paschatis & Pentecostes solemnibus diebus administraretur, & servi manumitterentur, ea lege, ut qui ibidem baptizati essent, eodem die se cathedrali in ecclesia Episcopo sisterent, confirmationem suscepturi; clericum aut monachum, insignitos lectoris ordine, in omnibus ecclesiis prædicare posse; homicidam voluntarium, quamvis etiam se monachum fecerit, ad ordines promoveri non posse, quoniam, e Papæ ad abbatem Odilonium responso, id hominis ne offerre quidem in presbyterorum manu, aut communionem nisi moriens perciperet; neminem debere a Papa pœnitentiam & absolutionem accipere, nisi ejusdem Episcopus annuat, quia sæpe contingeret summorum Pontificum religionem circumveniri. Diœcesis equites, cum pacem jurejurando promittere renuissent, excommunicati fuere; ac dum in eos pronuntiabatur excommunicationis sententia, Episcopi cereos quos accensos tenebant, in terram projecerunt extinxeruntque. In eam sententiam conspiratum est, ut, si Lemovicensis provinciæ domini paci obluctari pergerent, Episcopus totam diœcesin generali excommunicationi subderet, cujus ea esset consecutio, ut ne sepultura nisi clericis, pauperibus mendicantibus, transeuntibus, pueris ad bimatum usque tantummodo, concederetur; divinum officium in omnibus ecclesiis occulte fieret; ut Missæ januis clausis dicerentur; ut ne altaria nisi in ipsa sanctorum mysteriorum celebratione ornarentur; ut nullum matrimonium iniretur; ut esset eorum tantum ciborum usus quibus per Quadragesimam vesci licet; ut, sub horam tertiam, æra omnia campana in ecclesiis singulis pulsarentur, ac tum quidem nemo non, demisso in terram vultu, pro pace oraret. Declaratur tamen fore, ut, dum hæc excommunicatio subsisteret, baptismus petentibus, &, in mortis articulo, pœnitentia & viaticum tribueretur. Deest aliquid ad finem actorum concilii Lemovicensis an. 1031. Quod reliqui est, majoremque partem conficit, extat in conciliorum Collectione, an. 1644. Luparæ; extat etiam in PP. Labbæi & Harduini Collectionibus. *Ibidem*.

Concilium Bituricense, an. 1031.

Bituricense concilium de quo in Lemovicensi sermo est, prima Novembris die an. 1031. ab Aimonio qui Gauslinio in eo archiepiscopatu successerat, coactum fuit.

Episcopi Anicii, Claromontii, Mimati, Albigæ & Divonæ Cadurcorum adfuere cœtui, in eoque viginti quinque qui sequuntur, canones edidere.

1. In omnibus primæ provinciæ Aquitaniæ diœcesibus, S. Martialis, Aquitaniæ doctoris commemoratio non amplius inter Confessores fiet, sed inter Apostolos, prout a sancta sede veteribusque Patribus statutum fuit. Præsto erat in eam rem Joannis XIX. Epistola, quam concilium lectam voluit.

2. Hostiæ consecratæ renovabuntur dominicis diebus singulis.

3. Interdictio ad Episcopos quidem, ne quid muneris ob ordinationes accipiant; in eorumdem vero officiarios, ne quid sumant ob eorum scribenda nomina, qui ordinandi proponuntur.

4. Nemo ad archidiaconatum nominabitur, quin diaconus sit.

5. Presbyteri, diaconi, subdiaconi nec uxores nec concubinas habebunt. Eas qui habent, quamprimum deferent; qui vero se ab iis separare noluerint, suis a functionibus interdicentur, nec amplius lectorum aut cantorum gradum tenebunt.

6. Nullus amplius Episcopis subdiaconus erit, quin Deo ad altare promittat, sibi nec conjugem nec concubinam fore, eamque se remissurum, quæ forte, ordinationis momento ipso, eidem esset.

7. Quicunque ecclesiasticis functionibus addicti erunt, tonsuram deferent, eruntque abrasa barba.

8. In clerum non recipientur presbyterorum, diaconorum aut subdiaconorum filii; qui vero reapse clerici sunt, ad sacros ordines promoveri non poterunt.

9. Servi seu captivi non recipientur in clerum, quin suis ab heris integram libertatem obtinuerint, coram testibus fide dignis.

10. Non spectabuntur tamquam ecclesiasticorum filii qui ab iis nati sunt, postquam ecclesiasticum statum deseruerunt, & ad laicalem redierunt.

11. Declarabunt Episcopi, ordinationis tempore, se nolle seu presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum filios, seu servos non manumissos ordinare; quod si, per errorem, eorum aliquem ordinaverint, & hic innotuerit, eum archidiaconus tamquam illicite ordinatum deponet.

21. Ni-

12. Nihil exigetur ob baptismum, pœnitentiam, sepulturam; at quod suapte sponte fideles offerent, accipi poterit.

13. Presbyteris conceduntur oblationes & luminaria quæ iis exhibentur; at paschalem cereum in ecclesia ad altare illuminandum remanere concilium vult.

14. Interdictio, ne super altari ponantur lintea quæ tegendis mortuis inservierunt.

15. Interdictio, ne die dominica vecturæ fiant, seu per currum, seu per onerarias belluas, nisi ex caritate, hostium metu, vel in gravi necessitate.

16. Qui legitimam conjugem, extra adulterii casum, deseruerit, aliam, quoad prima vixerit, sibi non sumet; eademque erit feminæ ratio, quæ a viro recesserit; hi scilicet reconciliari debent.

17. & 18. Nemo consanguineam ad sextum usque aut saptimum gradum ducet, nec consanguineo nubet femina, quia vir & femina legitime uniti, sunt una & eadem caro.

19. & 20. Suam nemo filiam presbytero, diacono, subdiacono, vel ex eorum filiis cuipiam in matrimonium dabit; nemo item ullius ex eorum numero filiam uxorem ducet.

21. & 22. In laicos interdictio, ne feudorum jus super presbyteris sumant, ob ecclesiastica bona quæ *feuda presbyteralia* nuncupabantur; neve in sua ipsorum ecclesia, sine Episcopi approbatione, presbyteros collocent.

23. Clerici qui clericaturam deseruerint, a cæteris clericis segregabuntur.

24. Si suum monachus habitum deserit, Ecclesiæ communione privabitur, quoad eum resumpserit; quod si abbas eum recipere nolit, cum clericis in ecclesia vel in aliquo monasterio, in monachi veste, monasticamque regulam servans, versabitur.

25. Nec canonici ab una ad aliam ecclesiam, nec monachi ab uno ad aliud monasterium migrabunt, quin eos Episcopus, hos abbas sinant.

Canones sequitur Aimonii archiepiscopi declaratio qua præcipitur, ut S. Martiali in omnibus Ecclesiæ officiis Apostoli titulus tribuatur. *Ibidem.*

Concilium Pampelonense, an. 1032.

Adfuere concilio huic Episcopi septem cum rege Sancio, ejus sponsa, & quatuor ex eorum filiis. In eo restituta est Pampelonensis episcopalis sedes quæ ad Leyriæ in Hispania monasterium translata fuerat, quia Barbari Pampelonensem ecclesiam diruerant. Ut autem episcopatus hic semper in posterum a viris merito præstantibus occuparetur, rectusque ordo jam institutus in monasterio servaretur, & ad alia regni monasteria propagaretur, statuit concilium, ut Pampelonensis Episcopus e Leyriæ monachis sumeretur, & a comprovincialibus Episcopis eligeretur; Episcopus vero, ante ordinationem, Deo sanctæque Virgini, Pampelonensis ecclesiæ patronæ futurum promitteret, ut ipse catholicam fidem profiteretur, constanterque eam prædicaret; catechizaret baptizaretque secundum sanctos canones; sacros ordines gratis conferret; omnia Episcopi officia fideliter exequeretur; diu noctuque divina officia celebraret, fidemque regi servaret.

Animadvertendum est hoc Pampelonense concilium quod Baronius & Labbæus ad an. 1032. referunt, Cardinalis Aguirræi & Mabillonii sententia, Septembri mense an. 1023. habitum fuisse.

Concilium Romanum, an. 1047.

Præfuit concilio huic summus Pontifex Clemens II. In eoque inter Ravennatensem, Mediolanensem & Aquilejensem archiepiscopos de potestate contentionem finiit. Hi singuli tres id sibi sumebant, ut Papæ ad dexteram assiderent; at hæc prærogativa Ravennatensi archiepiscopo adjudicata fuit. Data est opera, in eodem concilio, ut simonia ex Occidentis ecclesiis expelleretur, ubi acertime grassabatur.

Concilium Telujesiense in Alnensi Diœcesi, Arulense, an. 1047.

Refertur concilium hoc, in generali Conciliorum Collectione, ad an. 1027. At auctor novæ historiæ Languedociæ, seu Occitaniæ, ostendit illud habitum fuisse solum an. 1047. postremo anno viventis Olivæ, Ausonnensis seu Vicensis Episcopi qui eidem præfuit, absente diœcesano Episcopo Berengario qui se ad sancta loca invisenda contulerat. Ejus acta nobis Baluzius in suis ad libri quarti *de Concordia Sacerdotii & Imperii* vicesimum quartum caput additionibus dedit; eaque hinc in Conciliorum Collectionem migrarunt.

Statuunt acta hæc, ut, in toto Ruscinonensi Comitatu, suum nemo inimicum aggrediatur a Sabbati hora nona ad usque feriæ secundæ horam primam, quo quisque congruum honorem diei dominico exhibere possit; nec magis cuipiam licere vult, ulla prorsus ratione aggredi clericum aut monachum sine armis incedentes, vel hominem qui ad ecclesiam pergit, aut ex ea redit, aut cum feminis ambulat, vel ecclesiam, vel domos ad triginta circum passuum distantiam; prohibitio hæc anathematis pœnam adjunctam habet. Eidem pœnæ subduntur qui potiuntur ecclesiarum & monasteriorum bonis; qui consanguineam ad sextum gradum usque sibi conjugem addunt; qui cum excommunicatis communicant, scilicet, eos alloquuntur, cum iis bibunt & comedunt, iis pacis osculum dant, & si forte in excommunicatione moriantur, iis sepulturam præbent, & pro iisdem orant. At tridui preces concilium ad peccatorum resipiscentiam indicit.

Galliæ concilia plura, aliquot ante hoc annis habita, paulo longius inducias seu treguam produxerant, cujus spatio nemo non suum adversarium aggredi prohibebatur, quæque *Dei tregua* nuncupabatur, seu quia dies eidem addictos decoraverat alicujus mysterii perfectio, seu quia eam Deus pluribus ad exemplum punitionibus super iis approbasse a quibus violata fuerat, censebatur. Incipiebat tregua hæc a vespere feriæ quartæ, & in sequentis feriæ secundæ mane solummodo desinebat; perque omne tempus hoc, nemo poterat ullam injuriam ulcisci, quempiam vi capere, cautionis pignus exigere, secus, eam pœnam subiturus, ut excommunicationem subiret, & e regione pelleretur, aut legum compositionem solveret, quippe qui mortem meruisset.

Concilium Remense, an. 1049.

Leo Papa IX. cum, an. 1049. ex urbe Roma in Galliam venisset, die 29. Septembris ejusdem anni Remos se contulit, Trevirensi, Lugdunensi & Vesontionensi archiepiscopis comitantibus, ab Herimaro, sancti Remigii abbate, rogatus, ut ne renueret ad novæ quam erexerat ecclesiæ dedicationem peragendam pergere. Perfecit Papa primis duobus Octobris diebus cæremoniam hanc, cum translationem corporis S. Remigii peregisset; tertioque die, in eadem ecclesia concilium habuit. Huic adfuere Episcopi viginti, abbates quinquaginta, aliique ecclesiastici numero plurimi. Simonia grassabatur in Gallia; ibi functiones edebant laici, quæ non nisi ad clericos pertinebant; potiebantur ecclesiis, aut exactionibus eas divexabant; incestuosa vel adulterina matrimonia ibidem communia erant; cernebantur monachi & clerici suum habitum suamque professionem deserere & arma ferre; crebræ direptiones erant; disseminari non unius generis hæreses incipiebant. Id sibi Papa hoc in concilio proposuit, ut singulis his abusibus remedium afferret. Præsentes Episcopos, an eorum quispiam ordines per simoniam contulisset, aut suscepisset, edicere jussit; suam plures innocentiam testati sunt; Remensis archiepiscopus, simoniæ pluriumque aliorum criminum accusatus, satis sibi temporis petiit, ut se purgaret, quod ei concessum ad concilium usque quod Romæ, sequentis anni medio Aprili mense, habendum erat; Episcopus Lingonensis, simoniæ convictus, excommunicatione perculsus fuit; Nivernensis vero quem ut parentes Episcopum facerent, eo inscio, pecuniam dederant, pedum pontificium, seu pastoralem baculum ad Papæ pedes abjecit, qui, e concilii sententia, episcopales, alio dato baculo, functiones eidem reddidit; Nannetensis Episcopus se simoniæ reum fassus, episcopalibus functionibus privatus fuit; ei sublati annulus & baculus, at relicta presbyteralium functionum exercitatio. Episcopi qui ad concilium acciti non venerant, excommunicatione perculsi, itemque abbas S. Medardi, qui, haud petita venia, recesserat, & Archiepiscopus S. Jacobi in Gallæcia, qui sibi Apostolici titulum, Papæ reservatum sumebat. Ut abusibus occurreretur qui tunc in Gallia grassabantur, instaurata fuere decreta vetera quæ hæc spectabant, per sequentes canones duodecim.

1. Ad ecclesiasticas dignitates evehetur nemo nisi per cleri populique suffragia.

2. Interdictio, ne ordinationes, ecclesiastica ministeria, ecclesiæ vel altaria emantur aut vendantur, ea statuta pœna, ut ab Episcopo, quicunque id egerit, puniatur.

3. In laicos interdictio, ne ecclesias possideant, aut sacro ministerio se immisceant.

4. Nemo præter Episcopum ejusve ministros, percipere

pere poterit jura nonnulla per consuetudinem in ecclesiarum atriis firmata.

5. Interdictio, ne quid ob sepulturam, ob baptismum, vel ob eucharistiam exigatur.

6. Clerici nec arma deferent, nec ad bellum ibunt.

7. Nec clerici nec laici pecuniam fœnori dabunt.

8. Clerici & monachi nec habitum nec professionem deferent.

9. & 10. Ne vexentur clerici aut pauperes, interdictio.

11. Suam quisque consanguineam prohibitus sibi conjugem sumere.

12. Interdictio, ne quis legitimam conjugem deserat, ut aliam ducat.

Papa deinde novis hæreticis qui in Gallia prodierant, omnibusque qui iisdam patrocinarentur, anathema dixit. Hi quidem hæretici non nominantur; fuisse videntur Manichæi quidam, aut Berengarii discipuli, qui incipiebant doctores agere, suaque dogmata disseminare. Spoliavit etiam communione nominatim primorum quosdam qui illegitima matrimonia contraxerant; vetatque. consanguinitatis causâ, ne Guillelmus, Normanniæ dux, cum Balduini, Belgii comitis, filia conjugium ineat. *Ibid.*

Concilium Moguntinum, an. 1049.

Summus Pontifex Leo IX., cum Moguntiam pervenisset, concilium hoc quod in Remensi indixerat, congregavit.

Adam Bremensis Moguntino concilio *generalis* titulum tribuit, quia e tota Germania conflatum fuit. Ad illud plures quam quadraginta venere, cum archiepiscopi tum episcopi. Sua hoc ipsum præsentia decoravit Imperator Henricus, præcipuis imperii proceribus eum comitantibus. Hic Princeps, Papa operam dante, cum Godefriddo Lotharingiæ duce in gratiam rediit. Simonia & incontinentia clericorum damnatæ fuerunt, editæque nonnullæ aliæ ad Ecclesiæ utilitatem constitutiones quæ nec in coævis Scriptoribus, nec in Collectionibus Conciliorum leguntur. *Ibid.*

Concilium Rothomagense, an. 1049. *seu* 1050.

Maugerus, archiepiscopus Rothomagensis, cum Hugone Eboricarum, & Roberto Constantiæ, seu Augustæ Romanduorum Episcopis, qui duo ex ejusdem suffraganeis erant, habuit concilium hoc, ad an. 1049. aut 1050. Hi Præsules edidere novendecim canones qui sequuntur.

1. Jubetur quisque catholicæ Ecclesiæ symbolo mordicus adhærere.

2. Interdicitur, ne quis Principi vel ejus ministris munera tribuat, ut episcopatum obtineat.

3. Prohibentur Episcopi ab una ad aliam ecclesiam, ambitionis causâ, transire. In ejusmodi translationibus, Episcopi sibi præsidium quærebant e quodam Evangelii textu perperam intellecto in quo Christus Dominus Apostolis suis præcipit, ut, ad evitandam persecutionem, ab una ad aliam urbem transeant.

4. & 5. In monachos interdictio, ne pecuniam dent, ut ad abbatis dignitatem perveniant; itemque in Episcopos & abbates, ne confratres supplantent, ut se in eorum locum intrudant.

6. & 7. In Episcopos eorumque officiarios interdictio, ne quid ob ordinationes exigant.

8. Nullus clericus ordinabitur, quin ætatem attigerit quam canones postulant, & necessaria scientia instructus sit.

9. Episcopus non poterit alienæ diœceseos clericum ordinare, sine commendatitiis, aut dimissoriis diœcesani Episcopi litteris.

10. In Episcopos interdictio, ne laicis clericorum stipendia aut bona tribuant.

11. 12. & 13. In ecclesiasticos interdictio, ne se mutuo, alii scilicet alios supplantent.

14. 15. & 16. Interdictio, ne quid ob sanctum Chrisma, ob ecclesiarum dedicationem, & ob administrationem baptismatis exigatur. Nihilominus, in posteriore hac duplici facti specie, id quod suapte ipsi sponte fideles offerent, recipi poterit.

17. Diebus octo quibus recens baptizati candidam vestem gerunt, non alii legi subeunt, quam ut suos cereos offerant linteumque quod eorum caput obtegit, sancti chrismatis causâ; nisi velint aliquod aliud munus ultro erogare.

18. Prohibetur, depositionis indicta pœna, ne pœnitentia peccatoribus imposita, ob pecuniam, imminuatur aut augeatur; mandaturque, ut eadem ad culpæ gravitatem & ad naturæ vires exigatur.

Huic constitutioni locum præbuit presbyterorum avaritia qua ferebantur, ut pro pecuniæ ratione quam trahebant ex pœnitentibus, leviorem aut graviorem pœnitentiam iisdem imponerent.

19. Ibunt novi baptizati per octo dierum spatium candidis induti vestibus, accensosque cereos deferentes, ad eam ecclesiam in qua baptismum susceperint. *Ibid.* & Bessinius, in *Concil. Norm.*

Concilium Coyacense, in Hispania, an. 1050.

Ferdinandus I. cognomento Magnus, Legionis & Castellæ rex concilium hoc an. 1050. Coyaci in Oveti diœcesi, congregari jussit. Ei adfuit ipse cum Episcopis novem, regina Sancia conjuge, abbatibus pluribus, & regni primoribus. Edidit concilium canones tredecim.

1. & 2. Jubentur Episcopi suis in Ecclesiis residere, ut ibi accurate suum munus suis cum clericis obeant; itemque abbates & abbatissæ perficere, ut in monasteriis quibus præsunt, S. Benedicti regula custodiatur; Episcopis subdi, nec alterius monasterii religiosos aut religiosas, sine abbatis aut abbatissæ venia, recipere.

3. Ubi ecclesiæ hisque deservientes clerici sub Episcopi jurisdictione fuerint, laicis in easdem ecclesias, in eosdemque clericos nulla potestas erit. In ligneo vel ex argilla confecto calice sacrificium non offeretur. In mysteriorum celebratione presbyteri deferent amictum, albam, cingulum, stolam, casulam, manipulum; diaconi, amictum, albam, cingulum, stolam, casulam, manipulum. Lapideum prorsus altare erit, & quidem ab Episcopo consecratum; hostia ex puro putoque tritico; vinum & aqua nitida; altare decenti linteo tectum cui imponetur corporale super quo calix collocetur. In presbyteros & diaconos interdictio; ne arma ferant, ne minus decentibus aut plurium colorum indumentis utantur; ne cum aliis quam per canones præscriptis feminis degant; rasa barba, & capillis in coronæ formam compositis esse jubentur; juventutis institutio clericis demandatur.

4. Monentur archidiaconi & presbyteri, ut ad pœnitentiam hortentur adulteros, homicidas & peccatores cæteros, & ab Ecclesia atque a communione separationem impœnitentibus minitentur.

5. Ad Quatuor Tempora, archidiaconi, ordinationis ergo, clericos præsentabunt, qui universum psalterium, hymnos, cantica, epistolas, evangelia & orationes probe calleant. Non ibunt presbyteri ad nuptiarum convivium, nisi ut iis benedicant. Clerici & laici ad prandium vocati, quod post exequias instruitur, ita defuncti panem comedent, ut ad ejusdem animæ requiem bonum aliquod opus agant, causâ exempli, pauperes & infirmos ad idem prandium convocent.

6. Dominici diei cultus incipiet a sabbati vesperis; postridie fideles Missæ omnibusque horis intererunt; abstinebunt ab omni servili opere; non iter agent, nisi precum causâ, vel ut ægrotos invisant, ut mortuos sepulturæ dent, ut vacent Regis servitio, ut cum Saracenis pugnent. Qui e Christianis cum Judæo versabitur aut comedet, septem dierum spatio pœnitentiam peraget. Si nolit ei se subdere, communione ad annum privabitur, si conditione præstat, aut punietur virgarum ictibus centum, si e vulgo est.

7. Comites & proceres populum e justitiæ legibus regent, nec in judicium nisi oculatos aut auritos testes recipient. Falsos testes acriter punient.

8. In Leonis, Gallecïæ, Asturiæ & Portugalliæ, tribuetur jus ex Alphonsi legibus; & in Castella, e Sancii lege.

9. Triennalis præscriptio locum non habebit quoad ecclesias, ex canonibus & Gothorum legibus.

10. Qui terras sevit, aut vineam coluit, earum fructus colliget provisionis in modum, ad litis supremum usque super fundi proprietate judicium; tum vero, si evictus fuerit, proprietario fructus reddet.

11. Christiani omnes jejunabunt feriis sextis.

12. Interdictio, ne vi extrahantur qui in ecclesias confugerunt, atque adeo ad triginta passus ab ecclesia, nisi obstricta fide fore, ut ne omnino lædantur.

13. Subditi Ferdinando regi, ut olim Alphonso & Sancio, fideles & dicto audientes erunt. *Ibid.* & *de Aguirre, Concil. Hispan. Tom. IV.*

Concilium Narbonense, an. 1054.

Guifriddus, archiepiscopus Narbonensis, coegit concilium hoc, Augusti die 25. an. 1054. cui adfuere Episcopi decem, magnusque abbatum, clericorum & procerum numerus; & in quo editi canones undetriginta.

1. Homicidium omnibus Christifidelibus interdicitur.

2. 3. 4. & 5. Mandatur, ut quæ dicitur tregua Dei, serve-

servetur a vesperis feriæ quartæ ad usque mane feriæ secundæ post solis ortum; ab Adventus dominica prima ad Epiphaniæ octavam usque; a dominica Quinquagesimæ ad octavam Paschatis; a dominica quæ Ascensionem præcedit, ad Pentecostes octavam usque; festis diebus B. Virginis, S. Petri, S. Laurentii, S. Michaelis, omnium Sanctorum, S. Martini, sanctorum Justi & Pastoris, Titularium ecclesiæ Narbonensis; omnibusque jejunii per annum diebus, sub anathematis perpetuique exilii pœna.

6. Qui damnum aliquod passi fuerint, apud Episcopum, vel apud judices ab eo designatos sibi jus petent, &, pro culpæ gravitate, statuetur in reos vel aquæ frigidæ judicium, vel exilium.

7. Qui arcem construere voluerit, non id poterit nisi diebus quindecim ante tempus ad inducias seu treguam præscriptum.

8. Debitores qui solvere renuent, ex Ecclesia expellentur, nullumque officium in eorum parœcia peragetur, quoad suis ipsis debitis fecerint satis.

9. Vetatur oleas cædi, quippe quæ sancto Chrismati ecclesiarumque luminaribus materiam suppeditant.

10. Semper & ubique pastores & eorum oves induciarum seu treguæ securitate gaudebunt.

11. Eadem erit ecclesiarum, domorumque ad triginta circum passus existentium, bonorum, terrarum redituumque ab iisdem ecclesiis pendentium ratio.

12. Nemo non prohibetur ullius ecclesiæ terras aut merces invadere, sine ejus venia, ad quem ipsa ecclesia pertinet.

13. Synodalia jura quæ presbyteri Episcopis solvunt, laici, sine Episcoporum nutu, sibi vindicare non poterunt.

14. Nec magis poterunt sibi sumere primitias, oblationes & clericorum retributiones, quæcunque tandem fuerint jura ob cœmeteria, ova quæ presbyteris offeruntur, aut quæ iisdem, Feria quinta hebdomadæ sanctæ, per aquæ & salis aspersionem benedicenda exhibentur, itemque retributiones clericis debitas ob tricesimi diei officium pro defunctis ab iisdem editum. Id nimirum hoc in canone per *trigentarii* vocabulum designatur.

15. Interdictio, ne quis bonis ad clericos, ad monachos, ad religiosas, ad feminas, & ad eorum comites qui arma non deferunt, pertinentibus potiatur.

16. & 17. Interdictio, ne sumantur aut retineantur, quocunque demum titulo, canonicorum, monachorum aut religiosarum terræ, vineæ, prædia, sine Episcoporum, abbatum aut canonicorum consensu.

18. In eos quibus lites sunt, interdictio, ne facti vias ineant, ut ipsi sibi jus reddant, antequam causa, præsente Episcopo, seu loci domino, dijudicata fuerit.

Reliqui canones prohibent, ne mercatores aut peregrini expolientur, neve cuipiam injuria inferatur, in eos qui per induciarum seu treguæ tempus absona perpetraverint, statuta pœna, ut ab Ecclesia segregentur, quoad satis omnino fecerint. *Ibid.*

Concilium Lexoviense, an. 1055.

Hermenfriddus, Sionii in Valesia Episcopus, huic concilio præfuit. In eo accusatus Maugerius, Rothomagensis Archiepiscopus qui ecclesiam suam spoliasset, ejusque bona per effusionem dissipasset, qui incontinenter viveret; qui erga sanctam sedem observantiæ deesset. His proinde accusationibus rite probatis, Episcoporum qui concilio aderant, unanimi consensu, Maugerius depositus, in ejusque locum Maurillus suffectus fuit. Habuit novus Archiepiscopus nonnulla concilia quibus remedium afferre studuit abusibus qui, sub ejus decessoribus, in Ecclesiæ disciplinam irrepserant. Habitum eorum primum, eodem anno, Rothomagi, cujus acta haud nobis suppetunt, alterum Cadoni habitum, Alexandro III. pontifice, Guillelmi II. Normanniæ ducis jussu; cui omnes Normanniæ Episcopi, abbates & procerum primi adfuere; & in quo tres editi canones. Horum 1. mandat abbatibus & prælatis cæteris qui ruri degebant, ut in urbes suis monasteriis proximas se reciperent, ne errantem vagamque, cum fidelium scandalo, vitam ducere viderentur. 2. Æs campanum diebus singulis ad vesperas pulsari jubet, quo quisque ad Deum orandum excitetur, moneaturque januam claudere, nec amplius egredi; quod *ignitegium*, ignis tectus, ignis operculum appellabatur; quem usum induxit Guillelmus II. Angliæ rex, & Normanniæ dux, ut nocturnis furtis occurreret. Canon 3. facinorosos homines ex legibus puniri jubet.

Concilium præterea Maurillus, an. 1063. Rothomagi, ad suæ cathedralis ecclesiæ dedicationem habuit. Huic omnes ejus suffraganei interfuerunt; in eodemque instaurata statuta vetera super clericorum vita, superque continentia peculiariter, ab iis servanda.

Referunt ad hoc concilium auctorum aliqui professionis fidei formulam, in Berengarii, quoad Eucharistiam, errores, sub id tempus, editam, & his verbis conceptam: *Oportet etiam, fratres charissimi, ut fides vestra de corpore & sanguine Domini, quam, præsidente huic sanctæ sedi venerabilis memoriæ Maurillo, communi assensu, contra spurcissimos Berengarii, ejusque sequacium latratus diffinitis, iterum recitetur: Corde credimus, & ore profitemur panem in mensa dominica propositum, panem tantummodo esse ante consecrationem, sed in ipsa consecratione, ineffabili potentia divinitatis, converti naturam & substantiam panis in naturam & substantiam carnis; carnis vero non ullius alterius, sed illius quæ concepta est de Spiritu Sancto, nata ex Maria Virgine, quæ etiam propter nos & propter nostram salutem flagellis cæsa, jacuit in sepulcro, tertia die resurrexit a mortuis, & sedet ad dexteram Dei Patris; similiter vinum quod aquæ mixtum in calice sanctificandum proponitur, vere & essentialiter converti in eum sanguinem qui per lanceam militis de vulnere dominici lateris in redemptionem mundi feliciter emanavit. Anathematisamus autem omnes contra hanc sanctam & apostolicam fidem superbe atque hæretice sentientes, & impia temeritate garrientes*, Bessinius, *in Concil. Norman.*

Concilium Tolosanum, an. 1056.

Summus Pontifex Victor II. concilium hoc, Septembri mense, a suis legatis, Raimboldo Arelatensi, & Pontio Aqui-sextiensi Archiepiscopis habitum voluit. Ei Guifriddus seu Wifriddus Narbonensis, Arnoldus Tolosanus, aliique Episcopi numero quatuordecim adfuere. Berengarius, vice-comes Narbonensis, de Guifriddo, archiepiscopo suo, questus est, se nempe, quamvis ad archiepiscopatum, per centum mille assium summam, ei obtinendum contulisset, ab eodem indigne habitum, magnoque instructo exercitu impetitum fuisse; eum ecclesiæ & canonicorum terras laicis dedisse qui in ipsius gratiam arma ferebant; eumdem Guillelmo fratri, centum mille solutis assibus, Urgelitanum episcopatum emisse; atque, ut hanc summam conficeret, ecclesiæ suæ aurea & argentea vasa, libros, cappas & alia ornamenta Hispanis Judæis vendidisse. Accusavit præterea archiepiscopum qui Dei treguam, postquam juraverat, violasset; qui pecuniam ob collatos ordines consecratasque ecclesias exigeret; qui denique eum, conjugem, ipsiusque omnes terras anathemate perculisset. Vice-comitis querelæ quis exitus fuerit, haud in comperto est; at concilium tredecim canones edidit, quorum nonnulli ad prava Guifriddi consilia referuntur.

1. Statuitur dignitatis in eos privatio qui ordinationem, per pecuniam, seu susceperint, seu contulerint.

2. Interdicitur, ne quis ordinetur Episcopus, abbas aut presbyter, ante ætatem annorum triginta; & diaconus, ante ætatem annorum viginti quinque.

3. Interdictio, ne quid ob ecclesiæ dedicationem sumatur.

4. Interdictio, ne quid detur, ut beneficium obtineatur.

5. Qui suum inter monachos nomen dederit, eo animo, ut abbatiam assequatur, ad hanc dignitatem promoveri nunquam poterit.

6. Sancti Benedicti regulam abbates in suis monasteriis servandam curabunt, victum vestitumque suis monachis secundum hanc regulam suppeditabunt, impedientque, ne quis eorum quicquam proprietatis jure possideat; nullus autem monachus, absque abbatis voluntate, præposituram tenebit.

7. Privabuntur honoris gradu officioque presbyteri, diaconi cæterique clerici qui noluerint cœlibatus legibus vivere.

8. & 9. In laicos, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne cujus ecclesiastici beneficii, ne sacristæ quidem aut scholæ magistri, fructus percipiant aut retrahant, neve defunctorum bonis potiantur; hæc enim tribuenda ex eorum ultima voluntate, aut si intestati occubuerint, prout hæredibus visum fuerit.

10. Ecclesiæ a cathedrali pendentes solvent Episcopo & clericis consueta jura, tertiam nempe suorum proventuum partem; quæ vero non solvent, suarum decimarum & oblationum quæ iisdem factæ pro mortuis fuerint, tertiam partem Episcopo & clericis dabunt. . . . . . .

11. Si

11. Si eædem ecclesiæ in dominorum laicorum hæreditario prædio, seu libera possessione fuerint, decimarum oblationumque pars tertia presbytero & clericis cedet, qui iis deserviunt.

12. & 13. Excommunicatione plectuntur adulteri, incestuosi, perjuri, quibusque cum excommunicatis commercium est, nisi forte eos arguendi & monendi causa, ut se corrigant. *Reg. Tom. XXV. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VI.*

Concilium Compostelanum, *an.* 1056.

Cardinalis Aguirræus hujus concilii statuta in lucem primus emisit. At Cresconium concilii præsidem nuncupans archiepiscopum Compostellanum, cum Baronio, hallucinatur. Nunquam aliam quam Iriæ, seu Pradonis in Gallecia, sedem tenuit Cresconius; atque, in Coyacensi concilio, an. 1050. Iriæ episcopus nominatur; præterea, Compostella in archiepiscopatum erecta non fuit nisi sub Calixto II. cui solum an. 1119. papalis collata dignitas; cum antea archiepiscopalis sedes esset Emerita. Præsules qui Compostellam convenerant, decreverunt, ut Episcopi & presbyteri quotidie Missam dicerent; &, quoties jejunia & processiones publicæ ad peccatorum expiationem indicerentur, sibi cilicium clerici induerent.

Idem Cardinalis qui alterum Compostellæ concilium ponit, an. 1030. cui tribuit canones seu statuta sex quæ sub hoc an. 1056. Compostellano concilio, iisdem propemodum verbis, repetit.

1. In omnibus cathedralibus ecclesiis, aderunt, secundum sanctos canones, canonici, e cleri consensu, ab Episcopo electi. Orabunt hi celebrabuntque in eadem ecclesia; unum omnibus triclinium, dormitorium unum erit. Servabunt iidem silentium mensæ tempore, in eaque sanctis solum lectionibus locus erit. Descendet eorum habitus ad talos usque; apud se cilicium habebunt singuli quod ferent Decembri toto qui litaniarum mensis est, omnibus quartis & sextis feriis, & pœnitentiæ diebus omnibus. Psalmos saltem quinquaginta, cum prima, tertia, sexta, vesperis, completorio, & noctu matutinis, in dies singulos recitabunt. Sibi dabunt in Missis omnibus invicem pacis osculum, cum diaconus dicet: *Inter vos pacem tradite*; & eorum quisque offeret munus aliquod, pro suis facultatibus, solemnium communionum diebus, cujusmodi sunt Natalis Domini, Paschatis & Pentecostes.

2. In quaque diœcesi eligentur abbates qui sciant mysterii sanctæ Trinitatis rationem reddere, divinisque Scripturis & sanctis Canonibus imbuti sint. Abbates hi suis in canonicis ecclesiis scholas instituent, in quibus per eorum operam tam accurate disciplina vigeat, ut eædem possint dignos quos Episcopus ordinet, alumnos suppeditare. Subdiaconi ætas erit annorum octodecim; diaconi, viginti quinque; presbyteri, triginta; omnesque psalterium & quicquid eorum ministerium spectat, perfecte scient. Nihil agent quod simoniam oleat; non arma deferent; erunt abrasa barba, capillisque, in coronæ formam, ad capitis verticem, amputatis.

3. Cruces, ciboria, calices argentea erunt. Libri, totius anni officium continentes ecclesiis singulis præsto erunt. Extraneæ feminæ nec apud Episcopum, nec apud monachos versabuntur, nulloque cum iisdem commercio jungentur. Christiani singuli Symbolum & Orationem dominicam scire debent. Eorum nullus habebit uxores duas, aut fratris conjugem, sub excommunicationis pœna.

4. Quicunque religiosæ vitæ consecrati fuerint, hanc accurate servabunt, nec ad civilem societatem redibunt; si quis eorum ad hanc redierit, excommunicationi suberit, quoad in pristinum statum se restituerit.

5. Judices non oppriment populos, at cum æquitate & bonitate judicabunt, nec munera accipient. Christiani omnes ab auguriis, a veneficiis, & ab omnis generis superstitionibus abstinebunt.

6. Consanguinei qui inter se matrimonium inierunt, separabuntur, aut excommunicationi subdentur. De Aguirre, *Concil. Hispan. Tom. IV.*

Concilium Romanum, *an.* 1059.

Nicolaus Papa II. coactum voluit concilium hoc, Aprili mense an. 1059. in basilica Constantiniana, scilicet in S. Joannis Lateranensis ecclesia. Adfuere cœtui Episcopi numero centum tredecim; adfuit & Berengarius qui realem Christi Domini in sancta Eucharistia præsentiam negabat; eum Albericus, Montis Cassini monachus, & Lanfrancus scite admodum & solide confutarunt. Manus dedit Berengarius; se credere & subscriptione firmare quicquid ei Papa & concilium præscriberent, paratum dixit; accendit ignem ipse, in eumque projecit opera quæ ejus errores continebant, cum Joannis Scoti libro e quo eos hauserat. Sua deinde manu signavit, juravitque viva voce professionem fidei his verbis conceptam: „ Ego Berengarius, „ diaconus indignus Ecclesiæ S. Mauritii Andegavensis, agnoscens in præsentia veram fidem, fidem apostolicam, anathematizo omnem hæresin, & peculiariter eam cujus hactenus accusatus fui, quæ docet „ panem & vinum, ad altare oblata, esse solummodo „ sacramentum post consecrationem, non autem Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi; nec „ tangi posse sacerdotum manibus, nec a fidelibus comedi, nisi in sacramenti formam. Amplector sanctæ „ Romanæ Ecclesiæ & apostolicæ sedis sensa, confiteorque ore & corde, me, super Eucharistiæ sacramento, fidem tenere quam dominus Papa Nicolaus, „ & hoc sanctum concilium definierunt & me docuerunt; videlicet, panem & vinum, ad altare oblata, „ esse, post consecrationem, non solum sacramentum „ quoddam, sed etiam verum Corpus & verum Sanguinem Domini nostri Jesu Christi; & hoc corpus „ tangi sacerdotum manibus, non solum in sacramenti „ modum, sed reapse & e veritate; id juro per sanctam & consubstantialem Trinitatem, & per sancta „ Evangelia. Eos æterno anathemate dignos pronuntio, qui ab hac fide recedent, itemque eorum sectatores; & si quid unquam contra docuerim, summo canonum juri obnoxius sim. Scriptum hoc, postquam legi et relegi, omnino volens ac lubens signavi. "

Sequentes deinde canones tredecim concilium edidit.

1. In Papæ electione potior erit Cardinalibus pars; & si quis sanctam Sedem conscenderet, quin unanimiter & canonice a Cardinalibus, e cæterorum ordinum cleri laicorumque consensu, electus esset, is quidem non tamquam Papa, sed tamquam intrusus spectaretur.

2. Ad Papæ vel Episcopi mortem, nemo potietur eorumdem bonis, sed ea successoribus servabuntur.

3. Non audietur Missa presbyteri notorie concubinarii; & quicunque e presbyteris, diaconis & subdiaconis, post Papæ Leonis IX. Constitutionem, concubinam sumpserit aut retinuerit, prohibebitur Missam celebrare; in ea Evangelium vel Epistolam legere, officii tempore in sanctuario consistere, suamque ex ecclesiæ redditibus partem percipere.

4. Qui iisdem ordinibus insigniti, secundum eamdem Constitutionem, continentiam servarunt, considebunt ad eamdem mensam, cubabunt in eodem loco, & quicquid ex ecclesia iisdem obtingit, in commune conferent.

5. Decimæ, primitiæ, vivorumque & mortuorum oblationes accurate a laicis reddentur ecclesiæ, ut in Episcopi dispositione sint.

6. Non utetur clericus opera laici, ut aliquam ecclesiam obtineat, seu gratis, seu per pecuniam.

7. Monachi habitum laicus sibi non sumet, spe, vel obstricta fide se abbatem fore.

8. Unus idemque presbyter non habebit eodem tempore ecclesias duas.

9. Simoniaca nulla ordinatio peragetur, & nulla ecclesiastica dignitas per simoniam obtinebitur.

10. Laici nullum clericum judicabunt, cujuscunque tandem ordinis fuerit.

11. Nemo consanguineam ad septimam generationem usque, sibi conjugem sumet.

12. Excommunicatione plectetur laicus cui eodem tempore & uxor & concubina fuerint.

13. Interdictio, ne laici de repente, & quod ajunt, per saltum ad gradus ecclesiasticos extollantur; congruo tempore probandi sunt, postquam sæcularem habitum deponere jussi fuerint.

Hos canones decretum contra simoniacos editum sequitur, mandans, ut qui gratis ab Episcopis quos simoniacos noverant, ordinati fuere, gradum quem in ecclesia jam tenent, servare possint; at qui deinceps se ab Episcopis quos simoniacos esse scierint, se ordinandos curaverint, deponantur. *Reg. Tom. XXV. Lab. Tom. IX. Harduin. Tom. VI.* & Martenne, in *Collect. Tom. VII.*

Concilia, *Viennense in Delphinatu*, *& Turonense*, *an.* 1060.

Summus Pontifex Nicolaus II. hæc duo concilia per suum legatum Stephanum coacta voluit; Viennense quidem, postrema Januarii, Turonense vero, prima Martii die, ejusdem an. 1060. Utriusque concilii canones iidem sunt ad verba singula; itemque præfatio quæ utrique ad frontem est. Hos canones D. Lucas Ache-

Acheriensis in suis ad Lanfrancum Adnotationibus retulit, Andegavensis concilii nomine; quia, ut quidem videtur, eos legatus Stephanus iterum edidit Andegavi, ubi an. 1067. versabatur. Horum canonum absoluta confensio, variis in urbibus ubi vulgati fuere, conjecturæ locum præbet, eos Legatum aut ex urbe Roma jam editos attulisse, aut ipsum ex constitutionibus in Romano concilio, sub Papa Nicolao II. præscriptis contexuisse; recidunt enim ad eadem prorsus disciplinæ capita. Sunt decem numero, omnesque simoniam, clericorum incontinentiam, incestuosa matrimonia, beneficiorum pluralitatem, monachos apostatas, aliasque depravationes in superioribus conciliis tam sæpe damnatas impetunt. Id in secundo canone peculiare est, si quod ecclesiasticum ministerium eive addictam pensionem Episcopus per simoniam conferat, licere clero obluctari, & ad proximos Episcopos, sanctamve sedem ipsam confugere. Dicuntur ad Turonensis concilii calcem, primo quidem legatus Stephanus, tamquam præses, Papæ nomine, deinde vero Præsules decem, tam archiepiscopi quam episcopi ejus canonibus subscripsisse; hi Præsules haud nominantur. *Ibidem*.

Concilium Osboriense, in Saxonia, an. 1062.

Annon, Coloniensis archiepiscopus cui junioris Henrici regis educatio, ejusque ditionum administratio demandatæ fuerant, coegit concilium hoc 27. Octobris die, in eoque depositum voluit Cadolaum, Parmensem episcopum qui, Imperatricis Agnetis ejusque consilii opera, Basileæ, an. 1061. Nicolao II. vita functo, in Papam electus, *Honorii II.* nomen sumpserat. Perfecit etiam Annon, ut Anselmi Lucensis qui Romæ electus Papa se *Alexandrum II.* nominaverat, electio confirmaretur. Ad hujus Papæ defensionem, S. Petrus Damianus scriptum quoddam, in dialogi modum, Henrici regis advocatum inter & Romanæ Ecclesiæ defensorem elucubraverat, quasi in concilio loquerentur; ac vero quidem simile fit scriptum hoc in eo lectum fuisse. Illud, quam late patet, PP. Labbæus & Harduinus retulerunt.

Concilia Romana, an. 1063. & 1065.

Alexander Papa II. habuit in urbe Roma concilia tria; primum an. 1063. & alia duo an. 1065.

Instauravit in primo, suorum decessorum in simoniacos, concubinarios, ecclesiasticorum bonorum usurpatores decreta; & in reliquis duobus eos damnavit qui contendebant consanguinitatis gradus qui impediebant, quominus matrimonium iniretur, non debere protendi longius quam ad consobrinos germanos usque, scilicet ad fratrum seu sororum filios; & excommunicationis sententiam in incestuosos pronuntiavit.

Concilium Ausciense, an. 1068.

Cardinalis Hugo, cognomento Blancus, ex Hispanica qua functus erat, legatione regressus, Auscis, seu Augustæ Ausciorum, cum archiepiscopo Austindo, suis suffraganeis, abbatibus primoribusque totius Vasconiæ, concilium habuit; in quo edita decreta plura quorum præcipuum fuit, ut omnes per eam regionem ecclesiæ quartam decimarum partem cathedrali solverent. At cum Raymundus, S. Oriensii abbas, ostendisset ecclesias, ab ejus monasterio pendentes, nullam unquam decimam cathedrali solvisse, universum concilium confirmavit exemptionem hanc, in honorem S. Oriensii qui ex Ausciensium archiepiscoporum celeberrimis fuerat, urbisque simul & abbatiæ patronus erat. Eadem exemptio pluribus aliis ecclesiis quæ in concilii actis recensentur, concessa fuit. *Lab. Tom. IX. Hard. Tom. VI.*

Concilium Rothomagense, an. 1072.

Joannes, archiepiscopus Rothomagensis, in ecclesia metropolitana Dominæ Nostræ, hoc provinciale concilium habuit cui Odo Bajocensis, Hugo Lisiacensis, Robertus Sagiensis, Michael Abrinensis, & Gislebertus Eboricensis, cum plerisque Normanniæ abbatibus interfuere. In eo accurate discussum quod nos de sanctæ Trinitatis mysterio catholica fides docet; & unumquodque concilii membrum, super hac re, suam fidei professionem edidit, e Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Chalcedonensis conciliorum definitionibus. Huic fidei professioni quæ ad nos pervenit, Episcopi addidere canones viginti quatuor qui ejusmodi sunt.

Primus. Mandavimus, secuti patrum decreta, ut chrismatis & olei, ad baptismum & ad ægrotantium unctionem, consecratio post nonam fieret. Cum hanc Episcopus consecrationem peragit, ei presbyteri duodecim, aut plures, sacerdotalibus ornati vestibus, adesse debent.

Postulat Romanus ordo hunc duodecim presbyterorum numerum, quos testes & cooperatores mysterii sancti Chrismatis nuncupat.

2. Sanctum chrisma, sancta olea omnino renovari necesse est, nec faciendum quod archidiaconorum aliqui faciunt, quibus exsecranda consuetudo est, ut in vetus chrisma nonnullas tantum novi guttas injiciant.

3. Decani, albis induti, chrismatis sanctorumque oleorum distributionem peragent, attente ac reverenter, in vasibus probe obstructis, ne quid inde depereat.

4. Qui Missam celebrat, in ea ipse non communicare non debet.

5. Cum nulla necessitas urget, presbyter non nisi jejunus baptizare debet; ac tum quidem alba & stola indutus sit, oportet.

In pluribus olim Galliarum Ecclesiis mos obtinebat, ut presbyteri solum jejuni baptizarent, & hora nona qua Christus occubuit, ut ejus mortis & aquæ cum sanguine mixtæ quæ ex ejusdem latere fluxit, mysterium honoraretur. Cernitur id in 33. cujusdam Parisiensis concilii canone, *Tom. II. Conc. Gall.* in quodam Meldensi concilio, apud Burchardum, & in Gratiano, *De Consec. dist.* 5. *cap.* 16 At cum ægre ad tam longum tempus, atque ob baptizandorum infantium multitudinem tam sæpe jejunari posset, mollita est consuetudo hæc, data presbyteri venia, ut mane, inter aut post divinum officium, baptisma conferrent, quin horam nonam, pomeridianas horas tres scilicet, expectarent.

6. Aqua benedicta, & hostiæ consecratæ quæ ad viaticum servantur, octavo quoque die renovari debent. Nonnulli satis habent eas iterum consecrare; quod sub gravibus pœnis vetitum est.

Hujus decreti ratio, quod consecratas hostias, octavo quoque die, renovatas vult, corruptionis periculum est. Hæc lex quæ jam in aliis conciliis pluribus lata fuerat, admodum accurate religioseque, post annum usque 1300. servata est; at deinde abrogata fuit, mandatumque in conciliis bene multis, ut hæc hostiarum renovatio singulis diebus quindecim fieret. Ejusmodi sunt, inter alia, concilia hæc, Lingonense anno 1440. Senonense an. 1524. Carnutense an. 1527. & Burdegalense an. 1584. Jam vero earum hostiarum quæ jam consecratæ fuere, consecrationis renovatio sacrilegium horrendum est, divinæque institutioni contrarium, ex qua quidem has hostias semel tantum, ac dum altaris sacrificium offertur, consecrari licet. Aquæ autem benedictæ, singulis dominicis diebus, renovatio, in Occidentis Ecclesia, perantiqua consuetudine nititur; de ea loquitur Hincmarus in concilio quod an. 864. habitum fuit. Aquam benedictam Græci semel tantum in mense renovant.

7. Episcopus qui Confirmationem tribuit, jejunus sit, oportet, itemque qui eam suscipiunt; & hoc quidem sacramentum sine igne, hoc est, sine cereis accensis administrari non debet.

8. Jejuni pariter erunt tum qui ordines conferent, tum qui eosdem suscipient; perageturque ordinatio nocte sabbati quod primæ Martii mensis hebdomadæ dominicam diem antevertit, vel ipsius dominicæ mane, nisi sabbati jejunium intermissum sit.

9. Quatuor Temporum jejunia religiose servabuntur.

10. Clerici qui ordines furtim & sine proprii Episcopi studio suscipiunt, digni sunt qui deponantur.

11. Qui coronas benedictas habuerunt, easque deserunt, excommunicatione plectentur, quoad fecerint Ecclesiæ satis. Clerici qui ordinari voluerint, Episcopum feria quinta convenient.

De tonsura seu corona clericali canon hic intelligi debet. Concilium excommunicatos clericos vult qui desistunt tonsuram seu coronam clericalem ferre, quæ ab eo quidem, e plurium conciliorum locutione, *corona benedicta* nuncupatur.

12. Errones monachos & moniales Episcopus in sua monasteria regredi coget; abbates vero, si nolint eos recipere quos expulerint, iisdem eleemosynam & alimenta suppeditare debebunt.

13. Ne animarum curæ vendantur & emantur, interdictio.

14. Matrimonia clam, vel a prandio, vel in septimo consanguinitatis gradu celebrari prohibentur, depositionis in presbyterum indicta pœna qui secus egerit. Sponsus ergo & sponsa, jejuni, suscipient in monaste-

nasterio benedictionem presbyteri qui jejunus & ipse erit.

Ecclesia semper a clandestinis matrimoniis abhorruit, ab iis scilicet matrimoniis quæ in facie Ecclesiæ non contrahuntur, nec solemniter a presbytero benedicuntur, prout conciliorum canones & Christianorum Principum leges statuerunt. Harum legum unam, inter alias, nobis dedit Basilius Imperator in jure Græco-Romano, his verbis conceptam: *Nullus secreto coronatur, sed in præsentia plurium*, videlicet, nemo, nisi præsentibus multis, nuptialem benedictionem accipiet. Usui erat verbum *coronari*, ad ipsam nuptialis benedictionis susceptionem significandam, quia, statim ac sponsi hanc presbyteri benedictionem susceperant, coronas capiti impositas deferebant. Presbyterum ergo nuptialem benedictionem tribuentem, itemque sponsos eam suspicientes jejunos esse oportebat; & hæc ceremonia, Missæ tempore, in ecclesia peragebatur; *monasterii* enim vocabulum, hoc in canone adhibitum, *basilicam*, *ecclesiam*, *oratorium*, & quod Galli vulgari sermone *monasterium* dicebant, apud veteres auctores significat.

15. Quoad presbyteros, diaconos & subdiaconos seu conjugatos, seu concubinas habentes, id servabitur quod Lisiacense concilium statuit. Nullam ecclesiam, seu ipsi per se, seu suo nomine per alios administrabunt, nullumque ecclesiæ proventum percipient, hoc est, beneficiis quæ possident, spoliabuntur, altisque possidendis inepti erunt.

16. Nemo poterit, post uxoris suæ mortem, eam ducere, quarum, ea vivente, criminale commercium habuisse accusatus fuerit.

17. Vir cujus uxor velum sumpsit, cum alia, quoad ea vixerit, matrimonium inire non poterit.

18. Femina quæ nubit, absente viro, quia de ejus morte certa sit, excommunicatione punietur.

Ex civilibus legibus, olim feminæ, ut nuberet, satis erat expectare virum per annos quinque, si ab hostibus captus fuerat; quod si miles erat, per annos quatuor, qui subsecutis temporibus ad annos decem producti sunt. At per canonicas leges, mulieri nunquam licebat iterum nubere, quocunque temporis spatio vir absfuisset, nisi ei de hujus morte certus nuntius allatus esset. *Cap. in præsentia de sponsalibus, quamvis septennio & amplius abfuerit, captus ab hostibus*, &c. Justiniani Novella 117. hoc in capite canonico juri concinit; eaque Navarri sententia est hominem præsumi vivere annos centum, nisi probetur eum mortuum est.

19. Clerici qui enormia & publica crimina perpetrarunt, in suas dignitates non restituentur, nisi cum id facere coget necessitas, & postquam longam & seriam pœnitentiam egerint.

20. Opus est Episcopis sex ad presbyterum, & tribus ad diaconum deponendos. Ad has depositiones accitus Episcopus adsit, oportet, aliumve procuratione instructum mittat.

Africani patres legem hanc quam a majoribus acceperant, instaurarunt. Ea sane legitur in Africanæ ecclesiæ codice, & inter Triburiensis concilii canones.

21. Jentaculum, Quadragesimæ tempore, ante horas tres sumi non debet; qui illud antea sumit, non jejunat.

22. Statutum fuit, ne sabbati sancti officium ante pomeridianas horas tres inchoaretur, quia noctis resurrectionis officium est; in eoque proinde canitur *Gloria in excelsis* & *Alleluja*.

23. Si quod festum remitti necesse fuerit, illud quidem non anticipabitur, sed intra octo sequentes dies celebrabitur.

Ex sanctorum Pontificum, Innocentii nimirum & Leonis, decretis, baptisma non nisi Paschatis & Pentecostes sabbatis conferetur, præterquam infantibus qui, quocunque tempore & quacunque die delati fuerint, baptizabuntur; in Epiphaniæ tamen vigilia, dieque ipsa baptismus iis tantum administrabitur, qui in periculo versabuntur.

Decretum cujus hoc in canone mentio fit, non Papæ Innocentii, sed Papæ Siricii est, in *Epist. ad Himerium Tarraconensem. Reg. Tom. XXV. Lab. Tom. IX. Hard. Tom. VI.* & Bessinius, in *Concil. Norman.*

Concilium Romanum, an. 1074.

Habitum est concilium hoc a Papa Gregorio VII. Quadragesimæ die prima dominica an. 1074. Ad illud convenerunt Episcopi quinquaginta, abbatesque & ecclesiastici numero plures; in eodemque ad disciplinæ restitutionem morumque reformationem editi canones viginti quatuor.

1. Continet Gregorii VII. decretalem, contra simoniam & clericorum incontinentiam, Epistolam.

2. Recipiuntur, tamquam quatuor Evangelia, œcumenicorum conciliorum præcipua quatuor, videlicet, Nicænum primum, contra Arium; Constantinopolitanum, contra Eunomium & Macedonium; Ephesinum primum, contra Nestorium; & Chalcedonense, contra Eutychen & Dioscorum.

3. & 4. Constitutionum Apostolicarum aliorumque conciliorum firmatur auctoritas.

5. Fit brevis articulorum enumeratio, qui in Papæ Gregorii VII. Epistola continentur, quoad hujus concilii convocationem, causarumque quæ ad eam mandandam eum impulerunt, scilicet, 1. ut clericos simoniacos omni ecclesiastica functione interdiceret; 2. ut eos ex ecclesia pelleret quam emissent; 3. ut eodem jure cum incontinentibus clericis ageret; 4. ut populos averteret a clericis qui apostolica decreta contemnunt.

6. Renovatur Chalcedonensis concilii canon qui depositionis pœnam pronuntiat in Episcopum qui aliquem, pecuniæ condicto pretio, ordinaverit, in eumque qui in hunc modum ordinatus fuerit, itemque in clericos qui operam ad ejusmodi ordinationem contulerint; laici porro & monachi qui huic eidem rei se miscuerint, anathemate percelluntur.

7. Vetatur simonia, sub anathematis pœna; & quicunque presbyter ecclesiam emerit, sacerdotio deponitur.

8. 9. & 10. Roboratur sacræ Scripturæ auctoritate & Christi exemplo interdictio, ne spiritalia officia vendantur aut emantur, neve quispiam, ulla prorsus ratione, huic sacrilegæ negotiationi se immisceat.

11. Sancti altaris functionibus clerici incontinentes interdicuntur, prohibenturque ullam apud se feminam extraneam habere, secundum concilia Nicænum, Chalcedonense, Neocæsariense, &c.

12. Excommunicatione plectuntur qui clericorum incontinentiam propugnare conantur, Sozomeni, seu potius Ebionis auctoritate.

13. Damnantur minuti quidam sciruli qui ajunt Apostoli verba hæc, *Unusquisque suam uxorem habeat*, de clericis æque ac de laicis intelligenda esse.

14. Afferuntur Sancti Pauli super ordinibus textus duo, quorum primus ducitur ex ejus primæ ad Timotheum Epistolæ capite tertio, alter ex ejusdem ad Titum Epistolæ capite primo.

15. & 16. Insistitur super his Apostoli locis, &, facem præferente S. Hieronymo, ita explicantur, ut, qui ad sacros ordines promoveri voluerit, castitate, inter alias virtutes, fulgere debeat; ut ne ad eos contendere possit, si plures ei conjuges fuerint; eidemque ne liceat earum ullam, cum charactere ministri sanctorum altarium, retinere.

17. & 18. Prohibetur, post Antiochenum & Chalcedonense concilia, ne quis cum clericis communicet qui, ecclesiæ interdicto nihil obstante, suas functiones obire pergunt; & quidem indicta populis qui cum ejusmodi clericis communicant, excommunicationis pœna. Cujus rei ea post S. Gregorium Magnum affertur ratio, quod hujus generis ministri potius ii sunt qui Dei indignationem provocent, ejusque maledictionem in populos pertrahant, quam ut iisdem ejus beneficia & dona promereantur.

19. In bono lumine ponitur Gangrensis concilii canon quartus qui cum superiore statuto pugnare videtur; & ei quidem adhibita explicatio ejusmodi est. Eos anathematizat is canon, qui se a presbytero separant, qui conjugatus fuit, noluntque oblationis seu missæ quam celebravit, participes fieri, ex ejus manu communicantes: *Quicunque discernit a presbytero qui uxorem habuit, quod non oporteat, eo ministrante, de oblatione percipere, anathema sit.* Hujus canonis, inquiunt Romani concilii Patres, ea notio est, ut eos afficiat anathema qui presbyteri oblationem rejiciunt, qui olim conjugatus fuit, non autem eos qui presbyteri oblationem rejiciunt qui reapse conjugatus est, suamque uxorem retinet, ut maritalem in modum eadem utatur; ex Gangrensis enim, inquiunt, concilii prologo ipso compertum sit hæreticos, cujusdam Eustathii sectatores, iis temporibus, extitisse qui matrimonia ipsa quæ maxime legitima erant, tamquam prava damnabant; adeoque presbyterorum oblationes, qui ante ordinationem conjugati fuerant, respuebant; atque hos tantum hæreticos Gangrense concilium excommunicationi subdit, tamquam dogma disseminantes iis Apostoli verbis oppositum: *Si acceperis uxorem, non peccasti. Oportet Episcopum unius uxoris esse* (id est, fuisse) *virum.*

20. 21. & 22. Afferuntur rationes quæ ad hæc decreta contra simoniacos & incontinentes hæreticos edenda im-

da impulerunt, ut eadem sine cunctatione executioni mandentur; nimirum, dandam esse imprimis operam, ut conciliorum sanctorumque Patrum statuta serventur, ac jure sane timendum, ne quibus quispiam per flagitiorum tolerantiam blandiri voluerit, eorum æterna supplicia participet.

23. Est penes Papam jus non Episcopos solum, sed eos etiam easque damnandi qui diœcesanorum titulo iisdem subsunt.

24. Episcoporum diœcesani magis Papæ quam propriis Episcopis obedire debent, quia sui eos Episcopi non possunt Papæ auctoritati subducere, cum eosdem Papa suorum Episcoporum auctoritati subducere possit. *Reg. Tom. XXVI. Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.*

Concilium Rothomagense, an. 1074.

Joannes, archiepiscopus Rothomagensis hoc provinciale concilium habuit, coram Guillelmo, Angliæ rege. Cum porro omnes Episcopi suam fidei professionem edidissent, conditi fuere sequentes canones quindecim.

1. Funditus evellenda est simonia omnis, impediendumque, ne abbatiæ, archidiaconatus, decanatus, aut parochiales ecclesiæ vendantur vel emantur.

2. Nemo, quin diu monasticam vitam professus fuerit, abbas instituetur.

3. Exteri clerici non recipientur, qui non suorum Episcoporum formatis litteris muniti sint; quia plures sane abusus propterea contigere, quod hæc nostrorum patrum doctrina non servaretur.

4. Prohibemus, nixi canonum auctoritate, ne, eadem die, eidem personæ, omnes ordines conferantur ab acolythatu ad presbyteratum usque.

5. Interdictio, ne ordinentur subdiaconi, diaconi & presbyteri, quin apud Episcopum eosque qui hunc circumstant, legitimam professionem edant, prout in Toletanorum conciliorum uno statutum est.

Non edicitur hoc loco, seu quodnam e Toletanis conciliis hanc professionem præcipiat, seu cujusmodi ea ipsa sit. Toletani concilii, an. 531. habiti canon primus mandat, ut pueros, ad clericaturam designatos, cum decimum octavum ætatis annum compleverint, Episcopus interroget, velint, necne, matrimonium inire; ac, si libere se continentiam servaturos promiserint, ætatis anno vicesimo quinto subdiaconos creet. Alterius Toletani concilii, an. 531. celebrati, canon decimus clericos vult, dum ordinantur, de scripto fidem obstringere se Ecclesiæ fidei inviolate addictos fore, recte victuros, contra sanctos canones nihil acturos, suisque superioribus honorem & observantiam exhibituros.

6. Monachus qui turpe crimen aliquod perpetravit, abbas esse non poterit, eademque lex quoad religiosas servabitur.

7. Vigebit, ad eumdem modum, in utriusque sexus monasteriis, S. Benedicti regula, & ibidem silentii custodia restituetur.

8. Ea clerici docebuntur quæ in octavi Toletani concilii octavo canone præscripta sunt.

9. Sepultura & preces Ecclesiæ non iis negabuntur qui subita morte corripiuntur, itemque mulieribus quæ ventrem gerentes aut in puerperio moriuntur. Clerici vero qui sacros ordines deseruerunt, excommunicatione plectentur, nisi apostasiæ pœnitentiam egerint.

Mirum videri debet dubitatum fuisse, concedenda, necne, esset christiana sepultura feminis quæ prægnantes aut in partu mortem occumberent.

10. Qui, ut sibi causam prætexant, quamobrem se ab uxoribus separent, declarant, se, ante initum matrimonium, cum earumdem uxorum sororibus aut consanguineis peccasse, id quod proponunt; in judicio probare debent.

11. Eidem probationi subduntur, qui se dicunt presbyteros ordinatos fuisse, cum nondum omnes inferiores ordines suscepissent, ut Sacerdotium deserere possint.

12. Qui, ob aliquas culpas, a sacris ordinibus depositi fuere, non propterea debent laicorum in modum vivere, perinde ac si non amplius clericaturæ legibus obstricti essent.

13. Ii quorum matrimonium, quia consanguinei sunt, nullum declaratum est, continentiam servare jubentur, quoad novum conjugium cum aliis ineant.

14. In Christianos interdictio, ne Judæos servos, aut Judæas nutrices habeant, ut jam a S. Gregorio Magno prohibitum fuerat. *Ibid.* & Bessinius, in *Concil. Norman.*

Concilium Londinense, an. 1075.

Concilium hoc quod inter nationalia recensetur, operam dante Lanfranco, Cantuariensi archiepiscopo, coactum fuit. Adfuit cœtui Thomas, archiepiscopus Eboracensis; adfuere præterea Anglicani Episcopi undecim, cum Episcopo Constantiæ, seu Augustæ Romanduorum, qui ob terras quas late in Anglia possidebat, in cœtum receptus fuit; adfuere etiam abbates plures. Concilium hoc ad disciplinæ redintegrationem incubuit, atque in hanc rem nonnulla decrevit.

1. Quia, ob intermissa concilia, memoria exciderat, quo singuli Episcopi loco sedere deberent, mandatum fuit, ut cuique sedes ex ordinationis tempore tribueretur; aliter tamen cum iis actum qui sua privilegia probarunt.

2. Statutum, ut omnes monachi e S. Benedicti regula viverent; ad juventutem erudiendam studium operamque conferrent; nihil denique proprietatis titulo possiderent.

3. Jussum est, ut episcopatus tres qui in vicis seu ruribus erant, in urbes transferentur.

4. Instaurati veteres canones qui alterius Episcopi clericum, sine commendatitiis ejusdem litteris recipi, interque consanguineos, in prohibitis gradibus, connubia prohibent. Statutus est etiam quoad presbyteros cœlibatus; & vetita simonia, sortilegia, superstitiones, cujusmodi, inter alias, ea erat qua, in certis quibusdam locis, belluarum ossa suspendebantur, ea obducta causa, ut contagium a cæteris averteretur. Vetiti quoque clerici in judicii ad mortem aut membrorum mutilationem tendentis partem venire. *Ibid.* & *Anglic. I.*

Concilium VVinchestriense, seu Vintoniense, an. 1076.

Concilio huic archiepiscopus Lanfrancus præfuit, & Wultanus, Episcopus Worchestriensis, e Præsulum qui eidem adfuere numero fuit. Hujus concilii canones in tres partes tributi sunt, eosque antevertit decretum prohibens, ne canonici presbyterique rurales apud se feminas habeant; neve Episcopi presbyteros aut diaconos ordinent, quin prius per verba quæ ibidem afferuntur, continentiæ professionem ediderint.

Prima pars continet canones tredecim.

1. & 2. Simonia in episcoporum & abbatum electionibus, atque in ordinationibus prohibetur.

3. Clericis commendatur, ut vitæ rationem ineant quæ eorum statui respondeat.

4. & 5. Episcopi concilia duo quotannis habere debent. Archidiaconos, cæterosque sacros ministros suis in ecclesiis ordinabunt.

6. Episcopi in suarum diœceseon clericos laicosque jurisdictione gaudebunt.

7. Episcopi & presbyteri laicos ad pœnitentiam hortabuntur.

8. Hoc in canone de clericis & monachis apostatis sermo est.

9. Statas sedes habebunt Episcopi, nullamque in Principem conjurationem edent.

10. & 11. Laici decimas solvent, nec sibi sument Ecclesiæ bona.

12. Nullus clericus arma deferet.

13. Nemo non clericos & monachos, qua decet, observantia prosequetur.

Pars altera continet canones sexdecim.

1. Nullus Episcopus duos eodem tempore episcopatus habebit.

2. Nemo per Simoniam ordinabitur.

3. Exteri clerici, sine suorum Episcoporum commendatitiis litteris, non recipientur.

4. Ordinationes statis temporibus peragentur.

5. Lapidea erunt altaria.

6. Missa non celebrabitur, adhibita cervisia vel aqua tantum, sed vino aquæ admixto.

7. Baptismus in Paschate solum & Pentecoste, extra mortis periculum, administrabitur.

8. Sacrum non fiet nisi in ecclesiis ab Episcopo consecratis.

9. Mortui non sepelientur in ecclesiis.

10. Non pulsabitur æs campanum in ipsa Canonis recitatione.

11. Nemo præter Episcopos ob crimina pœnitentiam imponet.

12. Monachi apostatæ excommunicationi subdentur, nec seu in militiam seu in clerum recipientur.

13. Episcopus quisque suam singulis annis synodum celebrabit.

14. Nemo non decimas solvet.

15. Cle-

15. Clerici continentiam ſervabunt, aut deponentur.

16. Nec cerei nec lignei calices erunt.

Pars tertia continet canones tredecim.

1. 2. 3. & 4. Qui in bello occiderit, tot annorum pœnitentiam peraget, quot homines interfecerit. Si percuſſerit, quin ſciret, an enecuerit, quadraginta dierum pœnitentiam toties aget, quot homines percuſſerit. Sin eorum numerum ignorat, quos occiderit aut percuſſerit, unius diei pœnitentiam aget, hebdomadis ſingulis, quoad vivet, ad Epiſcopi voluntatem; aut, ſi poterit, eccleſiam extruet, vel dotabit. Quod ſi percutiendi voluntatem habuit, quin eam tamen exequeretur, pœnitentiam aget trium dierum ſpatio.

5. Clerici qui pugnaverint, aut arma ſumpſerint, ut pugnarent, eam agent pœnitentiam quam agerent, ſi contra patriam peccaſſent, quia per canones prohibentur pugnare. Monachi pœnitentiam agent e propria regula, ſuorumque abbatum judicio.

6. Qui pugnarunt, tamquam ad id mercede conducti, pœnitentiam ut ob homicidium peragent.

7. Qui in publico bello pugnarunt, pœnitentiam agent per annos tres.

8. Sagittarii ſeu balliſtarii qui occiderunt, quin ſcirent, aut percuſſerunt, quin occiderent, per triplex quadraginta dierum ſpatium pœnitentiam agent.

Sequentes canones quatuor homicidarum in multiplici facti ſpecie, itemque adulterorum raptorumque pœnitentiam & ipſi ſtatuunt.

Canon decimus tertius eum qui aliquid eccleſiæ abſtulit, id reddere jubet eidem eccleſiæ, vel alteri, ſi nequeat ei reddere cui furatus eſt. *Ibid.* & *Anglic. I.*

Concilium Pictavienſe, *an.* 1078.

Hugo, Dienſis Epiſcopus & ſanctæ Sedis legatus coegit concilium hoc, invito licet ac repugnante rege Philippo I. qui ad Pictavienſem Comitem ac regni Epiſcopos ſcripſerat, ne legatum concilia cogere paterentur. Die prima concilium in S. Petri, altera in S. Hilarii eccleſiam convenit. In eo dijudicata negotia plura, quæ pene omnia Epiſcoporum qui ſimoniæ convicti, depoſitionem ſpectabant; editique in ipſo ſequentes canones decem.

1. Mandavit ſancta ſynodus, ut ne quis Epiſcopus, abbas aut presbyter epiſcopatus, abbatiæ, vel alterius eccleſiaſticæ dignitatis poſſeſſionem, vel, ut vocant, inveſtituram e Regis, Comitis, ulliuſve laicæ perſonæ manu ſuſciperet. Si decretum hoc laici contempſerint, & violenter eccleſiis potiti fuerint, ipſi quidem excommunicatione plectentur, hæ vero eccleſiæ interdicentur; in iis tantum baptiſmus, pœnitentia & viaticum ægrotantibus conferentur.

2. Nemo beneficia in eccleſiis pluribus poſſidebit, vel, ut eadem obtineat, pecuniam dabit; qua quidem ratione qui eccleſiaſticam dignitatem aliquam obtinuerunt, deponentur.

3. Ad eccleſiaſtica bona nemo conſanguinitatis jure contendere poterit.

4. In Epiſcopos interdictio, ne quid doni ob ordinationes aliaſque ſpiritales functiones accipiant.

5. In abbates, monachos alioſque interdictio, ne pœnitentiam imponant; id poſſunt ii tantum facere quibus hanc provinciam diœceſanus Epiſcopus demandavit.

6. Novas eccleſias, ſine Epiſcoporum conſenſu, abbates, monachi, canonici non acquirent; & presbyter cui erit animarum cura, Epiſcopo ſeu adminiſtrationis rationem reddet.

7. Abbates, decani & archipresbyteri presbyteratu, & archidiaconi diaconatu initiati eſſe debent. Si ad hos ordines promoveri non poſſunt, deponentur.

8. Filii presbyterorum & ſpurii cæteri ad ſacros ordines promoveri non poterunt, niſi inter monachos interve regulares canonicos nomen dent. Prælaturas porro nunquam iidem obtinere poterunt.

9. In presbyteros, diaconos & ſubdiaconos interdictio, ne concubinas habeant. Si quis presbyteri quem ſcit ſimoniacum aut concubinarium eſſe, Miſſam audierit, excommunicationi ſuberit.

10. Clerici qui arma deferunt, & uſurarii excommunicationi ſubduntur. *Ibid.*

Concilia Burdigalenſia, *an.* 1079. & 1080.

Amatus, Oleronenſis, ſeu Eleronenſis, & Hugo Dienſis Epiſcopi, Papæ legati, præfuere concilio huic, cui adfuerunt alii plures ..piſcopi, abbates & clerici. Guillelmus, Pictavii Comes, totiuſque Aquitaniæ dux cœtui ſe ſtitit, petiitque, ut ſibi liceret monaſterium fundare in quo preces ad ejus ſalutem ederentur. Ei proinde data eſt Sanctonenſis diœceſeos eccleſia in qua S. Eutropii epiſcopi corpus quieſcebat; ibique poſiti Cluniacenſes monachi, biennio poſt.

Fundavit præterea Guillelmus dux Scauni Majoris monaſterium quod omni ſervituti exemit. Fundationem hanc in altero concilio quod an. 1080. Burdigalæ habitum fuit, confirmari juſſit. Anonymus Maillezaiſenſis de hoc concilio in ſuo Chronico loquitur ad hunc annum, aitque Berengarium in eo ſuæ doctrinæ rationem reddidiſſe, in eodemque Hugonem, S. Legerii abbatem, depoſitum fuiſſe.

Concilium Julibonenſe, in Normannia, *an.* 1080.

Guillelmus, Angliæ rex & Normanniæ dux coactum voluit concilium hoc, cui ipſe cum indigenis Comitibus cæteriſque proceribus adfuit. Ei præfuit Guillelmus, archiepiſcopus Rothomagenſis. Eidem adfuerunt epiſcopi plures & abbates itidem plures. Edidit concilium canones quadraginta ſex, a Beſſinio in Normanniæ conciliis allati; tredecim tantum in communibus collectionibus recenſentur.

1. Epiſcopi & proceres inducias, ſeu treguam Dei ſartam tectamque ſervabunt, cenſuris cæteriſque pœnis in prævaricatores adhibitis.

2. Perficient, ut canones ad eos ſpectantes qui conſanguineas ſibi conjuges ſumpſerunt, executioni mandentur.

3. Qui ordinibus inſigniti obſtrictique ſunt, canonici, & decani nullam apud ſe feminam detinebunt.

4. Prohibentur laici quicquam ex eccleſiarum proventibus, decimis & ſepulturis ſumere, vel a presbytero ſervitia exigere quæ eum avocent a miniſterio.

5. Prohibentur pariter Epiſcopi eorumque miniſtri presbyteros ad alios ſolvendos cenſus quam qui iiſdem jure debentur, adigere eoſdemque ad pecuniarias mulctas damnare, ob extraneas feminas quas ſecum detinent.

Concilium hoc loco abuſum damnat enormem eum quidem, aut qui paſſim tamen apud eorum temporum Præſules obtinebat, qui parochos patiebantur concubinas habere, dummodo certam quamdam pecuniæ ſummam, in mulctæ modum, iiſdem ſolverent.

6. Archidiaconi, ſemel in anno, parochorum a ſe pendentium indumenta, calices & libros viſitabunt; deſignabit Epiſcopus tria tantum loca, in unoquoque archidiaconatu, ad quæ proximi parochi vocabuntur, ut eas res archidiaconis ob oculos ponant.

7. Cum ejuſmodi viſitationes archidiaconus peraget, presbyteri quos viſitabit, ei legi ſuberunt, ut ei, itemque aliis quatuor eum comitantibus, tridui ſpatio, alimenta ſuppeditent.

8. Si quam vaſtationem presbyter in Regis ejuſve Baronum nemoribus edidit, non erit Epiſcopi de hoc delicto cognoſcere.

Eſt in textu: *forisfacturam fecerit*; ejus ſæculi auctoribus familiare vocabulum, quodque in eorum ſcriptis *crimen*, *delictum*, *tranſgreſſionem*, *injuriam* ſignificat, & e quo Galli *forfaiture* conflarunt. *Forisfactura*, ſeu *forfactura* ſumitur etiam pro *taxa*, & pro *pœna*, ſeu, *mulcta*, ob aliquod delictum impoſita. In hanc ſignificationem ſumitur hoc vocabulum in Sancti Eduardi, Angliæ regis legibus; *Juſtitia* (*hoc eſt*, *juſtitiarius*) *faciat denarium S. Petri reddere*, *&* *forisfacturam Epiſcopi* *&* *Regis*.

9. Quoque ſemel anno, ſub Pentecoſten, parochi, proceſſionis ordine, ad cathedralem eccleſiam venient, ibique offerent, ut luminare ſervetur.

In textu legitur, *cera denerata*, ſeu, *denariata*, ſeu, *denariatis*, ſeu, *denarata*, Vocabulum hoc rei pretium ſignificat, cujus æſtimatio denarii eſt, ut ait P. Sirmundus in ſuis ſuper Piſtenſi edicto Adnotationibus; adeoque *cera denerata* hoc loco ceram ſignificat, cujus valor denarium æquat; atque hinc originem traxit tributi ſpecies quæ cathedralibus eccleſiis ſolvitur.

10. Laici nullum parochum, ſine Epiſcopi nutu, vel inſtituent vel deſtituent.

11. Epiſcopi ſuper urbium, ſuburbiorum, vicorum ſeu oppidorum cæmeteriis gaudebunt iiſdem juribus quibus gaudebant Comitis Roberti & Regis Guillelmi tempore.

In chriſtiana Religione ſemper obſervantia fuit cœmeteriis, quibus etiam olim eadem atque eccleſiis privilegia concedebantur, quia eædem exercitationes utrobique peragebantur. In ea ſcilicet conveniebant fideles, ut orarent, & ſancta myſteria celebrarent; in iis concilia habebant Epiſcopi; ibidem fidelium & martyrum corpora ſepulturæ dabantur. In iis ergo nihil profani fieri, eorumque juriſdictio ad Epiſcopos pertinere debet.

12. Quoad cœmeteria quæ ad regionis fines ſunt, ſi quis ibi conſtiterit belli tempore, ac ſe deinde in ec-

clesiæ atrium receperit, non alia in eum jura Episcopo suppetent quam quæ obtinebat, antequam is in atrium confugeret.

Textus ita habet: *in cimeteriis quæ in marchis sunt*, *Marcha*, Gallice, marchia, idem est ac finis, terminus, fronsque regionis; itaque a nobis dicitur Marchia Lemovicensis, Marchia Anconitana, Marchia Brandemburgensis, &c. ut provincia quæ has ditiones terminat, significetur. Quamobrem *marcha* seu marchia derivatur a teutonico verbo *mark* quod *finem*, *terminum* significat, vel a verbo *merken*, inquit Vossius, quod significat *notare*, gallice, *marquer*, quia lapides qui finium seu terminorum loco erant, ad notandum spectabant.

13. Vicorum seu pagorum ecclesiis aderunt tot cæmeteria, quot aderant Comitis Roberti tempore, in eaque Episcopi gaudebunt iisdem juribus.

14. Novis, quæcumque extructæ fuerint, ecclesiis sua erunt cæmeteria quæ incolarum numero congruant.

15. Si monachis detur ecclesia, presbyter qui ei deserviebat, nullum inde detrimentum patietur; id, quoad vixerit, percipiet, quod ante hanc donationem ex ea percipiebat; at, eo vita functo, penes abbatem id juris erit, ut idoneum presbyterum præsentet Episcopo; & abbas ipse, de ecclesiæ bonis, ei satis suppeditabit, ut cum dignitate vivat, suumque servitium obeat; cui si abbas sustentationem negaverit, ab Episcopo, ut eam det adigetur.

Canon decimus sextus & sequentes, ad usque tricesimum sextum, eumque ipsum, statuunt mulctarum modum quas Episcopis solvet, quicumque delictum aliquod sub eorum jurisdictione positum perpetraverit.

Reliqui canones decem de pluribus ecclesiasticæ jurisdictionis capitibus agunt, & Episcoporum tribunali subdunt quicquid eidem sub Rege Guillelmo & Comite Roberto suberat. *Ibid.* & Bessinius, *in Concil. Normann.*

Concilium Compendiense, *an.* 1085.

Rainaudus, Remensis archiepiscopus, hoc concilium indixit, ut in eo, cum suffraganeis, ad ecclesiasticæ disciplinæ restitutionem incumberent. Hujus concilii decreta nondum juris publici facta sunt; id unum constat in eo confirmata fuisse privilegia quibus ecclesia S. Cornelii Compendiensis gaudebat, declaratumque ejus canonicos a Suessionensis Episcopi qui eos a sui episcopatus exordio quoad caput hoc impetierat, atque adeo a provinciæ metropolitani jurisdictione exemptos fore. Concilii decretum firmavit Philippus rex per diploma cui ejus regni annus vicesimus quartus adscriptus est. *Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.*

Concilium Quintilineburgense, *an.* 1085.

Habitum fuit concilium hoc post Pascha, Hermano præsente & jubente quem perduelles Germani, an. 1082. Imperatorem, in Rodulphi locum, elegerant. Otho, cardinalis, Ostiensis episcopus, in eo Papæ Gregorii VII. vice fungebatur. In eodem declarata est nulla Wicelini ad Moguntinum archiepiscopatum ordinatio, & generatim omnes ab excommunicatis editæ ordinationes rejectæ sunt; damnatus Wicelinus, utpote asserens, suis bonis spoliatos, ecclesiasticis judiciis subdi, aut excommunicatione plecti non posse, eosque qui excommunicatione ob temporalia bona plecterentur, posse ad communionem recipi, quin reconciliarentur; damnatus etiam quidam clericus Bambergensis, nomine *Canibertus* qui Papæ supra cæteros omnes Episcopos primatum adimebat; editique sequentes canones septem.

1. Eorum nullus ad communionem suscipietur quos suus Episcopus, vel injuste, excommunicationi subdiderit, nisi ejusdem absolutionem perceperint.

2. Interdictio, ne tribuatur iis absolutio, qui ob sacrilegium, surreptis aut retentis Ecclesiæ bonis, patratum excommunicati fuere, nisi antea restituerint.

3. Cœlibatus, quoad presbyteros, diaconos & subdiaconos, instaurata lex.

4. In laicos interdictio, ne sacra vasa & pallas altaris tangant.

5. In eosdem laicos interdictio, ne sibi decimas sumant, nisi ab iis ad quos legitime pertinent, iisdem concessæ fuerint.

6. Servabuntur jejunia, vernum quidem in prima Quadragesimæ hebdomada, æstivum vero in hebdomada post Pentecosten.

7. Nemo seu ova seu caseum per Quadragesimam comedet.

In hoc concilio cui Hermanus, Cardinalis Ostiensis, archiepiscopi Salisburgensis & Magdeburgensis, ac duodecim episcopi subscripserunt, pronuntiata est, candelis accensis, in antipapam Guibertum, & Cardinalium nonnullos qui eidem favebant, excommunicatio. *Lab. Tom. XXVI. Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.*

Concilium Melphitanum, in Apulia, *an.* 1089.

Summus Pontifex Urbanus II. celebrari jussit concilium hoc cui cum Apuliæ, Calabriæ, cæterarumque omnium provinciarum Episcopis & Comitibus adfuit Rogerius dux. In eo editi sequentes canones sexdecim.

1. Mandatur, ut episcopi, presbyteri, & generatim quicunque per simoniam, data vel accepta pecunia, ecclesiasticas dignitates contulerunt aut susceperunt. Distinguitur etiam damnaturque omnis generis simonia, cujus reus esse potest non solum qui pecuniam dat vel accipit, verum etiam qui promittit, qui precatur, qui aliquod servitium exhibet, eo animo, ut ecclesiasticam dignitatem obtineat.

2. Nemo suscipietur ad sacros ordines, nisi cælibatum servet, prout sancti canones statuunt.

3. Interdictio, ne ad sacros ordines suscipiantur qui castam vitam non egerint, aut bigami fuerint.

4. Interdictio, ne quis ordinetur subdiaconus ante quatuordecim aut quindecim ætatis annos, diaconus ante viginti quinque, & presbyter ante triginta.

5. In laicos interdictio, ne decimas, vel ecclesiam, vel eorum quicquam quæ ad Ecclesiæ jurisdictionem pertinent, monasteriis aut canonicis tribuant, sine Episcopi aut Papæ consensu.

6. Eadem in abbates interdictio.

7. Vetiti abbates pecuniam ab iis exigere qui monachi fiunt.

8. In clericos & monachos, sub depositionis pœna, interdictio, ne ad ullam ecclesiasticam dignitatem, quæcumque tandem ea fuerit, e laicorum manibus, institutiones suscipiant.

9. Aboletur presbyterorum & ecclesiasticorum acephalorum mos qui procerum & matronarum servitio, in sui characteris dedecus, adhærebant.

10. In episcopos & primates interdictio, ne vagos monachos quibus suorum abbatum litteræ desunt, suis in diœcesibus retineant.

11. Interdictio, ne qui in servitute versantur, qui aulæ ob officia addicti sunt, qui rationibus reddendis subsunt, ad clericaturam admittantur.

12. Subdiaconi qui conjugati sunt, sui ordinis functionibus, suisque beneficiis spoliabuntur.

13. Luxum evitabunt clerici, nec incedent sæcularium instar induti.

14. A sanctorum altarium ministerio excludentur presbyterorum filii, nisi forte inter monachos aut canonicos educati fuerint.

15. Eos recipi vetitum quos suus Episcopus excommunicationi subdit.

16. Monentur episcopi & presbyteri, ut super pœnitentibus invigilent, ne falsas pœnitentias agant, ut accidit, cum eos non omnium prorsus, absque ulla exceptione, peccatorum pœnitet, cum iidem in proximis in ea recidendi occasionibus immorantur, cum foveant animo in quempiam odium, cum renuunt ignoscere, &c. *Ibid.*

Concilium Beneventanum, *an.* 1091.

Urbanus II. prima Aprilis die coegit concilium hoc, in quo damnationes in antipapam Guibertum latas renovavit, edíditque sequentes canones quatuor.

1. Interdictio ne Episcopus, quin diaconus aut presbyter sit, eligatur. Subdiaconi vero, non nisi perraro & sancta sede viam dante, ad episcopatum promoveri poterunt.

2. Capellani, sine Episcopi consensu, a laicis nominati conductique, a suis omnibus functionibus suspendentur.

3. Interdictio, ne alienæ diœcesis clerici, nisi commendatitias Episcopi sui litteras afferant, recipiantur.

4. In laicos interdictio, ne cinerum die carnem comedant, jussique fideles omnes ea die super capite cineres accipere. Interdicitur præterea, ne a Septuagesima ad usque Pentecostes octavam, & a prima Adventus dominica die ad Epiphaniæ octavam usque, matrimonia celebrentur. *Ibid.*

Concilium Suessionense, *an.* 1092.

Huic concilio, contra Roscelini, Compendiensis clerici, errores congregato Renaudus, Remensis archiepiscopus, præfuit. Docebat Roscelinus tres divinas personas esse res tres invicem separatas, cujusmodi sunt con-

contabulationes seu ædium ordines tres; iisdem tamen non nisi unam eamdemque voluntatem & potestatem esse; ut proinde dici possent esse dii tres, si usus pateretur. Quærebat huic doctrinæ præsidium ab auctoritate Lanfranci & S. Anselmi, quorum unus Beccensis abbas, alter Cantuariensis Episcopus erat. S. Anselmus, cum id audisset, Fulcum Bellovacensem Episcopum qui unus ex hujus concilii Patribus futurus erat, per Epistolam monuit nec se, nec Lanfrancum quicquam tale unquam dixisse; atque adeo Roscelino ejusque errori peculiariter anathema dicere. Eum Roscelinus abjuravit ipse coram Episcopis; at cum errorem damnasset solum metu permotus, ne a populo trucidaretur, eumdem, cum e concilio egressus esset, docere non destitit. *Ibid.*

Concilium Constantiense, *an.* 1094.

Hebehardus, Constantiensis Episcopus, & Papæ Urbani II. in Germania legatus, concilio huic ejus nomine præfuit. In eo gravia contra incontinentes & simoniacos clericos decreta edita; mandatumque præterea, ut agerentur Quatuor Tempora, mensis quidem Mertii, in Quadragesimæ hebdomada prima, mensis autem Junii, in Pentecostes hebdomada; & in Paschatis ac Pentecostes hebdomadis tres tantum dies festi essent. *Ibid.*

Concilium Placentinum, *an.* 1095.

Summus Pontifex Urbanus II. præfuit concilio huic quod sub mediam Quadragesimam habitum, adeoque frequens fuit, ut illud in aperto agro celebrari necesse esset. Praxedes Princeps, Imperatoris Henrici conjux, a quo separata jampridem erat, in eo enormium impuritatum absolutionem suscepit ad quas se a viro coactam edixit. Oratores in cœtum recepti quos Philippus, Galliæ rex miserat, ut eum excusarent qui non ipse venisset. Ei tempus ad Pentecosten usque Papa concessit, ut sui cum regina Bertha divortii, suique incestuosi cum Bertrada Montfortensi, Andegavensis Comitis conjuge matrimonii rationem redderet. In eo quoque de peculiaribus aliquibus negotiis actum; deinde vero canones plures ad disciplinæ restitutionem editi. Simoniacæ ordinationes nullæ declaratæ, toleratique in clero, qui a simoniacis Episcopis, quin scirent, ordinati fuerant. Qui, adhuc pueri, beneficia obtinuerant parentum opera, seu pecuniam in id dedissent, seu alium in modum ea assecuti essent, his quidem ea data venia, ut eadem, postquam abdicassent, & ad ordines, siquidem idonei erant, promoti essent, possiderent. Vetitum etiam, ne quid ob baptismum, ob sanctum chrisma, ob sepulturam exigeretur; mandatumque, ut in hebdomadis per alia concilia notatis Quatuor Tempora servarentur. *Ibid.*

Concilium Claromontanum, *in Arvernia*, *an.* 1095.

Urbanus Papa II. Novembri mense concilium hoc convocavit, ut cruciatæ, seu ad Terræ Sanctæ liberationem expeditionis negotium perficeret, quod in Placentino concilio proposuerat. Adfuere cœtui archiepiscopi tredecim. Episcopi viginti supra ducentos, & abbates numero plurimi. Indicta in eo cruciata contra Infideles, & ob incestuosum matrimonium excommunicatione perculsus Philippus rex; editi deinde sequentes canones triginta duo.

1. Pax seu tregua Dei, quoad clericos, monachos & feminas, quotidie servabitur; quoad cæteros autem, servanda non erit nisi quinta & sexta feriis, sabbato, & dominicis diebus.

2. Cruciata, seu sacrum bellum cujusvis pœnitentiæ loco erit cruce signatis qui Hierosolymam iter agent, religionis ergo, eoque animo, ut operam ad eamdem ab infidelium manibus liberandam conferant. Canon hic fortasse præcipua causa & princeps epocha fuit remissæ disciplinæ quoad canonicas pœnitentias quibus ad illud usque tempus probe vis ac robur steterat. Nullus peccator fuit, qui non id itineris agere, quam publicæ pœnitentiæ asperitates & abjectionem subire mallet.

3. Ecclesiarum diaconatus & archipresbyteratus non nisi presbyteris, & archidiaconatus non nisi diaconis conferentur.

4. Arma non deferent ecclesiastici.

5. Laici in Episcopos non eligentur; quique electi fuerint, subdiaconi saltem erunt.

6. Præbendæ vel alia beneficia non ementur; easque qui emerint, intra Episcopi manus remittere debebunt.

7. Altaria quæ monachorum aut canonicorum congregationibus donata fuere, post eorum mortem qui ea donaverint, ad Episcoporum dispositionem redibunt, nisi per horum litteras iis confirmata fuerint.

8. Interdictio, ne quicquam ob sepulturæ jus exigatur.

9. & 10. Clerici cœlibatum servabunt, nec alias apud se feminas quam per canones concessas habebunt.

11. Clericorum ex concubinis filii nec ad ordines nec ad beneficia promovebuntur, nisi monasticam aut canonicam vitam amplexi fuerint.

12. 13. & 14. Damnatur beneficiorum pluralitas seu in eadem, seu in aliis ecclesiis.

15. Interdictio, ne beneficiorum investitura e laicorum manu sumatur.

16. In Reges & Principes interdictio, ne beneficiorum investituram tribuant.

17. In Episcopos & presbyteros interdictio, ne Regibus, aut laicorum ulli, per jusjurandum, fidem obstringant.

18. In laicos interdictio, ne capellanos habeant, qui non ab Episcopo pendeant.

19. & 20. In eosdem laicos interdictio, ne decimas & altaria, hoc est, ecclesias retineant.

21. & 22. Interdictio, ne iis qui aliena bona possident, nisi restituant, iisve qui in lethalis peccati habitu versantur, absolutio tribuatur.

23. In Christianos interdictio, ne carnem comedant a die cinerum ad Pascha.

24. Ordinationes peragi debent Quatuor Temporibus & sabbato tertiæ hebdomadæ Quadragesimæ; ac tum quidem, jejunium ad vesperas, atque si fieri poterit, ad sequentem diem protrahetur, & clarius fiat ordinationem die dominica peragi.

25. Ad ordines non admittentur presbyterorum, diaconorum & subdiaconorum filii, nisi monachi aut regulares canonici fiant.

26. Ad imminentem noctem usque producetur sabbati Sancti jejunium.

27. Quatuor Tempora, veris quidem, semper in Quadragesimæ hebdomadam primam, æstatis autem, in Pentecostes hebdomadam incident.

28. Quicunque ad altare communicabunt, Corpus & Sanguinem Christi Domini sub utraque specie percipient, nisi aliqua necessitas, aut aliqua circumspectio postulet, ut aliter fiat.

29. & 30. Si quis, adversario insequente, se apud aliquam crucem receperit, in tuto perinde erit, ac si in ecclesiam se recepisset; nec judici ante tradetur quam se nec in ejus vitam, nec in ejus membra quicquam acturum promiserit.

31. Excommunicatione plectuntur laici qui Ecclesiæ bonis potiti fuerint.

32. Qui in Episcopum manus injecerint, eumve in carcerem traxerint, infames erunt in omne tempus; iisque non amplius licebit arma ferre.

Mandavit etiam Urbanus Papa, ut B. Virginis parvum Officium quod apud eremitas a Petro Damiano institutos in usu erat, clerici recitarent; itemque, ut sabbatum peculiariter sanctæ Virgini sacrum esset, ejusque officium eo die fieret. *Ibidem*.

Concilium Nemausense, *an.* 1096.

Habuit Urbanus Papa concilium hoc quod primo quidem Arelaten indictum fuerat; in eoque editi canones sexdecim. D. Lucas Acheryensis qui, sui Spicilegii *Tom. IV. pag.* 234. e S. Albini Andegavensis manuscripto codice, hujus concilii canones typis dedit, octodecim numerat; P. Labbæus qui in sua Conciliorum editione eos dedit super exemplo quod P. Sirmundus ex eodem manuscripto codice duxerat, sexdecim tantum affert; at hæc varietas non aliunde derivatur quam ex ratione qua editores articulos partiti sunt.

1. Confirmat Claromontani concilii canonem qui Episcopos vetat ecclesias aut præbendas ob pecuniam dare, & monachos adigere, ut altaria vel ecclesias, ad clericorum mortem qui iis deserviunt, ab ipsis redimant; & ab Episcopis presbyteros in ecclesiis statutos vult, abbatum consensu a quibus eædem pendent.

2. Non desunt insciti quidam qui se zelotypiæ impetu abripi passi monachos ajunt, utpote mundo mortuos, ut Deo vivant, indignos esse qui sacerdotales functiones obeant, causa exempli, pœnitentiam, baptismum, aut absolutionem conferant; at graviter errant; si enim ita se res haberet, S. Gregorius qui monachus erat, nunquam ad supremum pontificatum evectus fuisset; & S. Augustinus ejusdem discipulus, S. Mar-

S. Martinus, ac tot alii sancti monachi ad episcopatum promoti non fuissent . . . . Mandamus ergo, ut qui super hac re monachos impetunt, sacerdotalis potestatis functionibus spolientur.

Hic geminus, in monachorum favorem, canon Papæ Bonifacio IV. tribuitur. Fleurius, *Tom. XIII. pag.* 628. ejus stilum ait cum Urbani II. tempore magis congruere; at, quoniam fatetur ipse decretum hoc tamquam Bonifacii IV. a S. Petro Damiano laudatum fuisse, liquido constat S. Petrum Damianum qui an. 1072. vivere desiit, illud ex Nemausensi concilio, an. 1096. habito non sumpsisse. Conveniat ergo, necesse est, Urbanum II. nihil aliud egisse, quam in Nemausensi concilio decretum idem quod Bonifacius IV. in Romano concilio, septimo ineunte sæculo, tulerat, renovasse.

3. Qui nuntium sæculo remiserunt, majore sollicitudine pro peccatoribus orare debent; magisque solvendis peccatis idonei sunt . . . . Itaque qui omnia, Dei causa, reliquerunt, ad baptisma, pœnitentiam & communionem dignius administranda nobis quidem apti videntur; quia eorum vitæ ratio ad Apostolorum vitam propius accedit.

4. Qui ea temeritate fuerit, ut Episcopum, Abbatem aut presbyterum in carcerem trudat, excommunicatione plectetur, & infamis declarabitur; præterea, ejus terra ponetur in interdicto, quoad Ecclesiæ satisfactionem præstiterit.

5. Cum Episcopus e vivis excesserit, nominabuntur probi viri duo, ut ejus testamentum exequantur, & episcopatus bona successoribus servent. Qui ea sibi sumet, excommunicabitur; & in omnibus diœcesis ecclesiis divinum officium definet.

6. & 7. Excommunicationi subdentur laici qui Ecclesiæ bona possident.

8. Clericus aut monachus qui e laici manu ecclesiasticum beneficium acceperit, eo privabitur.

9. Presbyter qui, ambitione ductus, a minus divite ad ditiorem ecclesiam transit, amittet utramque.

10. Qui incestuosa matrimonia contrahunt, communione privantur.

11. Sepultura & Ecclesiæ suffragiis destituuntur raptores qui in raptu ipso, quin pœnitentiam egerint, occisi sunt.

12. Presbyteri fornicatores gradu dejiciuntur.

13. Puellæ ante ætatem annorum duodecim haud nuptui tradentur.

14. Bona Ecclesiæ donata retrahi, aut clericos apud sæculares judices in jus vocari non licet.

15. In Episcopos interdictio ne eos recipiant quos alii Episcopi communione privaverint.

16. In monachos interdictio, ne excommunicatos, raptores, interdictos ad sepulturam, vel ad divinum officium suscipiant: *Monachi nullo modo recipiant ad sepulturam, aut ad quodlibet divinum officium, excommunicatos, aut raptores, aut interdictos.*

Hermantius, in sua Conciliorum Historia, *Tom. II. pag.* 237. hunc canonem ita reddit: „ Decimus sextus, „ isque postremus monachos prohibet sepulturam cuipiam concedere, & excommunicatos, raptores, eosque qui interdicto subsunt, ad divinum officium „ recipere; " ut nimirum significet Nemausense concilium vetare, ne monachi quempiam suis in ecclesiis aut monasteriis sepeliant, cum tamen hæc prohibitio excommunicatos, raptores & interdictos tantum afficiat, non item alios. Est hæc infidelitas quæ incurrit in oculos; nec una ea quidem & unica est quam in hoc auctore notavimus, tametsi nihil hactenus hac de re diximus. Nobis satis erit semel monere non semper huic scriptori, licet existimatione cæteroquin digno, fidendum esse, si probe conciliorum canones seu decreta, quorum historiam dedimus, nosse libuerit. *Ibidem.*

Concilium Rothomagense, *an.* 1096.

Guillelmus, Rothomagensis, habuit concilium hoc cum suis suffraganeis, in sua metropoli, mense Februario. Suscepit concilium Claromontani decreta quibus addidit octo hæc.

1. Sanctum concilium mandat, ut tregua Dei servetur a die dominica ante feriam quartam cinerum; ad orientem solem feriæ secundæ post octavam Pentecostes; & ab occidente sole feriæ quartæ ante Adventum, ad Epiphaniæ octavam usque; &, quaque per annum hebdomada, ab occasu solis feriæ quartæ, ad ortum usque ejusdem solis secundæ sequentis feriæ, itemque Virginis & Apostolorum vigiliis & festis omnibus.

2. Mandat pariter concilium, ut omnes ecclesiæ earumque atria, omnes clerici, monachi & religiosæ, feminæ, peregrini, mercatores eorumque famuli, boves, equi ad plaustrum, plaustri ductores, agricolæ, omnesque terræ quæ ad Sanctos pertinent, itemque clericorum pecunia, gaudeant perpetua pace; nunquamque liceat hæc impeti, auferri, ullamve in eadem vim exeri.

3. Statuitur, ut omnes homines ab ætate annorum duodecim & hanc supra; se hanc treguam Dei servaturos jurent.

4. Excommunicatione plectuntur qui hoc jusjurandum obstringere recusaverint, eorumque terræ interdicto subduntur; mercatores aut artifices qui aliquid iis vendiderint, communione privantur.

5. Ecclesiæ gaudere debent bonis & privilegiis quibus gaudebant Guillelmi regis cognomento Victoris tempore.

6. In laicos interdictio, ne qua in ecclesia collocent, ab eave amoveant presbyterum, sine Episcopi consensu, vel eam vendant. Vetantur iidem laici promissam comam deferre. „ Oportet, inquit concilium, „ ut nemo non tonsus sit, prout Christianum hominem „ decet; aliter, ex ecclesia ejicietur; presbyterorum „ nullus ei servitium peraget, ejusque humationi in„ tererit. " Longa cæsaries, quoad viros quidem, effæminatius molliusque ornamentum esse censebatur.

7. Penes laicorum nullum erunt Episcopalia jura, vel aliqua ad animarum curam pertinens jurisdictio.

In textu leguntur hæc: *Nullus laicus habeat consuetudines episcopales.* Episcopales consuetudines, sunt Episcoporum usitata & communia tam spiritalia quam temporalia jura quibus laici sæpius potiuntur.

8. Presbyterorum nullus *hominem* se laici faciet, hoc est, homagium eidem præstabit; indignum enim est manus unctione consecratas in homicidæ vel adulteri profanis manibus poni. At presbyter si feudum a laico teneat, quod ad ecclesiam nequaquam pertineat, exhibebit alia suæ fidelitatis argumenta quæ eamdem tueri possint. *Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.* & Bessinius, in *Concil. Normann.*

Concilium Audomarense, seu, *Audomaropolitanum*, *an.* 1099.

Manasses, Remensis archiepiscopus, præfuit concilio huic quod, Roberti Junioris, Flandriæ Comitis, ejusque aulæ procerum rogatu, coactum fuit. In eo editi canones quinque, iidem propemodum qui in superioribus conciliis, & nominatim in Suessionensi in quo de Dei tregua actum erat, editi fuerant. *Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.*

Concilium Pictaviense, *an.* 1100.

Concilium hoc, 18. Novembris die quæ S. Martini octava erat, in S. Petri ecclesiam convenit. Geofridus Grossus, in S. Bernardi Tyronensis vita, memoriæ prodit huic synodo centum quadraginta Patres interfuisse. Hugo Flaviniacensis octoginta solum, seu Episcopos seu abbates eidem adfuisse refert. Ei Joannes & Benedictus, cardinales, Papæ Paschalis II. legati præfuere, qui Philippum regem, propterea quod, contra obstrictam Papæ Urbano II. fidem, Bortradam, concubinam, sibi iterum sumpserat, anathemate perculerunt. Absoluta fuere hoc in concilio alia peculiaria negotia plura, editique canones sexdecim qui sequuntur.

1. Nemo, exceptis Episcopis, tonsuram clericis conferat; hanc iis abbates conferre poterunt, quos in monachorum album recipient.

2. Nullum ob tonsuram munus, ne forsiculæ quidem aut mantilia exigentur.

3. Laicorum nulli homagium præstabunt clerici, nullumque ecclesiasticum beneficium a laicis accipient.

4. Sacerdotalia indumenta & vasa quæ altari inserviunt, benedicere ad Episcopum tantum pertinet.

5. In monachos interdictio, ne manipulum deferant, nisi subdiaconi sint.

Tum quidem manipulum extra ecclesiam gestabatur; atque in miniata quidem, Caroli Calvi tempore, confecta pictura cernuntur monachi plures qui manipulum non ad brachium, qui nobis mos, sed ad manum tenentes, huic Principi salutem dicunt.

6. In abbates interdictio, ne chyrothecas, sandalia & annulum deferant, quin in id a Romana Ecclesia privilegium obtinuerint.

7. Interdictio, ne vendatur ematurve præbenda, vel ob eam datam prandia exigantur.

8. In-

8. Interdictio, ne præbendarum, ecclesiasticarum dignitatum, aut prælaturarum investitura, iis viventibus qui eas possident, tribuatur.

9. In clericos & monachos, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne altaria aut decimas a laicis aliisve personis emant.

10. Regulares clerici baptizare, divinum e suggestu verbum nuntiare, pœnitentiam conferre, & humationes peragere, ex Episcopi mandato, possunt.

11. In monachos interdictio, ne presbyterorum qui parœciis præsunt, functiones edant, ne scilicet baptizent, concionentur, aut pœnitentiam tribuant.

12. Ad prædicandum non admittentur qui reliquias per urbes deferunt, ut pecuniam congerant.

13. Nec archiepiscopi, ob episcoporum ordinationem, nec Episcopi, ob abbatum benedictionem, ullum munus, ut cappas, tapetes, pelves aut maniilia, accipient.

14. In laicos interdictio, excommunicationis indicta pœna, ne quid usurpent ex oblationibus quæ fideles ad altare vel ad presbyterum conferunt, itemque ex eo quod, ad fidelium sepulturam datur, pietatis ergo.

15. In ecclesiarum advocatos, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne usurpent Episcopi bona, seu dum vivit, seu postquam occubuit.

Constat ecclesiarum advocatos fuisse proceres defendendis Ecclesiæ bonis addictos; qui sæpe tamen ea primi usurpabant.

16. Mandatur Constitutionum executio, quas in Claromontano concilio Papa Urbanus II. edidit, super decimis & altaribus quæ laici possident contra canones, super presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum & diaconorum castitate, contra beneficiorum pluralitatem, superque aliis articulis ad Ecclesiæ bonum spectantibus. *Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.*

CONCILIA
SÆCULI DUODECIMI.

Concilium Londinense, *an.* 1102.

HAbitum fuit concilium hoc, annuente Henrico I. Angliæ rege, sub Papæ Paschalis II. pontificatu. Ei præfuit S. Anselmus, archiepiscopus Cantuariensis, & regni primas; adfuit archiepiscopus Eboracensis, itemque numero plures Episcopi, abbates & Angliæ viri principes interfuere. Nobis suppetunt triginta qui sequuntur, ejusdem canones.

1. Damnatur simonia, eaque polluti abbates nonnulli deponuntur.

2. Civilium magistratuum functiones obire prohibentur Episcopi; jubenturque suo statui consentaneos habitus ferre, & secum semper habere integræ vitæ viros qui rerum quas ii gesserint, testes sint.

3. Interdictio, ne archidiaconatus locentur.

4. Interdictio, ne qui diaconi non sunt, archidiaconi fiant.

5. In archidiaconos, presbyteros, diaconos, canonicos interdictio, ne conjuges ducant, easve retineant quas jam duxerunt. Subdiaconi porro feminas dimittant, necesse erit, quas sibi uxores addiderunt, post castitatis editam professionem.

6. In presbyteros interdictio, ne Missam celebrent, dum conjuges retinebunt, & in laicos, ne incontinentium ejusmodi presbyterorum Missam audiant.

7. Ad subdiaconatum nemo admittetur, quin se continentiam servaturum, solemnem in modum promiserit.

8. Presbyterorum filii paternarum ecclesiarum hæreditatem non obtinebunt.

9. Clerici nec in civilibus negotiis procuratores, nec in criminalibus causis judices erunt.

10. Cauponas, bibendi causa, presbyteri non adibunt.

11. Omnes clericorum vestes ejusdem coloris erunt, calceique simplices & modesti.

12. Monachi & clerici apostatæ ad suum statum regredi, sub excommunicationis pœna, debebunt.

13. Clerici coronas deferent.

14. Solis ecclesiis solventur decimæ.

15. Nec ecclesiæ, nec beneficia ementur.

16. Opera non dabitur, ut novæ capellæ, sine Episcopi consensu, extruantur.

17. Nulla ecclesia consecrabitur, antequam ecclesiæ ipsi & presbytero qui ei deservire debet, necessaria comparata fuerint.

18. Abbates arma non deferent. Comedent cubabuntque in triclinio & dormitorio communi, suis cum monachis, extra necessitatis casum.

Hujus canonis qui in Gallicanis Collectionibus decimus septimus, & in Anglicana decimus octavus est, priora verba sunt: *Ne Abbates faciant milites*; quæ nonnulli ita reddunt: „ Abbates non creabunt equi„ tes;" hoc est, non iis solemnem, ut Episcopi, benedictionem tribuent.

19. Iis tantum pœnitentiam imponent monachi, qui abbatis jurisdictioni subsunt, & quidem solum annuente ipso.

20. Nec monachi patrini, nec religiosæ matrinæ erunt.

21. Sibi locata prædia monachi non tenebunt.

22. Nullas ecclesias monachi accipient, nisi quas iis Episcopus dederit; quasque ab eo receperint, redditibus non spoliabunt, ita scilicet, ut tum iis, tum presbyteris qui iisdem deserviunt, necessaria desint.

23. Matrimoniales promissiones quas clam & sine testibus sibi mutuo obstrixerint personæ duæ, evadent nullæ, si forte alterutra eas negaverit.

24. Dabitur opera, ut capilli omnibus hominibus ita amputentur, ut se prodat aurium pars, oculique detecti sint. Huic edendo canoni occasionem præbuere mundani quidam adolescentes qui sibi, feminarum instar, sinebant capillos excrescere. qui semper habebant pecten præ manibus, ut eos pecterent, quique effeminatum in modum compositi per vias incedebant. Generatim, spectabatur eo tempore tamquam effeminatus luxus, in laicis, longam comam deferre. Notat in quadam epistola S. Anselmus se vetuisse, ne qui longos capillos ferebant, in ecclesias ingrederentur. Serlonius, Sagiensis Episcopus, Carentanum profectus, ut Henricum, Angliæ regem conveniret, scandalum passus est, Anglorum procerum plerosque videns longam cæsariem, ut feminas, ferre; vehementem ergo commovendisque animis accommodatum in eum luxum sermonem habuit, trahensque, cum dicere desiisset, e manica forficularum pars ad capillos Regi, ac deinceps aulicis amputandos se contulit. Godefriddus, Episcopus Ambianensis, an. 1109. cum Roberto, Belgii Comite, Audomaropoli versans, ibi mediæ noctis Missam cecinit, eorumque oblationes qui longos capillos gestabant, recipere noluit; at aulici, se tam sancti Episcopi benedictione privare nolentes, nulla interjecta mora sibi capillos recidere aggressi sunt.

25. Consanguinei matrimonium inter se non inibunt, ad septimam generationem usque. Qui ita conjugati fuerint, se mutuo separabunt; qui vero rem hanc, cum scierint, non detegent, ejusdem criminis rei censebuntur.

26. Defunctorum corpora non sepelientur extra parœcias, ne sua parochis justa stipendia depereant.

27. Interdictio, ne quis honos aut sanctitatis obsequium, sine Episcopi venia, mortuorum corporibus, fontibus & ejusmodi rebus aliis exhibeatur.

28. Prohibetur ejus temporis pravus mos, ut scilicet homines in negotiationem adducti, tamquam bruta animantia venderentur.

29. Anathematis, aliisque gravibus indictis pœnis, sodomiæ peccatum interdicitur; ejusque absolutio Episcopo reservatur.

30. Enuntiabitur singulis dominicis diebus per universam Angliam sententia hæc. *Reg. Tom. XX. Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI. Anglic. Tom. I.*

Ricard Concil. Tom. II.

Concilium Parisiense, *an.* 1104.

Concilium hoc, 20. Decembris die, Papæ Paschalis II. jussu, ad Philippi regis & Bertradæ absolutionem, congregatum fuit. Ambo ad concilium, singularia humilitatis specimina exhibentes, nudisque pedibus se contulerunt. Jurarunt, tactis Evangeliis, se ab

omni criminoso commercio recedere. Hoc præstito jurejurando, Lambertus, Atrebatensis Episcopus, ad id a Papa designatus, iis excommunicationis absolutionem tribuit. *Ibid.*

Concilium Florentinum, *an.* 1106.

Paschalis Papa II. hoc Florentiæ concilium habuit, eo consilio, ut Fluentium, ejus urbis Episcopum a falsa opinione revocaret, in quam eum traxerant publicæ calamitates & prodigia quæ ejus ætate contigerant, Antichristum scilicet natum esse. Cum eo acriter in concilio disputatum, satisque habitum est tamquam novitatis arrogantem amatorem eum increpari.

Concilium Quastallense, *an.* 1106.

Paschalis Papa II. habuit concilium hoc, Octobris die 22., cum Episcopis pluribus, tam citra quam ultra Montes, cum magno clericorum & laicorum numero, cum Henrici, Germaniæ regis oratoribus, cum ipsa denique Mathilde Principe. In eo mandatum, ut Æmiliæ provincia non amplius Ravennatensi ecclesiæ subesset. Lecta plura S. Augustini & S. Leonis scriptorum loca, tertiusque Carthaginensis concilii canon, super eorum reconciliatione, qui extra catholicam Ecclesiam ordinati fuerant; decretoque inde confecto pronuntiatum eos qui, schismatis tempore, in Teutonico regno ordines susceperant, ad functiones suas recipiendos, dummodo nec usurpatores, nec simoniaci, nec aliorum criminum rei, sed, e converso, probitate ornati ac scientia instructi essent. Per decretum alterum, vetiti laici investituras conferre. Decretum tertium abbates, archipresbyteros, & generatim omnes alicujus ecclesiæ præpositos vetat ejus bona vendere, alienare, permutare, locare vel in feudi titulum dare, sine communitatis aut Episcopi diœcesani consensu, sub pœna privationis ordinis quo insigniti sunt.

Concilium Lateranense, *an.* 1116.

Paschalis Papa II. concilium hoc in Lateranensi ecclesia, 6. Martii die, congregavit; ad illud Episcopos, abbates & proceres e regnis & provinciis pluribus convocavit; ut proinde generalis concilii titulo insignitum fuerit. In eo Papa retulit, quemadmodum ad investituras Henrico regi concedendas vi adactus esset; fassus est erratum suum, sub perpetuo anathemate scriptum damnavit quod in eam rem ediderat, omnesque qui aderant, rogavit, ut illud & ipsi damnarent. Contenderunt nonnulli in eo scripto hæresin contineri; Joannes, Cajetanus Episcopus, eos confutavit. Interdictionem Papa renovavit quam, sub anathematis pœna, ediderat Gregorius VII., ne investituræ conferrentur, aut acciperentur; & peculiaria aliqua dissidia finiit. *Reg. Tom. XXVI. Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.*

Concilium Coloniense, *an.* 1118. *seu* 1119.

Legatus Conon præfuit concilio huic in quo Henricus Imperator excommunicatione perculsus fuit. Auctor vitæ S. Norberti, capite septimo, sanctum hunc virum ab Episcopis & abbatibus ad illud accitum refert, accusatumque, qui sine missione prædicaret, sine auctoritate in eos declamaret, inusitatum habitum ferret, suorumque bonorum proprietatem servaret. Respondit Norbertus, subdit laudatus historicus, se prædicandi potestatem in presbyteratus susceptione accepisse; nec pretiosas vestes nos Deo gratos reddere; itaque Episcopi eum dimiserunt. *Ibid.*

Concilium Tolosanum, *an.* 1119.

Gui, Viennensis in Delphinatu archiepiscopus, reluctans licet, post Gelasii II. mortem, electus Papa, Calixti II. nomen sumpsit, & Tolosam venit, ubi Junio mense concilium habuit quod e Cardinalibus eidem faventibus, archiepiscopis, episcopis, & abbatibus Provinciæ, Languedociæ seu Occitaniæ, Vasconiæ, Hispaniæ & minoris Britanniæ conflatum fuit. Est in hujus concilii textu, *provinciæ Gothiæ*, sine commate, provinciæ nempe quæ Gothia seu Languedocia; at, cum interpunctione, legendum, *Provinciæ, Gothiæ*, provinciarum duarum scilicet, quarum una Provincia, altera Languedocia. Aderant enim concilio huic Atto Arelatensis, & Fulchius Aquisextiensis; in eo editi sequentes canones decem.

1. Sub depositionis pœna, interdictio, ne quis se per pecuniam ordinandum curet.

2. Nemo ad præpositi, archipresbyteri aut decani dignitatem promovebitur, quin presbyter sit; aut ad archidiaconi dignitatem, quin sit subdiaconus.

3. Eos, tamquam hæreticos, damnamus & ex Ecclesia pellimus, qui Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini, infantium baptismum & ecclesiasticos ordines itemque matrimonium rejiciunt; mandamusque, ut per sæcularem potestatem reprimantur.

Erant hi hæretici e Manichæorum secta, qui pietatis larva turpissimas abominationes tegebant.

4. Principes & quivis alius e laicis, ea indicta pœna, ut tamquam sacrilegi ex Ecclesia ejiciantur, prohibiti, ne primitiis, decimis, oblationibus, cœmeteriis potiantur, neve Episcopi, dum moritur, ædes & alia bona diripiant.

5. & 6. Nulla ecclesiastica aut sæcularis potestas liberos homines, seu clericos seu laicos in servitutem rediget; nullusque clericus ei legi suberit, ut, ob ecclesiastica beneficia, servitutes aliquas laicis exhibeat.

7. Relinquetur Episcopo oblationum quæ ad eum pertinent, quarta pars.

8. Nullus Episcopus, nullus presbyter, nullus clericus ecclesiasticas dignitates & beneficia, hæreditario veluti jure, propinquis relinquet.

9. Nullum salarium ob sancta olea, ob sanctum chrisma, vel ob sepulturam exigetur.

10. Vetiti monachi, canonici aliique clerici suam professionem deserere, secus, eam pœnam subituri, ut Ecclesiæ communione priventur; eadem in ecclesiasticos statuta pœna qui sibi sinunt, barbam &, sæcularium in modum, capillos succrescere. *Ibid.*

Concilium Remense, *an.* 1119.

Idem Papa Calixtus II., 20. Octobris die quæ in secundam feriam incidebat, per latinum sermonem, simplici stilo digestum, aperuit concilium hoc quod in cathedrali ecclesia habitum fuit. Ejus absoluto sermone, alium Cardinalis Conon eloquentiorem edidit super pastorum officiis, quos hortatus est, suis ut gregibus eamdem quam olim Labani patrui ovibus Jacob, sollicitudinem exhiberent. Summus deinde Pontifex convocati concilii causas exposuit, quæ scilicet simoniæ extirpatione, & investiturarum abolitione continebantur; gravibusque nonnullis negotiis ad exitum perductis, quinque sequentes canones edi jussit.

1. Prohibetur simonia, sub anathematis pœna, tam in eum qui beneficium vendit, quam in eum qui illud emit.

2. Episcopatuum & abbatiarum investituræ, sub eadem pœna, vetantur, dignitatis addita privatione.

3. Anathema quoque in ecclesiasticorum bonorum usurpatores decernitur.

4. Interdicitur, ne, veluti in hæreditatem, beneficia relinquantur, & ne quid pro baptismo, pro sanctis oleis, pro sepultura, pro ægrotantium visitatione, & pro extrema unctione exigatur.

5. Presbyteri, diaconi, subdiaconi vetantur uxores, aut concubinas habere, ea, ni paruerint, indicta pœna, ut suis functionibus suisque beneficiis priventur. Decretum etiam pro tregua Dei concilium tulit.

Rebus omnibus in ordine positis, Papa brevem, super donis Spiritus Sancti, sermonem habuit; &, cum adstantes ad charitatem & concordiam hortatus esset, viginti septem supra quadringentos allati cerei qui episcopis & abbatibus, pedum pontificium, seu, pastoralem baculum gestantibus distributi; tum, omnibus in pedes erectis, & manu cereum tenentibus, eorum lecta nomina, quos sibi Papa solemni excommunicatione plectendos proposuerat, quorum præcipui erant Henricus rex & antipapa Burdinius. Constabat concilium ex archiepiscopis tredecim, ducentis & amplius episcopis, magnoque abbatum & ecclesiasticorum numero, qui in dignitate constituti erant.

Concilium Lateranense, *an.* 1123.

Concilium hoc quod generale nonum est, a Papa Calixto II. congregatum fuit, qui ad illud omnes provinciarum Occidentis archiepiscopos & episcopos convocavit; & hi quidem trecenti & amplius, itemque plures quam sexcenti abbates ad illud convenere. In eo editi canones viginti duo quorum plerique tantummodo antiquos in simoniam, concubinatum clericorum & infractionem treguæ Dei latos instaurant. Quæ peculiaria reliqui continent, hæc sunt:

6. Omnes ordinationes ab hæresiarcha Burbinio peractæ, postquam a Romana Ecclesia damnatus fuit, quæque pariter ab episcopis peractæ sunt, quos is per suum schisma ordinavit, nullæ & irritæ declarantur.

8. Pronuntiatur, anathema in usurpatores bonorum Roma-

Romanæ Ecclesiæ, nominatim in eos qui urbe Benevento positi fuerint, eamve per vim retinuerint.

11. Romana Ecclesia in suum patrocium recipit eorum familias & bona, qui Christianis subsidium contra infideles allaturi Hierosolymam pergunt, iis peccatorum remissionem concedit, mandatque, sub excommunicationis pœna, ut qui, postquam sacræ militiæ nomen dederant, crucem deseruerunt, eam intra annum recipiant.

14. In laicos, sub anathematis pœna, interdictio, ne e S. Petri, Salvatoris, sanctæ Mariæ in Rotunda, aliarumque ecclesiarum altaribus, aut crucibus oblationes eripiant, ecclesiasve tamquam oppida muniant, ut eas in servitutem redigant.

15. A communione seu societate fidelium separantur qui falsam monetam cuderint, quique eam in commercium induxerint.

16. Si quis ab iis qui ad urbem Romam, vel ad alia pietatis loca se conferunt, nova portoria sumere, eosdemve per hæc ipsa expoliare aut vexare ausus fuerit, christiana communione privabitur, quoad fecerit suæ culpæ satis.

17. In abbates & monachos interdictio, ne publicas pœnitentias tribuant, ne ægrotantes visitent, ne unctiones peragant, ne publicas Missas canant. Hi quidem a diœcesanis Episcopis sancta olea, altarium consecrationem, & clericorum ordinationem accipient.

18. Parochi instituentur ab Episcopis quibus suæ administrationis rationem reddent.

22. Alienationes bonorum Ecclesiæ, itemque ordinationes quas intrusi, aut simoniaci, aut non canonice electi Episcopi ediderint, nullæ declarantur.

E generalis hujus Lateranensis concilii reliquis actis id unum nobis superest quod in libro quarto Chronici Montis Cassini legitur; videlicet, monachis de quorum exemptionibus, eaque peculiariter, qua Montis Cassini monasterium gaudebat, Episcoporum aliqui conquesti essent, sua privilegia servata fuisse. *Reg. Tom. XXVII. Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.*

Concilium Londinense, *an.* 1125.

Joannes Cremensis, presbyter, cardinalis tituli Sancti Chrysogoni, in Angliam legatus a summis Pontificibus Calixto II. & Honorio II. missus convocavit concilium hoc, regnante Henrico I. Angliæ rege, Ecclesiamque regente Honorio II. qui Papa sub medium Decembrem mensem an. 1124. electus fuerat. Aperuit concilium Legatus, 9. Septembris die, Westmonasterii, adsistentibus archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi, Episcopis viginti, abbatibus circiter quadraginta, & clericorum ingenti numero. Ex Saxoniæ Chronico, perduravit concilium integros triginta dies, quorum spatio ad morum ac disciplinæ reformationem collata est opera; quam in rem septendecim editi canones qui fere iidem sunt ac quos concilia sub S. Anselmo habita ediderant. Impugnant peculiariter simoniam, clericorum incontinentiam, ordinationes sine titulo, beneficiorum pluralitatem, matrimonia inter consanguineos, ad septimam generationem usque; at concilium declarat viros qui se ab uxoribus, consanguinitatis specie, separare voluerint, ad id per testes probandum non admittendos; prohibet, ne quis beneficium, hæreditatis in modum, sibi proprium faciat, sibique ipse successorem det; beneficiorum quoque privationem in beneficiarios præcipit, qui se ad ordines nolunt promovendos curare, ut liberius vivant. *Ibid.*

Concilium Nannetense, *an.* 1127.

Hildebertus, archiepiscopus Turonensis, &, hoc titulo, Britanniæ metropolitanus hoc concilium congregavit. Ei Conon adfuit cum provinciæ Episcopis, & viris pluribus scientia & pietate commendandis. In eo mos qui ad illud usque tempus apud Comites obtinuerat, ut, post viri aut conjugis mortem, mobilia omnia defuncti bona sibi tribuerent, omnesque naufragiorum reliquias, ad Principis emolumentum, proscriberent, suppressus est, & quidem excommunicationis indicta pœna, e Canonis, totiusque concilii consensu. Vetita, sub eadem pœna, incestuosa connubia, declaratique illegitimi & successionis impotes filii qui ex iis nascerentur. Prohibitum quoque, ne presbyterorum filii ad ordines promoverentur, nisi prius e regularibus canonicis fuissent; atque ut successionis, in omnibus ecclesiasticis beneficiis ac dignitatibus vetitæ speciem adimerent, addidere concilii Patres, eos qui jam ordinati fuerant, in ecclesiis in quibus eorum patres deservierant, deservire non posse. Singula decreta hæc, Hildeberto petente, confirmavit summus Pontifex Honorius II. *Ibid.*

Concilium Londinense, *an.* 1127.

Guillelmus de Corbelio, Cantuariensis episcopus & sanctæ Sedis legatus præfuit concilio huic quod Westmonasterii die 13. Maji, duobusque sequentibus diebus habitum fuit. Huic adfuere Angliæ & Scotiæ Episcopi cum abbatibus piisque viris numero pluribus; quod in causa est, ut idem inter nationalia concilia referatur; in eo editi canones duodecim.

Priores tres simoniam damnant, vetantque, ne quid ob beneficiorum collationem, ob ordines, ob monachorum, canonicorum & religiosarum receptionem exigatur.

4. Decanatus non nisi presbyteris, & archidiaconatus non nisi diaconis conferentur.

5. Vetantur ecclesiastici qui in sacris ordinibus constituti sunt, itemque canonici, ne feminas secum habeant; privanturque suis beneficiis, susceptorumque ordinum functionibus, qui concubinas habent.

6. Demandatur archidiaconis, ut his depravationibus invigilent, ab iisdemque Ecclesiam liberare conentur.

7. Præcipitur, ut presbyterorum & canonicorum concubinæ e parœciis trudantur; quæque in crimen relapsæ sunt, pœnitentiæ subdantur, aut vendantur.

8. Interdictio, ne quis duos eodem tempore archidiaconatus possideat.

9. In clericos interdictio, ne prædiorum domorumve rurallum procuratores aut receptores sint.

10. Mandatum, ut decima accurate solvatur.

11. Interdictio, ne decimæ aut beneficia ecclesiastica, sine Episcopi consensu, dentur aut accipiantur.

12. Abbatissæ & religiosæ simplicibus vestibus uti debent. *Ibid. & Anglic. I.*

Concilium Tricassinum, seu, *Trecense*, *an.* 1128.

Concilium hoc quod 13. Jannarii die an. 1128. ex archiepiscopis aut episcopis tredecim conflatum fuit; ei Cardinalis Matthæus, legatus, præfuit; in eodemque, e scripto, Templariorum Ordini qui Hierosolymis an. 1118. cœperat, data regula. Fallitur Fleurius, dum hunc ordinem ait omnium militarium ordinum primum esse, quandoquidem Paschalis II. approbaverat, ante annos quindecim, militarem ordinem Equitum Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, qui hodie Melitenses Equites nuncupantur; & ante hujus Papæ Bullam, equites hi commendas seu domos plures in Gallia jam possidebant. Hugo, novæ Templariorum militiæ supremus Magister interfuit Trecensi concilio in quo statutum, ut eorum regula sub Papæ & patriarchæ Hierosolymitani auctoritatem, e scripto redigeretur; & S. Bernardo qui concilio aderat, demandata negotii executio. Nobis suppetit hæc regula in septuaginta duos articulos distributa, quorum tamen plures post Ordinis incrementum additi fuere. Mandatur equitibus, ut totum, quam late patet, diei & noctis officium audiant; ita nihilominus, ut, cum militare servitium eos impedierit, quominus eidem intersint, iis liceat, ejus loco, Dominicarum orationum, vulgo *Pater*, certum quemdam numerum recitare; eos jubet regula feriis secunda & quarta, præter feriam sextam & sabbatum, abstinentiam servare, & venationem iis interdicit; iisdem commendat, ut breves capillos deferant, ne barbam & mystaces, seu superi labri pilos longiores gestent. In vicesimi octavi regulæ capitis textu leguntur hæc: *In barba & in grennionibus.* Putant auctores quidam *grenniones* significare *mystaces*, *grenones*, superioris labri barbam; & sane Ducangius ait *grenniones*, seu potius *grenniones*, *gregones*, *grennones*, *granones*, *granos* significare *moustache*, *mystacem eam scilicet barbæ partem quæ infra aures est*; subditque: *Ernulfus Roffensis episcopus*, *Tom. II. Spicilegii Acheriani*, *p.* 455. *quærit*, *cur sacer calix laicis propinandus non detur.* Respondet: *Evenit frequenter*, *ut barbati & prolixos habentes granos*, *dum poculum inter epulas sumunt*, *prius liquore pilos inficiant*, *quam ori liquorem infundant.* Chartusianorum statuta vetera de Conversis ita: *Barbam non decurtent*, *nec rasoriis granones radant.*

Concilium Rothomagense, *an.* 1128.

Cardinalis & legatus Matthæus, Episcopus Albanensis, habuit concilium hoc cum omnibus episcopis abbatibusque Normanniæ, coram Henrico, Angliæ rege. In eo constitutiones tres editæ quæ sequuntur.

1. Nullus presbyter uxorem habebit; quod si concubinam suam non remiserit, sua ecclesia suaque prebenda

benda privabitur; ejusque Missæ fideles adesse non poterunt.

2. Idem presbyter ecclesiis duabus deservire non poterit, nec idem clericus in distinctis ecclesiis duabus præbendas duas possidere; at Dei servitium in ecclesia obire debebit, quæ ei sustentationem suppeditat, ibique pro benefactoribus preces offerre.

3. In abbates & monachos interdictio, ne ecclesias & decimas e laicorum manu suscipiant; & ad laicos mandatum, ut eas remittant quas usurparunt.

Afferuntur hujus concilii acta in ecclesiastica Orderici Vitalis Historia, e qua in Collectionem Conciliorum Rothomagi, cujus auctor Bessinius, migrarunt.

Concilium Palentinum, in Hispania, an. 1129.

Rex Adelphonsus omnes suæ ditionis episcopos, abbates, comites, principes, cæterosque in dignitate constitutos ad hoc concilium accivit, in quo septendecim qui sequuntur, editi canones.

1. Publicum proditorem, furem, perjurum, excommunicatum nemo domi suæ seu secum habebit.

2. Interdictio, ne quis proprietatis titulo solum possideat quod minus quam passibus octoginta quatuor ab ecclesia distet, aut oblationes & decimas ab excommunicatis accipiat.

3. Locorum Domini subditos suos non nisi post æquum judicium spoliabunt.

4. Nulla locabitur ecclesia laicis.

5. Clericorum concubinæ publice ejicientur.

6. Ecclesiis & monasteriis quicquid sublatum fuerit, restituetur.

7. & 8. Errones monachi ad sua monasteria redire cogentur. Ne Episcopus quidem eos, sine abbatis venia, retinere, aut quempiam ab alio excommunicatum recipere poterit.

9. Mandatum, ut adulteri & incestuosi separentur.

10. In clericos interdictio, ne ecclesias e laicorum manu suscipiant, & in Episcoporum vicarios, ne in id consentiant.

11. Si Episcopos inter se dissidere contigerit, adigentur, ut mutuo in gratiam redeant.

12. Exilio plectentur, aut in monasterium trudentur qui clericos, monachos, mercatores, peregrinos & feminas aggressi fuerint.

13. Qui Reges jussa non fecerint, excommunicationi subdentur.

14. Ecclesiastici ad arma ferenda, vel ad aliquid aliud quod eorum statui repugnet, non adigentur.

15. In laicos interdictio, ne ecclesias aut oblationes possideant.

16. Quicquid ad Ecclesiam pertinet, in Episcoporum dispositione esse debet.

17. Falsi monetarii excommunicatione punientur, iisque rex oculos erui jubebit. *Ibidem*, & Aguirræus, *Concil. Hispan. Tom. V.*

Concilium Tolosanum, an. 1129.

Romanus de Sancto Angelo præfuit concilio huic quod Novembri mense habitum est. Cœtui aderant archiepiscopi, episcopi, aliique præsules, barones & equites. Eo spectavit conventus hic, ut hæretici detegerentur qui clam suos errores disseminabant, & in catholica fide populi firmarentur. Hanc ob causam in eo editi septendecim sequentes canones.

1. Episcopi & archiepiscopi statuent in quaque, tam urbana quam rurali parœcia, presbyterum unum & laicos tres, aut plures, si opus fuerit, jurejurando obstrictos, ut hæreticorum perquisitionem edant, eaque facultate instructos, ut domos visitent & loca omnia quæ iisdem recessui esse suspicio fuerit; eos detineant, & diligenter episcopis, locorum dominis, eorumve ministris denuntient, pro merito puniendos. Abbatibus ab ordinaria Episcopi jurisdictione exemptis synodus idem præcipit.

2. 3. & 4. Qui scienter hæretico concesserint, ut ob pecuniam, aliamve causam in eorum terra commorentur, priventur, ubi convicti fuerint, eadem terra, tradanturque ipsi locorum dominis qui eos puniet, prout res postulabit. Animadvertetur in eos quoque penes quos nullus quidem hæreticus compertus fuerit, sed quos tamen publica fama est iis sæpe receptum præbere. Dirnetur domus in qua hæreticus inventus fuerit, & fisco addicetur ejusdem fundus.

5. Ballivus cujus in hæreticorum persecutione detecta fuerit negligentia, suis bonis suaque dignitate spoliabitur.

6. Interdictio, ne quis puniatur tamquam hæreticus, quin hæreseos per ecclesiasticum judicium convictus fuerit.

7. Ea concessa facultas, ut hæretici nullibi non inquirantur, perficiaturque, ut retineantur, civili rogato regimine, præsentem ut opem conferat.

8. Si hæreticum ad fidei unitatem redire contigerit, non ei dabitur sua in urbe, siquidem suspecta fuerit, degendi facultas; sed in alia catholica minimeque suspecta urbe jubebitur ipse sibi domicilium statuere. Cruces duas, ab habitus colore alias, unam ad dexterum latus, ad sinistrum alteram deferet; accipiet ab Episcopo suo litteras quæ ejus reconciliationem testentur; &, antequam admittatur ad officia & acta publica, se a Papa ejusve legato in integrum restituendum curabit.

9. Hæreticos porro, quos, suam ut sectam desererent, non nisi mortis metus, aut alia ejusmodi causa impulit, Episcopus concludi jubebit, ne fideles corrumpant vitientque; ac, vel qui eorum bona detinent, vel Episcopus, eorumdem rationibus consulent.

10. Omnes, tam viri quam feminæ, hæ quidem a decimo secundo, ii vero a decimo quarto ætatis anno, cujusque generis hæreses abjurabunt, ut se catholicam fidem quam Romana Ecclesia profitetur, servaturos jurabunt; in hanc rem, fiet, e scripto, uniuscujusque parœciæ recensio, ut, si qui absuerint, intra quindecim a reditu dies, idem jusjurandum obstringant.

11. Omnes pariter, cum ad dijudicationis ætatem pervenerint, sua ipsorum peccata, ter in anno, proprio pastori, vel, eo annuente aut mandante, alteri presbytero confitebuntur, percipientque pœnitentiæ & eucharistiæ sacramenta, in Natali Dominico, in Paschate & in Pentecoste, nisi forte e parochi sui sententia ab iisdem abstineant; aliter, hæreseos suspicioni suberunt.

12. In laicos interdictio, ne veteris & novi Testamenti libros habeant, præter psalterium, breviarium ad divina officia, & horas officii B. Virginis; neque vero memoratos libros in vulgarem linguam translatos habere poterunt.

13. Mandatur, ut sedulo ægrotantibus invigiletur, postquam e sui parochi manu Communionem acceperint, quia sæpe contigerat, ut ægrotantes se ab hæreticis seduci sinerent.

14. Nulla declarantur omnia testamenta, quæ coram parocho, eove absente, coram alio ecclesiastico & aliquibus probis viris confecta non fuerint.

15. Nulli domino, seu ecclesiastico seu laico licebit ullam administrationem hæreticis, iisve concredere quos tales esse suspicio fuerit, eosdemve suam in familiam, suumve in consilium admittere.

16. Omnes utriusque sexus parochiani ei legi subsunt, ut dominicis festisque diebus ad ecclesiam veniant, ibique sermonem, divinum officium & integram Missam audiant, secus, subituri pœnam mulctæ turonensium denariorum duodecim, quorum sex loci domino, sex parocho & ecclesiæ cedant. Sabbato quoque ad vesperam, in B. Virginis honorem, ecclesiam ad pietatem compositi visitabunt.

17. Notantur festi per annum dies; & quidem tres in Natali Domini, tres item in Paschate, tres denique in Pentecoste. *Ibidem.*

Concilium Aniciense, seu, Podiense, in Velaunia, an. 1130.

Cardinales, post Honorii Papæ II. mortem, secti, Gregorium, cardinalem sancti Angeli, Innocentii II. nomine, alii; Petrum de Leone, presbyterum, cardinalem sanctæ Mariæ trans Tiberim, cui Anacleti II. nomen dederunt, alii elegerunt, quod in Ecclesia schismati causam præbuit. S. Hugo, Gratianopolitanus episcopus qui Petrum familiæ existimatione & violentia electum noverat, Anicium venit una cum aliquot aliis episcopis, ibique cum his Innocentium II. Papam legitimum pronunciavit. Nonnulli memoriæ prodiderunt eum ipsum huic concilio præsentem fuisse; qui tamen Avenione tunc erat, unde Vivariam venit, & illinc Anicium, concilio jam habito. *Ibidem.*

Concilium Clermontiense, Claromontanum, in Alvernia, an. 1130.

Innocentius Papa II. habuit Novembri mense concilium hoc cui cardinales aliquot, archiepiscopi octo cum suffraganeis, & abbates plures interfuere. Actum primo de catholica Fide, tum de morum reformatione, tandem de obedientia quæ Papæ Innocentio II. debebatur. Hanc omnibus & singulis ei pollicitis, lecti publice sequentes canones tredecim qui in Conciliorum

rum communibus Collectionibus desiderantur, & solum in Balutii Miscellaneis, *Tom. VII.* comperiuntur.

1. Quicunque per simoniam ordinatus fuerit, officio privabitur; omnesque quos pecunia ad aliquod beneficium aut ecclesiasticam dignitatem extulerit, dejicientur, & infamia notabuntur.

2. Episcopi, itemque cæteri ad unum clerici operam dabunt, ut per vestium modestiam Deo & hominibus placeant.

3. Ex Chalcedonensis concilii decreto, defuncti Episcopi bona successori reservabuntur, ecclesiæque œconomo tradentur; quovis alio, sub excommunicationis pœna, prohibito ea sibi sumere; eademque, quoad presbyterorum cæterorumque clericorum bona, statuta pœna.

4. Qui, subdiaconus ordinatus, uxorem ducet, aut concubinam sibi sumet, ordinis functionibus & beneficio, si quod habet, privabitur.

5. In monachos & regulares canonicos interdictio, ne obeant in foro advocati munia, aut medicinam profiteantur.

6. Laici qui ecclesias tenent, ad eas Episcopis remittendas, sub excommunicationis pœna quæ in perduelles statuta est, adigentur.

7. Nemo archidiaconus fieri poterit, quin diaconus sit, aut decanus seu præpositus, quin sit presbyter.

8. Instaurantur constitutiones ad Dei treguam certis quibusdam per hebdomadam diebus servandam spectantes; videlicet, a feria quarta post solis occasum, ad sequentem secundam usque post solis ortum; statisque anni temporibus, ut in Adventu & in Quadragesima, in Octavis Natalis Domini & Epiphaniæ, & a Quinquagesima ad Pentecosten usque.

9. Ludicra certamina & alia spectacula in quibus equites, in bellicæ virtutis specimen, armata manu invicem dimicabant, cum exsecratione damnantur. Mandatur, ut ad mortem vulnerato, petentique pœnitentia & viaticum concedantur.

10. & 11. Pronuntiatur in eos anathema, qui, instigante dæmone, clericos monachosve percusserint; vetaturque, ne quis se successionis jure beneficiis potiatur, ei pœnæ futurus obnoxius, ut iisdem beneficiis spolietur, quibus ita potitus fuerit.

12. Monet concilium incestuosa matrimonia non solum Ecclesiæ legibus adversari, verum etiam civilibus quæ filios ex hujusmodi matrimoniis natos infames declarant.

13. Excommunicatione percelluntur incendiarii, iisque præterea imponitur pœnitentiæ loco, ut in Terra Sancta, vel in Hispania militare servitium, ad annum, obeant.

Concilium Stampense, an. 1130.

Ludovicus rex, cognomento Crassus, convocavit ad Aprilem mensem concilium hoc, ut statueret, utrum ab Innocentio, an ab Anacleto staret, qui ambo summi Pontifices electi fuerant. S. Bernardus, ut eo se conferret, rogatus fuit; ac, post jejunium & preces, inter concilii Patres convenit, ut ei nemo non, quoad hoc magni momenti judicium, acquiesceret. Sanctus abbas, cum duorum competentium electionis formam, eligentium meritum, electorumque existimationem in maturo examine posuisset, suum Innocentio suffragium dedit, cui nulla interjecta mora universus cœtus adhæsit. *Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.*

Concilium Remense, an. 1131.

Summus Pontifex Innocentius II. præfuit concilio huic, cui adfuere Archiepiscopi tredecim, Episcopi, supra ducentos, sexaginta tres, ingensque abbatum, clericorum & monachorum numerus tam ex Gallia quam ex Germania, Anglia & Hispania. Patuit cœtus postridie festi S. Lucæ ad dies quindecim; publicisque deliberationibus una cum Cardinalibus S. Bernardus interfuit. Approbata est a concilii Patribus Innocentii II. solemnem in modum, electio, & Petrus de Leone, nisi resipisceret, excommunicatione perculsus. S. Norbertus, Magdeburgensis archiepiscopus, Papæ obtulit Regis Lotharii litteras per quas hic Princeps ei rursus obedientiam promittebat. Henricus quoque, Angliæ rex, obedientiæ litteras per Hugonem, archiepiscopum Rothomagensem, eidem oblatas voluit. Eum pariter Alphonsus IV. Aragoniæ & Navarræ rex, itemque Alphonsus VII. Castellæ rex agnoverunt. Vulgavit concilium canones septendecim, eosdem propemodum quos superiore anno 1130. Claromontanum concilium ediderat; quod nos ab iis hoc loco referendis eximit. Eorum decimus quartus qui quidem in Cleromontano concilio non extat, excommunicationis indicta pœna, vetat, ne manus in eos injiciantur qui in ecclesiam vel in cœmeterium confugiunt. Ludovicum Principem, regis Ludovici Crassi filium Papa Regem sacravit, & S. Godchardi, Hildesiensis episcopi canonizationis cæremoniam pergit. *Ibidem.*

Concilium Pisanum, an. 1134.

Innocentius Papa II. cum Pisis esset, coegit ibidem concilium hoc quod nonnunquam *generale* nuncupatur, propterea quia pene ex omnibus Occidentis Episcopis conflatum fuit; ad illud vocatus S. Bernardus, ut omnibus deliberationibus interesset. Ei convocando id causæ fuit, ut Petrus de Leone, seu antipapa Anacletus, cum omnibus ejusdem fautoribus, excommunicationi subderetur; in eo præterea de aliis Ecclesiæ utilibus negotiis actum; depositus Alexander, Leodiensis episcopatus usurpator; canonizatus S. Hugo, Gratianopolitanus episcopus; perculsusque anathemate Henricus hæresiarcha qui, post Paschalis II. pontificatum, errores suos in Galliarum ecclesiis disseminare nunquam destiterat. Impostor hic, specie tenus, admodum asperam, sub eremitæ habitu, vitam agebat, breves capillos deferens, nudisque pedibus, vel in ipsa summa hieme, semper incedens; at, speciosa hac imagine, turpiores depravationes & perniciosiores errores celabat. Cum Cenomanum se contulisset, ibi tamquam Apostolus exceptus fuit; ecclesiæque auditorum multitudini impares extiterunt. Prædicabat, inter alia, feminas quæ caste non vixerant, ad sua expianda peccata, se omnino ad nuditatem spoliare debere, suaque deinde indumenta omnia cum capillis comburere. Eas jactatus propheta novis vestibus induebat; eæque feminæ, per hanc cæremoniam, sua omnia peccata deleta, suumque internum statum renovatum putabant. Docebat præterea dotem ad matrimonium nec dandam esse, nec accipiendam, eumque qui volebat aliquam feminam sibi conjugem addere, casta, necne, fuisset, parum sollicitum esse debere. Excitabat ab inferis hæresin Vigilantii, & hunc secutus Sanctorum in cælis cum Christo regnantium invocationem impugnabat. Disseminabat sua dogmata per Provinciam, cum eum Arelatensis archiepiscopus captum ductumque voluit ad Pisanum concilium in quo excommunicatus & ad carcerem in reliquum vitæ tempus damnatus fuit; qui, ut se ictui subduceret, velle finxit sub Sancti Bernardi disciplina inter monachos nomen dare; sancto igitur abbati traditus, ab eoque ad Claravallense monasterium missus; at per iter elapsus, Galliarum Ecclesiæ iterum nocuit. *Reg. Tom. XXVII. Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.*

Concilium Londinense, an. 1138.

Legatus Albericus convocavit concilium hoc, eidemque præfuit, 13. Decembris die. Constabat illud ex episcopis septendecim, abbatibus circiter triginta, clericis pluribus, & populorum ingenti numero. Septendecim canones edidit quorum plerique ea solum renovant quæ in præcedentibus conciliis contra simoniam, incontinentiam & usuram clericorum, usurpationem bonorum Ecclesiæ, & hæreditariam beneficiorum successionem statuta fuerant.

2. Canon Christi Domini Corpus non ultra dies octo servandum, tantumque a presbytero vel a diacono ægrotantibus administrandum; subdit tamen, quemlibet, urgente necessitate, singulari quidem observantia custodita, ad eos illud deferre posse.

7. Eos qui ab alieno episcopo, sine diœcesani dimissoriis litteris, ordines susceperunt, eorum munia obire vetat, nisi a Papa id facultatis obtineant, aut religionis habitum sumant.

10. Ad Papam remittit eorum absolutionem qui presbyteros aut personas Deo consecratas male habent, nisi mortis periculum adsit.

12. Vetat capellas extrui sine Episcopi venia.

13. Ecclesiasticis interdicit, ne arma ferant, & militiam profiteantur.

15. Religiosas vetat, ne pretiosis, ut martorum aut ponticorum murium pellibus instructas vestes gerant, ne aureis annulis utantur, ne sibi capillos crispent, omnino sub anathematis pœna.

17. Scholæ magistros prohibet suas scholas aliis pecunia locare. *Ibidem, & Anglic. I.*

Con-

Concilium Lateranense, X. generale, an. 1139.

Innocentius Papa II. cum sanctæ Sedis pacificus possessor evasisset, congregavit concilium hoc, 8. Aprilis die, ad absolutam Ecclesiæ redintegrationem, post schisma quod eam diviserat. Adfuere cœtui Præsules circiter mille, tam patriarchæ quam archiepiscopi & episcopi qui ex omnibus christiani orbis partibus eo convenerant. Quicquid hoc in concilio gestum est, ad articulos omnino quatuor redigi potest. Primo loco, abrogatum est, quicquid Petrus de Leone, seu antipapa Anacletus egerat; declarataeque nullæ omnes ordinationes quas tum ipse, tum Girardus, Engolismensis episcopus, schismatis fautor, ediderant; est hoc tricesimi canonis argumentum. Secundo, excommunicatione perculsus Rogerius II. Siciliæ Comes, propterea quod Regis titulum ab antipapa Anacleto acceperat, ejusque partes amplexus fuerat. Tertio, damnati errores Petri de Bruis & Arnaldi Brixiensis; in hos editus canon vicesimus tertius qui idem prorsus, ad verbum, est ac Tolosani, contra novos Manichæos, an. 1119. concilii tertius. Articulus quartus relaxationes spectat quæ, schismatis occasione, in mores & ecclesiasticam disciplinam inductæ fuerant. Ut his malis remedium afferret, edidit concilium canones viginti octo, præter memoratos duos qui hæreticos & schismaticos impetunt. Cæteri propemodum iidem ac Remensis an. 1131. & Claromontani an. 1130. conciliorum sunt; qui tamen laudantur Lateranensis concilii nomine, ut plus auctoritatis iisdem tribuatur.

1. & 2. Suis eos dignitatibus & beneficiis privant, qui per simoniam ordinati fuerunt, quique aliquod beneficium emerunt aut vendiderunt.

4. Episcopis aliisque ecclesiasticis mandat, ut nemini scandalum afferant, vestium colore, forma, aut redundantia, sed se modestum regulisque consentaneum in modum induant. Addit eos qui hanc regulam non servaverint, suis beneficiis privandos, nisi se corrigant, postquam eos Episcopus de re monuerit.

7. Missas a conjugatis aut concubinariis presbyteris celebratas audiri vetat. Nulla declarat presbyterorum, canonicorum regularium, monachorum matrimonia; mandatque ut, qui ea inierint, pœnitentiæ subdantur.

9. Canonicis regularibus & monachis interdicit, ne civile jus & medicinam edifcant, ut emolumentum ex hac exercitatione percipiant, idque ex ipsa civilium legum interdictione; episcoposque, abbates & priores qui has functiones obeundi facultatem suis inferioribus tribuunt, excommunicatos vult.

10. Laicis qui decimas aut ecclesias habent, mandat, excommunicationis indicta pœna, ut eas, seu ab Episcopis acceperint, seu a Principibus obtinuerint, seu ab aliis personis teneant, Episcopis reddant. Idem canon prohibet, ne archidiaconatus aut diaconatus aliis quam presbyteris aut diaconis conferantur; iisque provisos, quin in ordinibus constituti sint, privandos pronuntiat, si renuant se ordinandos curare; vetatque, ne iidem junioribus dentur qui ordinibus initiati non sunt, neve ecclesiæ, locationis pretio, presbyteris tribuantur.

14. Vetat militaria certamina quæ in nundinis peraguntur; mandatque, ut gladiatores qui inter ejusmodi certamina sauciati fuerint, ecclesiastica sepultura priventur, tametsi pœnitentia & viaticum iisdem negari non debeant.

22. Presbyteros haud pati jubet, ut laici, falsis editis pœnitentiis, decipiantur; monetque pœnitentiam falsam esse, cum pœnitens haud se corrigit, aut in peccati proxima occasione persistit, munus nempe vel officium obit, quod sine peccato exerceri non potest, aut non facit ei satis quem læsit, aut ei non ignoscit a quo læsus fuit, aut injustum denique bellum gerit.

27. Anathematis indicta pœna, arrogatas religiosas quasdam in suscepto vitæ genere pergere vetat. Erant hæ nescio quæ feminæ quæ, quin S. Basilii, aut S. Benedicti, aut S. Augustini regulam servarent, religiosæ haberi volebant, degebantque in privatis domibus, ubi malæ famæ personas, hospitalitatis specie, recipiebant.

27. Religiosas ire vetat, ut in eodem cum canonicis aut cum monachis choro canant.

28. Statuit, ne qua ecclesia ultra tres ab Episcopi morte menses vacans relinquatur; vetatque, sub anathematis pœna, ne canonici ab Episcoporum electione pias personas arceant, electionem, quamcumque, iis non vocatis, ediderint, nullam pronuntians.

Per has pias personas, concilium canonicos regulares & monachos intelligit qui fere ad Episcoporum electiones appellabantur.

Concilium Constantinopolitanum, an. 1140.

Leo Stypiota, Constantinopolitanus patriarcha, adsistentibus metropolitanis undecim & archiepiscopis duobus, cum Imperatoris officiariis, habuit concilium hoc quod Constantini Chrysomali scripta, utpote Enthusiastarum & Bogomilarum erroribus infarta damnavit. In iis, inter alia, dicebatur, honorem Principi aut magistratui exhibere, esse, Satanam adorare; baptismum infantibus collatum omni prorsus effectu carere, quia hi quidem, antequam eum suscipiant, edoceri non possunt; pœnitentiam iis inutilem esse qui regenerati non fuerunt; eos qui baptismum susceperunt, & veri Christiani sunt, non amplius legi subesse, quia ad mensuram ætatis Christi Domini pervenerunt; Christiano cuique duas animas inesse, impeccabilem unam, peccatricem alteram; cum ei qui nondum Christianus est, una tantum insit. Allatius, *de Consensu Eccles. Occid. & Oriental. lib.* 2. *cap.* 11. & Pagius *ad an.* 1140. *num.* 25.

Concilium Parisiense, an. 1147.

Eugenio Papæ III. hujus concilii, Aprili die 20. habendi causam præbuit Gilbertus Porretanus cujus doctrina ad eumdem delata fuerat. Productæ in Gilbertum propositiones plures, ac testes qui ex ejus ore easdem audierant, cum excerptis ex ipsius in Boetium commentario. Enuntiabant propositiones hæ divinam essentiam non esse Deum, divinarum Personarum proprietates non esse Personas ipsas, divinas personas non esse attributum in ulla propositione, divinamque naturam non esse incarnatam, sed solum personam Filii. Negavit Gilbertus se dixisse aut scripsisse divinitatem non esse Deum, esse in Deo formam aut essentiam quæ Deus non sit; at, quia alii contra stabant, hujus disputationis decisionem remisit Pontifex ad concilium quod Remis, ad mediam sequentis anni 1148. Quadragesimam, habendum sibi proponebat.

Concilium Remense, an. 1148.

Habuit Eugenius Papa III. concilium hoc, Quadragesimæ Dominica quarta quæ in 21. Martii diem incidebat. Quamvis autem concilio huic aliquando *generalis* titulus tribuatur, ei tamen non adfuere nisi transalpini Episcopi & abbates, Galliæ scilicet, Germaniæ, Angliæ & Hispaniæ. Ductus in concilium vir nobilis Brito, *Eudo*, *sus de Stella* nomine, vulgo *Eon* qui se Dei Filium, vivorumque & mortuorum judicem obtrudere volebat, ex adlusione nominis cum latino vocabulo *eum*, quod in exorcismorum solemni conclusione legitur: *Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos*; itemque in communium orationum fine: *per eumdem*, &c. Erat insigniter rudis homo qui Papæ non nisi ineptias respondit; mandatum proinde, ut in carcerem truderetur; traditique sæculari brachio qui ex ejus discipulis obfirmatum in erroribus animum prætetulerunt.

Gilbertus Porretanus, suam doctrinam purgare volens, protulit plurimos Patrum textus quos ab adversariis eos afferentibus mutilatos fuisse monuit. At jussus a Papa nitide dicere, an divinam essentiam Deum esse crederet, respondit, nequaquam; disputatum etiam super reliquis propositionibus a Gilberto propugnatis; quarum ut error melius ob oculos poneretur, iis opposita est fidei confessio in quatuor articulos distributa: „ 1. Credimus divinitatis simplicem naturam Deum esse, Deumque esse divinitatem; eum esse sapientem „ per sapientiam quæ is ipse est, magnum per magnitudinem quæ est is ipse, & sic porro de cæteris attributis. 2. Cum de divinis tribus personis loquimur, eas dicimus unum Deum, unamque divinam „ substantiam esse; &, e converso, cum de divina „ substantia loquimur, eam dicimus in tribus personis „ esse. 3. Dicimus Deum solum æternum esse, nullamque rem aliam, seu *relatio*, *proprietas*, seu aliter „ nominetur, existere, quæ sit æterna, quin Deus sit. „ 4. Divinitatem ipsam, divinamque naturam credimus in Filio incarnatam esse. “ Hæc fidei confessio iis quoque probata fuit, qui Gilberti personam sustinere visi fuerant. Damnati ejus doctrinæ articuli quos ipse in medium attulerat, vetitumque, ne legeretur, aut transcriberetur liber e quo ducti fuerant.

Septendecim deinde canones ad morum ac disciplinæ reformationem, concilium edidit.

1. & 2. Quicunque Ecclesiæ bona usurpaverit, diripuerit, aut, quacunque demum ratione, detorserit, anathema sit. Clericus qui alicujus ecclesiæ redditus, contra Episcopi jussa, perceperit, anathemati subdetur,

tur, quoad restituerit; & presbyter qui, per hoc tempus, eidem ecclesiæ deservierit, eamdem pœnam subibit, & præterea gradu spoliabitur.

3. 4. & 5. Vetitum, ne trahatur redemptionis pretium e clerico, ne ejus obsides retineantur, ne ipse in carcerem vel in vincula conjiciatur, omnino sub pœna anathematis, interdictionisque loci in quo detinebitur, aliorumque locorum omnium quæ ad dominum pertinebunt, qui hunc clericum ceperit. Hujus censuræ absolutio, præter quam in mortis casu, Papæ reservata.

6. 7. & 8. Sub pœna privationis officii & beneficii, in clericos interdictio, ne cum excommunicatis, etiamsi nobili conditione fuerint, ulla prorsus ratione communicent; ne divinum officium celebretur, aut æra campana pulsentur in urbe vel oppido, aliove quovis loco, ubi excommunicatus extiterit, quamvis adesset Rex ipse, sub pœna, quoad aulæ capellanos, locorumve presbyteros, depositionis & jacturæ beneficii.

9. Excommunicatus, ob rapinam aut invasionem bonorum Ecclesiæ, jurejurando adigetur, ut summam quæ ei statuetur, quotannis solvat, ad integram satisfactionem usque, antequam absolutionem percipiat, cum damno quod intulit, statim reparando non erit.

10. & 11. In presbyteros interdictio, ne dominorum capellis deserviant, sine Episcopi venia, cui eodem tempore se nulla non in re dicto audientes fore promittent.

12. & 13. Presbyteri qui, propterea quia celebrarunt, cum celebrare prohibiti essent, anathema subierunt, gradu dejicientur, & bonis ecclesiasticis spoliabuntur, nisi a Papa suarum culparum veniam obtineant.

14. 15. & 16. Episcopus, a confratre rogatus, ut judicium in aliquam personam latum enuntiet, id recusare non poterit, quin periculum subeat, ne suo ipse ordine privetur. Excommunicatorum corpora sine sepultura remanebunt; ac si forte cujuspiam nominatim excommunicati corpus in cœmeterio sepultum fuerit, exhumabitur.

17. Interdictio, ne quis Vasconiæ & Provinciæ hæreticos, hoc est, Manichæos, recipiat, iisve patrocinetur, excommunicationis in eorum fautores, & in fautorum ipsorum terras interdicti statuta pœna.

Domnus Martenne, in suorum Anecdotorum tomo quarto, e duobus manu scriptis codicibus, uno Abbatiæ S. Germani de Pratis, altero Montis Sancti Michaelis, hos canones in lucem edidit. Longe aliter referuntur in Conciliorum generalibus Collectionibus. Decimus septimus quem modo ex Domno Martenne protulimus, idem est decimus octavus & ultimus in Patris Labbæi Collectione. Jam vero in hujus ipsius Collectionis canonibus cæteris animadversione digna sunt hæc.

2. Episcopi, itemque clerici reliqui, per colorum in vestibus varietatem, oculos populi non offendent. Incisiones etiam in pannis & redundantiam vitabunt, & ita se gerent, ut ex eorum operibus innotescat, quantopere cordi habeant in innocentia vivere quæ clericalis ordinis dignitati congruit.

4. Religiosæ & canonicissæ quæ parum castigate vivunt, ad S. Benedicti, vel S. Augustini regulam se conformabunt; clausuram servabunt, præbendas suas deserent & quicquid proprietatis titulo possident, ut communem vitam agant.

5. Vetiti laici ecclesiastica negotia judicare; vetiti item episcopi, aliique ecclesiarum præsules, eos eorumdem negotiorum judices facere.

6. In ecclesiarum advocatos interdictio, ne quid ex iisdem ecclesiis seu sibi, seu suis inferioribus sumant, ultra jura vetera.

8. In laicos interdictio, ne decimas possideant, seu ab episcopis, seu a regibus, seu ab alio quicunque tandem sit, easdem acceperint.

10. Non ponentur in ecclesiis presbyteri mercenarii per commissionem; eritque earum singulis suus peculiaris presbyter, qui nonnisi per episcopi, vel archidiaconi canonicum judicium destitui poterit, & cui congrua super ecclesiæ bonis subsistentia designabitur. *Ibidem*.

Concilium Constantinopolitanum, *an.* 1155.

Lucas, Constantinopolitanus patriarcha, præfuit concilio huic cui metropolitani plures interfuerunt. Concilii causa hæc fuit; cum diaconus quidam, Basilius nomine, cui verbi ministerium demandatum erat, Evangelium explicans, edixisset unum eumdemque Dei Filium offerre ad altare, & victimam esse, unaque cum Patre oblationem accipere, quæ super altari fit; eum auditorum nonnulli vituperarunt, ajentes sacrificium Patri & Spiritui Sancto tantum offerri, non item Filio, qui, subdebant, sacrificator est. Ita hi quidem ratiocinabantur, veriti, ne in Christo Domino ponerentur, quod Nestoriani faciebant, personæ duæ, videlicet, una quæ oblationem perageret, & altera quæ eamdem susciperet. Concilii decisio ejusmodi fuit, Filio, perinde prorsus ac Patri & Spiritui Sancto oblationem fieri. Retulit Allatius synodicum decretum hoc in Apologia concilii Ephesini, *Allat. pag.* 582.

Concilium Oxoniense, *an.* 1160.

Coactum fuit concilium hoc contra novam sectam quæ in Anglia prodierat, cujusque antesignanus erat quidam, Gerardus nomine. Erant hujus asseclæ omnino triginta, Germani origine, rude inscitumque genus hominum. Uni Gerardo aliquis a litteris cultus erat. Spectabant homines hi tamquam inutilia baptismatis & eucharistiæ sacramenta, horroremque quoad matrimonium testabantur. Eos episcopi pertinaces conspicati, hæreticos declararunt, & Regi Henrico II. tradiderunt, qui eos fronti impressam hæreseos suæ notam gerere voluit, virgis cedi jussit, & urbe expulit. *Lab. Tom. X.*

Concilium Tolosanum, *an.* 1161.

Coactum fuit concilium hoc, ut inter Alexandrum III. & Victorem III. qui ambo Papæ electi fuerant, decideretur. Henricus II. Angliæ, & Ludovicus VII. Galliæ, reges, ad illud cum procerum suorum multis se contulerunt; advenere pariter Imperatoris Friderici & Regis Hispaniæ oratores, & utriusque Papæ legati. Constabat concilium e præsulibus centum, tam episcopis quam abbatibus. Alexandri Cardinales auditi primi; perspectumque ex eorum responsis quos Victor seu Octavianus miserat, e præsentibus iisque integerrimis testibus, & ex ipsis schismaticorum verbis, Octaviani electionem nullam esse; eum sibi ipsum cappam induisse, & laicorum ope in pontificali cathedra positum fuisse; eumdem post dies octo excommunicatum, consecratum fuisse ab episcopis Tusculano & Ferentinensi, cum eo pariter excommunicatis, & a Melphitano, ob notoria crimina jam damnato depositoque; e contra, Alexandrum ab omnibus Cardinalibus, duobus tantum exceptis, Joanne & Gui Cremensi, electum fuisse; horum vim obfuisse, quominus statim solemne in modum cappa indueretur; & hac ipsa deinde, opportuno tempore & loco, indutum fuisse. Tolosani concilii ea communis sententia fuit, ut schismaticus Octavianus rejiceretur, & Papa Alexander reciperetur. *Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.*

Concilium Turonense, *an.* 1163.

Summus Pontifex Alexander III. qui schismaticum Octavianum, omnesque ejus fautores in Montis Pessulani concilio, an. 1162. celebrato, excommunicatione perculerat, aliud habuit Turonibus, seu Cæsarodūni, sequente anno 1163. Ei ad latus aderant Cardinales septendecim, episcopi centum viginti quatuor, abbates quadringenti quatuordecim, aliique bene multi tam ecclesiastici quam laici regionum omnium quæ ab Alexandro erant, sed Galliæ & Angliæ potissimum. Domnus Cellerius huic concilio ait archiepiscopos centum viginti quatuor, & episcopos quadringentos quatuordecim adfuisse; quod, dubio procul, impressionis erratum est. Arnulus, Episcopus Lisiacensis, concilium aperuit die 19. Maji, per sermonem in quo episcopos hortatus est, ut Ecclesiæ unitatem contra schismaticos, ejusdemque libertatem contra tyrannos qui eam opprimebant, pro virili defenderent. Ait, quoad schismaticos, eorum, ad Ecclesiam dilacerandam, conatus non impedire, quominus ipsa, suapte natura, ac per se, una sit, quandoquidem ejusmodi homines ex ejus sinu prodeunt, & extra remanent; ait, quoad tyrannos, dare eos quidem operam, ut ei libertatem adimant, quam tamen ipsa sibi fartam tectamque servat, quoniam sua eos spirituali potestate punit. Alexandri electionem concilium una voce canonicam pronuntiavit, & sequentes decem canones edidit.

1. Interdictio, ne præbendæ ac dignitates ecclesiasticæ, peculiariter vero minora beneficia dividantur.

2. Interdicitur clericis & religiosis usura cujusque generis, etiam contractus pignorativus dictus, per quem accipitur pignoris loco fundus, ad fructuum usum, quin iidem reddītus super mutuæ pecuniæ principali sorte imputentur; ac si forte fructus percepti fuerint, qui, deductis messis expensis, principem sortem exæquent, concilium jubet fundum reddi.

3. In episcopos, aliosque præsules interdictio, sub excommunicationis pœna, ne laicorum cuipiam ecclesiam, decimam, aut oblationem dent.

4. Ad Manichæorum qui noti Albigensium nomine, cohibendam hæresim quæ per Vasconiam proximasque provincias serpebat, vetat concilium, excommunicationis indicta pœna, ne, qui eos noverint, hospitium aut patrocinium iisdem tribuant, ne quo cum iis commercio jungantur, vel ad vendendum, vel ad emendum, vel aliter; catholicisque dominis mandat, ut eos in carcerem trudi jubeant, præscriptis ipsorum bonis; atque adeo quam maximam poterunt, diligentiam adhibeant, ut omnes eorum conventus impediant.

5. Presbyteros mercede conduci vetat, ut ecclesiis deserviant, per certam quamdam iisdem solutam summam, seu censum annuum. Textus his verbis conceptus est; *Quoniam enormis quædam consuetudo in quibusdam locis contra sanctorum Patrum constitutiones invaluit, ut sub annuo pretio sacerdotes ad ecclesiarum regimen constituantur; id ne fiat, modis omnibus prohibemus; quia, dum sacerdotium sub hujusmodi mercede venale disponitur, ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur.* Textus hic ita reddendus videtur, ut modo redditus est. Sunt tamen auctores, in quorum numero Cellerius est, qui canonem hunc ita intelligunt, ut ecclesiarum administrationem, ob annuum pretium, locari vetent; nec desunt, ut Pater Fontenai, Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ Tomo nono, qui eum in utramque rationem interpretentur, & ita reddant. „ Interdictio, ne locentur ecclesiæ presbyteris, horum„ ve ibidem opera ad altaris servitium adhibeatur, „ ob certam summam, seu censum annuum qui iis„ dem addicitur. “

6. Interdictio, ne quid exigatur ob ingressum in religionem; ne prioratus aut capellæ monachorum seu clericorum vendantur; ne quid etiam exigatur ob installationem ad beneficia, ob sepulturam, ob ægrotantium unctionem, seu sanctum chrisma, quin in id afferri possit consuetudo, quæ solummodo peccatum augeret, nedum transgressionem purgaret.

7. In episcopos interdictio, ne decanis & archipresbyteris, retributionis ope, demandent finienda negotia quorum judicium ad episcopos ipsos & ad archidiaconos pertinet.

In episcopos & archidiaconos interdictio, ne decanos & archipresbyteros statuant, ut eorum loco ecclesiasticas causas judicent, certæ cujusdam annuæ retributionis ope.

8. Damnatur usus qui apud religiosos aliquos obtinebat, ut e claustris egrederentur, charitatis obducta causa, videlicet, ut medicinam exercerent, ut civiles leges edicerent, ut negotia gererent, contendentes ea se fidelius quam sæculares perficere; regredi jubentur intra duos menses, sub excommunicationis pœna; mandaturque, ut, si quis eorum se stiterit, ut advocati munus obeat, ei omnis omnino audientia denegetur. Damnatus jam fuerat abusus hic ab Innocentio II. in concilio Remensi an. 1131. & in Lateranensi an. 1139. Sæculares porro clericos non complectebatur hæc interdictio, quia laici, cum litterarum tum quidem expertes essent, medici & advocati professionibus obeundis inepti erant. Has ipsas concilium ne religiosis quidem prohibet, dummodo eos suis e claustris eædem non extrahant.

9. Nullæ declarantur ordinationes ab Octaviano, a schismaticis & ab hæreticis editæ.

10. Mandatur, ut oppidorum capellani, moniti in ea aliquid ex Ecclesia sublatum, illatum esse, dominum, eumve qui ibidem imperat, de re certiorem faciant; quo quidem restitutionem non præcipiente, omne divinum officium, in oppido, præter baptismum, confessionem & viaticum, intermittant; una etiam per hebdomadam Missa, ostiis clausis, in vico, dici possit; at si oppidani per dies quadraginta, post excommunicationem in eos pronuntiatam, contumaces persliterint, capellani egrediantur, itemque scriptores, hoc est, clerici qui eorum loco scribebant, aut legebant, hi nempe domini, tum scribere tum legere nescii, clericorum ministerio ad has functiones duas utebantur. Addit concilium oppidorum clericos mutari non posse, nisi jusjurandum præstiterint, diligentiam adhibente archidiacono, se hunc canonem servaturos. Mandat præterea, ut mercatores, aliique urbium & vicorum incolæ nullum excommunicatum excipiant, nullumque cum eodem commercium ineant; ac, si in locis ad Regis dominium spectantibus, connestabilis, hoc est, gubernator excommunicatus fuerit, divinum officium cesset, cum is ibidem aderit. *Reg. Tom. XXVII. Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.*

Constantinopolitanum Concilium, an. 1166.

Imperator Manuel convocavit concilium hoc, causam præbente, homine quodam Demetrio nomine, Lampæi, qui in Asia vicus, nato, qui contendebat Christum Dominum & tamquam hominem, & tamquam Deum, Patri prorsus æqualem esse. Lucas Chrysobergius, Constantinopolitanus patriarcha, quinquaginta sex, seu sexaginta episcopis adsistentibus, cœtui præfuit, qui canones novem edidit. Continent hi, summatim, ea Christi verba „ meus Pater major me „ est, “ debere, secundum sanctorum Patrum interpretationes, de eo intelligi, quoad ejus humanitatem per quam passus est; Verbum, dum humanam naturam sumpsit, non eam in divinitatem vertisse, verum, per humanæ naturæ cum divina natura unionem, humanam naturam ipsam divinæ dignitatis participem esse; ut ea proinde unius ejusdemque adorationis cum Verbo quod eam sumpsit, objectum sit; eam cum suis quidem omnibus naturalibus proprietatibus permanere, at divinitatis emolumentis locupletatam; ut proinde Domini caro, per hypostaticam unionem ad supremam dignitatem evecta, sine ulla prorsus mutatione aut confusione, cum eo super throno ad Patris dexteram sedeat. Concilium in eos omnes anathema dicit qui Christi Domini verba, „ Meus Pater major „ me est, “ non, ut sancti Patres explicuerunt, nec œcumenicorum conciliorum quarti & sexti acta recipiebant. Concilii canones, Imperatoris subscriptione firmati fuere, impressique lapidibus qui in Sanctæ Sophiæ ecclesia, ad ingredientium sinistram manum positi; inserti quoque fuere Synodico quod Græci legunt in Festo Orthodoxiæ, seu restitutionis Imaginum; quod Quadragesimæ dominica die prima celebrant. L. Allatius, *lib. de Consensu utriusque Ecclesiæ, lib. 2. cap.* 12. *num.* 4.

Concilium Cassiliense, in Irlandia, an. 1172.

Henricus II., Angliæ rex, Irlandiæ potitus, haberi jussit concilium hoc cui Christianus, Lismoriensis Episcopus, tamquam sanctæ Sedis legatus præsuit. In eo editi canones octo qui sequuntur.

1. Matrimonia non contrahentur nisi ex Ecclesiæ legibus, cum Irlandensium plerique sibi quot voluissent, & sæpe quidem proximas consanguineas uxores sumerent.

2. Ferentur infantes ad Ecclesiam, ut catechizentur ad januam, scilicet exorcizentur, ac deinde baptizentur ad fontes, a presbyteris, in aqua pura, per immersiones tres, extra mortis periculum. Retro actis temporibus, in Irlandiæ locis pluribus, is mos vigebat, ut, cum infans vix natus esset, eum pater, aut qui primus venisset, ter in aquam, &, si divitis filius erat, in lac immergeret; deinde vero ea aqua, illudque lac, tamquam immunda abjicerentur.

3. Pecoris, fructuum, cæterorumque omnium proventuum decima parochiali ecclesiæ solvetur.

4. Ecclesiasticæ terræ omnes ab omni sæcularium exactione immunes erunt, peculiariter ab epulis & hospitalitate; quæ iidem per vim sibi tributa volunt.

5. Clerici non ei legi suberunt, ut ad homicidii a laico perpetrati compositionem cum cæteris propinquis contribuant.

6. Omnes fideles ægrotantes testamentum conficient coram confessario proximisque, suaque ipsorum bona divident in partes tres; quarum una cedat filiis, altera conjugi, tertia funeri, fundendis scilicet pro ipsis ad Deum precibus.

7. Qui mortem obierint rite ac recte confessi, sepulturæ dabuntur ex Ecclesiæ usu, cum Missis vigiliisque.

8. Divinum officium ubique celebrabitur ex Anglicanæ ecclesiæ usu, cum rationi consonum sit, ut Irlandia quæ ab Anglia suum Regem habuit, ab eadem meliorem quoque vitæ formam accipiat. Et sane Irlandia pacem qua fruitur, & religionis incrementum ab Anglia percepit. *Ibid.* & *Anglic. Tom. I.*

Concilium Abrinense, Abrincatense, in Normannia, an. 1172.

Theoduinus & Albertus, Cardinales & sanctæ Sedis Legati præfuere concilio huic, cui Episcopi & abbates Normanniæ adfuere. Henricus II. Angliæ Rex in eo a Legatis absolutionem suscepit, cum ad sancta Evangelia jurasset se ad Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi, mortem omnino non contulisse, illicitasque consuetudines quas in Angliam induxerat, abrogasset. Edidit deinde concilium sequentes canones duodecim.

1. & 2.

1. & 2. Vetat synodus, ne beneficium ullum, animarum curam adjunctam habens, pueris, aut presbyterorum filiis paternæ ecclesiæ conferantur.

3. Laici nihil ex oblationibus sibi sument.

4. & 5. Nulla ad servitium ecclesia annuis Vicariis dabitur; at jubebuntur ecclesiarum quæ id oneris pati possunt, parochi vicarium habere.

6. & 7. Interdictio, ne presbyteri sine certo titulo ordinentur, neve ecclesiæ locentur.

8. Presbyter qui ecclesiæ deservit, tertiam saltem decimarum partem habebit.

9. Qui decimas hæreditario jure possident, eas clerico donare possunt, ea conditione, ut eædem post eum redeant ad ecclesiam.

10. Vir aut mulier in religionem ingredi non poterit, in civili societate altero remanente, nisi matrimonio utendi ætatem prætergressi fuerint.

11. Fidelibus, & potissimum ecclesiasticis & nobilibus viris (*militibus*) id consilii datur, ut Adventus abstinentiam & jejunium servent.

12. Sæculares jurisdictiones clerici non exercebunt, secus, a beneficiis arcendi. *Ibid.* & Bessinius, in *Concil. Normann.*

Concilium Londinense, an. 1175.

Richardus, archiepiscopus Cantuariensis, habuit concilium hoc, mense Majo, dominica ante Ascensionem die, in S. Petri Westmonasteriensis ecclesia. Cantuariæ suffraganei episcopi, ejusque diœcesis abbates, cum rege Henrico II. ejusque filio, adfuere cœtui; in quo, e Regis procerumque consensu, editi sequentes canones undeviginti.

1. Clerici qui in sacris ordinibus constituti concubinam habent quam ejicere nolunt, ter ab Episcopis moniti, omni officio & beneficio ecclesiastico privabuntur.

2. In clericos, sub depositionis pœna, interdictio, ne, bibendi & edendi causa, in cauponas pedem inferant, nisi iter agant.

3. In eos qui sacris ordinibus initiati sunt, interdictio, sub pœna privationis ordinis, officii, sedisque, ne judicia pronuntient in causis in quibus de mutilatione membrorum agitur, aut ipsi aliquod membrum amputent; & in presbyteros, sub anathematis pœna, ne vicecomitis aut præpositi sæcularis munus obeant.

Necesse habebat Ecclesia ita sancire, quia laicorum inscitia in causa erat, ut judicaturæ munia clericis demandarentur.

4. Clericos qui longos capillos deferunt, adiget archidiaconus. ut eos amputent; incedentque, sub excommunicationis pœna, modeste calceati clerici.

5. Nullæ declarantur ordinationes ab alieno Episcopo, sine diœcesani Episcopi consensu, peractæ; suspenditurque Episcopus qui eas peregit.

6. Sub anathematis pœna, interdictio, ne criminales causæ in ecclesiis aut cœmeteriis judicentur.

7. Interdictio, ne quid ob sacramentorum administrationem & ob sepulturæ jus exigatur.

8. Episcopi qui ob ingressum in religionem, aut ob receptionem inter canonicos pecuniam sumpserint, excommunicationi suberunt.

9. Interdictio, ne cui dentur ecclesiæ, dotis iisdem ab eo tribuendæ specie, neve, ob præsentationem ad beneficium, aliquid exigatur.

10. In ecclesiasticos & monachos interdictio, ne mercaturam exerceant, aut villica prædia, locationis titulo, teneant; itemque in laicos, ne beneficia conducant.

11. In clericos, sub depositionis pœna, interdictio, ne arma ferant.

12. Vicarii qui titularium beneficio, contra atque iis promiserunt, habere voluerint, non amplius ad sua munia in eadem diœcesi obeunda admittentur.

13. Accurate solvetur ex omnibus rebus decima; & id quidem, sub excommunicationis pœna.

14. Clericus qui causa cadet, ad expensas parti solvendas damnabitur; quod si solvendo non fuerit, punietur, prout Episcopus e re fore judicaverit.

15. Præfationes, ad Missam pro dierum ratione dicendæ, redigentur ad decem numero; nec licebit iis novas addi.

16. Interdictio, ne eucharistia vino diluta tribuatur, ea obducta causa, ut absolutior communio reddatur.

17. Interdictio, ne eucharistia nisi in aureo aut argenteo calice consecretur; & ne quos e stamno confectos calices Episcopi benedicant.

18. Fidelium nullus, cujuscunque conditionis fuerit, clandestinum matrimonium contrahet, sed publicum, cum presbyteri benedictione; & presbyter qui matrimonium clam celebraverit, ab officio suspendetur ad annos tres.

19. Interdictio, ne matrimonio jungantur pueri qui nondum nubili, secundum leges & canones, ætate sunt, nisi forte ob gravem aliquam necessitatem, ut ob pacis bonum, toleranda sint ejusmodi matrimonia. *Ibid.* & *Anglic. Tom. I.*

Concilium Lumbariense, seu *Lombariense*, *an.* 1176.

Lombariæ quæ parva Albigiensis diœcesis urbs, concilium hoc fere ad an. 1176. refertur, tametsi in aliquibus manuscriptis codicibus an. 1165. habitum legatur. Ei occasionem præbuit Valdensium hæresis, qui se *boni homines* nuncupatos volebant; horum hæreticorum doctissimi adfuere cœtui, cum disputationis judicibus quinque quos utraque pars elegerat, nempe Gaucelino, episcopo Lutevensi; Rogerio, abbate Castrensi; Petro abbate Ardurellensi; Ernoldo, presbytero Narbonensi & abbate Candillensi. Interfuere concilio archiepiscopus Narbonensis, episcopi Nemeusensis, Tolosanus, Agathensis, abbatum & gradu præstantium virorum plures, inter alios, Trincavelius, vicecomes Biterrensis. Constantia, Tolosæ comitissa; Sicardus, vicecomes præfecturæ Luterecensis.

Gaucelinus, Episcopus Lutevensis a Giravvo Albigensi Episcopo designatus, ut eos hæreticos interrogaret, ex iisdem quæsivit, an vetus Testamentum universum reciperent; qui non nisi novum a se recipi responderunt; dixere, super eucharistia, bonum hominem quemque, tam clericum quam laicum, eam consecrare; super matrimonio, illud ob luxuriam & fornicationem concessum esse; super pœnitentia, ægrotantibus satis esse, cui vellent, confiteri; super satisfactione per jejunia, macerationes & eleemosynas, S. Jacobum de confessione tantum loqui; se porro nolle hoc Apostolo meliores esse, aut de suo, quod Episcopi faciunt, quicquam addere. Addidere nullum omnino jusjurandum edendum esse; eos qui non sunt qualitatibus præditi quas in episcopis & presbyteris S. Paulus requirit, nec episcopos nec presbyteros esse, quamvis ordinati fuerint. sed lupos rapaces, hypocritas & seductores quibus minime parendum est. Confutati fuere sacræ Scripturæ auctoritate, damnatique tamquam hæretici; qui se damnatos videntes, fidei professionem quæ catholica erat, obtulerunt; at, maxime licet sollicitati, jurare noluerunt ita se credere, ajentes sibi jusjurandum ab Evangelio & Epistolis interdici. Episcopus Lutevensis iterum pronuntiavit hæreticos eos esse, ex eo ipso capite quod negabant jurare licere; iisque contrarium probavit e S. Paulo qui sæpe suis in Epistolis Deum sibi testem appellat. Iidem hæretici deinde *Albigenses* dicti, propterea quod Albigensem diœcesim late pervaserant. Accedebat eorum hæresis ad Manichæorum deliramenta; quod enim etiam Manichæi faciebant, vetus Testamentum rejiciebant, & matrimonium damnabant. *Reg. Tom. XXVII. Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.*

Concilium Lateranense, XI. generale, *an.* 1179.

Summus Pontifex Alexander III. cum Friderico imperatore in gratiam reversus convocavit concilium hoc gravibus de causis tribus; 1. ut, quæ supererant schismatis vestigia disjicerentur; 2. ut Valdensium hæresis damnaretur; 3. ut ecclesiastica disciplina cui tam longum schisma detrimenti multum attulerat, restitueretur. Cœtui dedit Oriens & Occidens omnino duos supra trecentos Archiepiscopos seu Episcopos; in eo habitæ sessiones tres; Papa primam habuit feria secunda hebdomadæ tertiæ Quadragesimæ, die quinta Martii; alteram feria quarta sequentis hebdomadæ, die decima quarta ejusdem mensis; & tertiam, die 19. quæ feria secunda Passionis erat. In his sessionibus tribus, data est opera, ut ea quæ concilii convocationi occasionem præbuerant, in ordinem redigerentur; atque hæc canonum viginti septem materies fuit. Gervasii Chronicon numerat tantum viginti sex; at quia nempe facit e duobus unum.

1. Si, in Papæ electione, non unanimis Cardinalium sententia est, is habebitur Papa, a quo fuerint votorum duæ partes tertiæ; quod si quis tertiam tantum partem aut minus habens, Papæ nomen sumpserit, omni ordine spoliabitur, & excommunicationi subdetur, perinde ac qui eum tamquam Papam receperint.

Hic omnium canonum primus usitatæ electionum formæ derogat, e qua qui a majore & saniore eligentium parte selectus fuerat, vere electus erat.

2. Ordinationes ab antipapa Octaviano, Guidone Cremensi & Joanne Strumensi peractas concilium nullas decla-

declarat, eosque qui ecclesiasticas dignitates aut beneficia ab iis acceperunt, iisdem privatos vult.

3. Nemo, quin tricesimum ætatis annum compleverit, itemque quin in legitimo matrimonio natus sit, moribusque & doctrina commendandus, Episcopus eligetur. Cum primum ejus electio confirmata fuerit, & ipse bonorum Ecclesiæ administrationem susceperit, beneficia quæ possidebat, ab eo libere conferri poterunt, ad quem pertinet eorumdem collatio. Ad inferiores dignitates quod attinet, cujusmodi sunt decanatus, archidiaconatus & alia beneficia quibus animarum cura conjuncta est, hæc nemo obtinere poterit, quin vicesimum quintum ætatis annum attigerit; iisdemque privabitur, nisi, intra tempus a canonibus præscriptum, ad congruos ordines promotus fuerit, ad diaconatum scilicet, ut archidiaconatui, & ad presbyteratum, ut curatis beneficiis idoneus sit. Clerici qui contra hanc regulam electionem peregerint, privabuntur eligendi jure, suisque a beneficiis ad triennium suspendentur; episcopus qui in id consenserit, ad has dignitates eligendi jus amittet.

4. Mandat concilium, ut archiepiscopis, in visitationibus, sint, ut summum, equi quadraginta aut quinquaginta; cardinalibus, viginti quinque; episcopis, viginti aut triginta; decanis eorumque inferioribus, duo; ne secum canes aut aves ad venationem ducant; & sufficienti ac modesto ad mensam servitio contenti sint. Prohibet etiam suo eos clero taxas aut exactiones imponere; ab eodem tamen, si opus habuerint, subsidium ad charitatis leges exactum petere sinit.

Huic edendæ sanctioni occasionem præbuerunt episcoporum plurium in visitationibus enormes expensæ quibus ut facerent satis, eorum inferiores ad vendenda ipsa ecclesiæ ornamenta sæpenumero adigebantur. Cæterum, magnus hic equorum apparatus pura putaque tantum e concilii parte tolerantia est; quod si majorem eorum numerum in archiepiscopis & episcopis quam in cardinalibus tolerat, id propterea fit, quia horum dignitas id nondum erat quod deinde fuit.

5. Si presbyterum aut diaconum episcopus ordinaverit, quin certum titulum ei designet quo subsistere possit, eidem dabit unde vivat, quoad ecclesiasticum proventum tribuerit, nisi clericus de suo ipsius patrimonio vivere possit. De patrimoniali titulo, seu de patrimonio, ecclesiastici tituli loco, canon hic loquitur omnium primus.

6. Suspensionis aut excommunicationis sententias, sine præcedentibus canonicis monitionibus tribus, episcopi & archidiaconi non pronuntiabunt, nisi ob errata quæ suapte natura excommunicationem secum trahunt, nec inferiores sine injuria sibi per easdem illata, & ante ingressum in causam, ab iis appellabunt. Si appellans non venerit appellationem prosecuturus, ad expensas accito qui se stiterit, solvendas damnabitur. Vetantur peculiariter monachi & religiosi cæteri a disciplinæ correctionibus appellare, quas iis superiores aut capitula imposuerunt.

7. Interdicitur, ne quid exigatur ob episcoporum vel abbatum inthronizationem, ob aliorum ecclesiasticorum installationem, quas nuncupant, aut ob parochorum initam possessionem, ob sepulturas, ob matrimonia & sacramenta cætera; ut iis negentur qui nihil habent quod dent. Prohibentur etiam episcopi & abbates ecclesiis novos census imponere, sibive partem ex earum redditibus sumere; & ea quidem statuta pœna, ut acta quæ in id ediderint, abrogentur.

8. Interdictio, ne conferantur aut promittantur beneficia, antequam vacent, ne titularis optandæ mortis locus præbeatur. Beneficia vacantia conferentur intra tres menses; aliter, capitulum supplebit episcopi negligentiam; episcopus, capituli; & metropolitanus, utriusque.

9. Ad querelas ab episcopis editas, novos Templariorum & Hospitalariorum militares Ordines e laicorum manu ecclesias accipere; in suis instituere & destituere presbyteros, insciis episcopis; admittere ad sacramenta excommunicatos & interdictos, iisdemque sepulturam dare; abuti facultate eorum fratribus ad quæstum missis concessa, ut interdictas ecclesias, semel in anno, aperiri, ibique divinum officium celebrari juberent, unde eorumdem quæstuantium multi occasionem sumebant, ut ad interdicta loca se ipsi conferrent, sibique in eorum locorum pluribus confratres sociarent quibus sua privilegia communicabant; hos omnes abusus, non solum quoad militares Ordines, verum etiam quoad cæteros religiosos omnes, concilium damnat.

10. Monachi, seu cæteri religiosi, quicunque fuerint, pecunia non recipientur, ea pœna, ut superior officio privetur, & ita recepti nunquam ad sacros ordines promoveantur. Religioso non licebit, nisi ad obedientiæ exercitationem, peculium habere; qui illud habere compertus fuerit, excommunicatione plectetur, & communi sepultura privabitur, nullaque in ejus gratiam oblatio fiet. Abbas qui hoc in capite negligens detectus fuerit, deponetur. Non conferentur ob pecuniam prioratus aut obedientiæ; nec mutabuntur priores conventuales, nisi gravibus de causis, vel ut ad altiorem gradum evehantur.

11. Clerici in sacris ordinibus constituti qui feminas incontinentia notatas apud se detinent, eas expellent & caste vivent, secus, eam pœnam subituri, ut priventur ecclesiastico beneficio quod possident, & officio quod obeunt. Eadem in clericum statuta pœna, qui, sine manifesta & necessaria causa, puellarum monasteria, post episcopi interdictionem frequentabit. Laicus criminis contra naturam reus excommunicationi subdetur, & e fidelium cœtu expelletur; si clericus, ejicietur e clero, vel in monasterium, agendæ pœnitentiæ causa, conjicietur.

12. In omnes clericos, sine exceptione, interdictio, ne temporalia negotia sibi sumant, cujusmodi sunt terrarum procuratio, sæcularis jurisdictio, & advocati apud laicos judices functio.

13. & 14. In ecclesiasticos interdictio, ne plura beneficia possideant, & in laicos, ne, sine episcopi auctoritate, clericos in ecclesiis instituant destituantve, aut ecclesiasticos in judicium ad se trahant. Hæc laicis concilium vetat, ea pœna, ut fidelium communione priventur. Eos etiam e laicis ecclesiastica communione privat, qui ad alios laicos decimas transferunt quas cum animarum suarum periculo possident. Id fundamento est, ut laicis serventur decimæ quarum possessio ab hujus concilii tempore penes eos fuisse censetur, quæque *infeudatæ decimæ* nuncupantur.

15. Bona quæ clerici per Ecclesiæ servitium acquisierunt, huic remanebunt post eorum mortem, seu de iis per testamentum statuerint, seu non. Interdictio, ne decani, stato pretio, ad suam jurisdictionem exercendam instituantur, ea pœna, ut decani quidem officiis priventur, & episcopus decani officium conferendi potestate spolietur.

16. In communium negotiorum dispositione, semper majoris & sanioris partis capituli conclusio pervincet, omni jurejurando & consuetudine contraria nihil obstante; nisi forte pars altera aliquid proponat quod rationi consentaneum ostendat.

17. Cum plures patroni sunt qui ad beneficium præsentent, & omnes in præsentatione consentiunt, is beneficium habebit, qui ab omnibus præsentabitur; secus, is præferetur a quo stabunt plura suffragia; aliter, episcopus beneficio providebit; itemque, si de patronatus jure sit quæstio quæ intra tres menses finita non sit.

18. Cum Ecclesia, tamquam bona mater, corporalibus & spiritalibus pauperum rationibus consulere debeat; mandat concilium, ut, ad pauperum clericorum institutionem, in quaque cathedrali ecclesia magister adsit cui sufficiens beneficium statuetur, quique gratis docebit; ut in aliis ecclesiis & monasteriis in quibus olim fundus aliquis in id designatus extitit, scholæ restituantur; ut nihil pro docendi facultate exigatur, & hæc quidem negetur idoneo nemini, quia id nimirum esset Ecclesiæ utilitatem impedire.

19. In urbium rectores, consules ac magistratus cæteros, sub anathematis pœna, interdictio, ne cui publico oneri ecclesias subdant, seu ad instruenda munimenta vel bellicas expeditiones, seu ad alia; neve episcoporum aliorumque præsulum in ipsorum subditos jurisdictionem (temporalem) imminuant. Clero tamen ea datur venia, ut aliquod voluntarium subsidium concedat, quo publicis necessitatibus consulatur, cum ad id laicorum facultates non sufficiunt.

20. Vetantur, ecclesiastica sepultura interdicta, ludicra certamina, seu nundinæ in quibus aderant milites qui, in roboris ac fortitudinis specimen, cum animæ & corporis periculo, invicem dimicabant.

21. Mandatur, ut Dei tregua servetur, quæ in eo posita erat, ut nemo quempiam aggrederetur a feria quarta post solis occasum ad sequentem secundam usque post solis ortum; ab Adventu ad Epiphaniæ octavam usque; & a Septuagesima ad usque octavam Paschatis; omnino, excommunicationis indicta pœna.

22. Interdictio, ne turbentur, aut male habeantur monachi, clerici, peregrini, mercatores, rustici iter agentes, aut in agris colendis occupati, animalia agriculturam obeuntia. Prohibetur etiam, ne nova portoria aliæve exactiones instituantur, sine Principum auctoritate; quia nempe minutus quisque dominus id auctoritatis sibi sumebat.

23. Ubicunque leprosi in commune viventes satis multi erunt, ut ecclesiam, cœmeterium & peculiarem presby-

presbyterum habeant, nihil obesse debebit, quin hæc iis singula concedantur; iidemque a solvenda fructuum decima, quos ex hortis & quæ alunt, armentis perceperint, immunes erunt.

24. In Christianos, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne arma, ferrum aut ligna ad triremes construendas, Saracenis suppeditent; itemque, ne super eorum navigiis patroni aut navarchi sint. Præterea, qui Christianos, commercii gratia, vel ob alias legitimas causas mare navigantes, capient spoliabuntve, aut naufragos diripient, nisi restituerint, excommunicationi subdentur.

25. Renovatur excommunicatio jam sæpius in usurarios pronuntiata, cui additur interdictio, ne usurariorum qui perspecti fuerint, oblationes recipiantur, ne iidem ad communionem admittantur, ne denique vita functis sepultura concedatur; presbytero qui hoc decretum violaverit, ad episcopi judicium remisso.

26. Vetantur Judæi & Saraceni, quavis obducta causa, christianos apud se captivos habere. Ea tamen datur venia, ut Christiani in Judæos, & Judæi in Christianos ad testimonium reddendum suscipiantur. Mandatur, ut Judæis fidem amplexis bona serventur, dominis & magistratibus, sub excommunicationis pœna, prohibitis quicquam iisdem adimere.

27. Quamvis Ecclesia, prout ait S. Leo, cruentas executiones rejiciat, id tamen non impedit, quin ei Christianorum Principum leges adjumento sint, quatenus corporalis supplicii timor interdum permovet, ut ad spiritale remedium confugiatur; & ob hanc sane causam anathematizamus hæreticos dictos *Catharos*, *Patarinos*, seu, *Publicanos*, *Albigenses*, aliosque qui suos errores publice docent, eosque qui patrocinium receptumve iisdem tribuunt; vetamusque, ne, si forte suo in peccato occubuerint, pro iis oblatio fiat, iisdemve inter Christianos sepultura concedatur. Mandat concilium, ut denuntientur excommunicati in ecclesiis, per dominicos festosque dies, Brabantienses, Cotterenses, &c. qui omnia devastabant; licere etiam vult in eos arma sumi, eorumdemque aggressores, ut eos qui sanctum sepulcrum visitant, in Ecclesiæ patrocinium recipit. Hi Cotterenses seu vilis conditionis homines congestæ catervæ quædam erant quibus domini ad sua peculiaria bella utebantur, quibusque nulla disciplina erat, nulla religio. *Reg. Tom. XXVII. Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI.*

Concilium Rothomagense, an. 1189.

Gualterius Constantiensis, archiepiscopus Rothomagensis, 11. Februarii die, in sua cathedrali ecclesia, una cum suffraganeis habuit concilium hoc, in quo triginta duos qui sequuntur, canones edidit.

1. Ut patrum nostrorum vestigiis insistamus, statuimus, ut ecclesiæ quæ huic nostræ suffraganeæ sunt, in lectionibus & psalmodia, metropolis usum sequantur.

2. Ecclesiæ singulæ libros & vestes sacerdotales quibus opus habent, tenere debent. Eucharistia in aureo tantum aut argenteo vase consecrabitur; nec licebit episcopo in id e stamno vas, nisi evidenter necessarium judicaverit, consecrare.

3. Domini corpus, diu noctuve, sine luminari, sine cruce, sine aqua benedicta, aut sine presbyteri præsentia deferri non debet, nisi alibi necessario presbyteri detineantur.

4. Prohibetur clericus, cujuscunque tandem ordinis in clero fuerit, apud se ancillam habere.

5. Presbyteri & clerici latas coronas & capillos decenter in longum cæsos habere debent, ea indicta pœna, ut, qui secus egerint, si beneficia possident, ab iis suspensi declarentur, qui vero beneficia non possident, a clericorum privilegio excidant.

6. Secundum veteres canones, stricte prohibetur, ne filii presbyterorum in ecclesiis collocentur quibus eorum patres deserviisse perspectum est, ut iis scilicet proxime sufficiantur.

7. Non admittentur ad suorum ordinum functiones clerici qui, ob ignorantiam, natalium defectum, pravam agendi rationem aut contumaciam, sui episcopi examini se subduxerint; aut qui ab exteris seu transmarinis episcopis ordinati, eorum testimonia exhibuerint.

8. Clericorum nullus egredietur e provincia, studiorum aut peregrinationis ergo, quin in id veniam ab episcopo, ejusve officiariis obtinuerit.

9. In monachos & clericos interdictio, ne quid negotiationis edant; in eosdemque & in laicos, ne ecclesias earumve prædia conducta teneant.

10. In presbyterum interdictio, ne pro vicecomite, aut pro sæculari magistratu gerat, sub pœna suspensionis ab officio, & privationis ecclesiastici beneficii.

11. Consuetudo juri scripto receptoque contraria, quæcunque ejus amplitudo ac diuturnitas afferatur, nunquam legem facere potest.

12. Indicimus & commendamus, ut accurate servetur canon in Lateranensi concilio editus, ne archidiaconi, suis in visitationibus, secum equos plures quam sex aut septem habeant; ne clerici ullius procurationem suscipiant, nisi ei fuerit proventuum satis; ne suis hospitibus graves sint; atque ut apud ecclesiasticos pauperes coacti comedere, impensam in proximos beneficiarios quatuor aut quinque divisam velint.

13. Episcopis eorumque officialibus commendatur, ut appellationibus se faciles præbeant.

14. Statuitur, ne per censuras impediatur cujuspiam libertas se apud judicem defendendi, cum in jus vocatio legitima est.

15. Ecclesiasticorum testamenta inviolate servabuntur; eorumque bona, qui intestati moriuntur, ab episcopo piis operibus impendentur.

16. Ea clericis facultas data, ut post Pascha vita functi de iis quoque suorum beneficiorum fructibus statuant, quos autumnali tempore percepissent.

17. Servatur cruce signatis privilegiorum fruitio quæ papales Bullæ, in conjugum, familiarum & bonorum gratiam, iisdem concedunt.

18. In miserorum hominum causis, qui ad Ecclesiæ patrocinium confugiunt, prohibetur, ne quid admisceatur quod eorum in eo fidentiam jure conceptam imminuere possit.

19. In clericos & monachos, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne decimas & alia beneficia laicis locent.

20. Interdictio, sub pœna anathematis & privationis ecclesiastici beneficii cujusque, ne super ecclesiis aut beneficiis illegitimæ ac non canonicæ pensiones solvantur aut exigantur. Ejusmodi pensiones erant quibus presbyteri & simplices clerici, inscio episcopo, & ob occulta negotia, suas interdum ecclesias aut sua beneficia onerabant; ex quo fit, ut eas canon *privatas pensiones* & *adulterinas* appellet.

21. Ecclesiasticus alium ad laicum tribunal ob ecclesiasticum negotium trahere non debet; id si quis aggressus fuerit, causa cadet, & excommunicationem subibit, a qua eum episcopus non nisi post congruam satisfactionem absolvet.

22. Interdictio ne oppigneretur aut alienetur ulla ratione aliquod Ecclesiæ bonum, sine Episcopi ejusve ministrorum consensu.

23. Decimæ divino præcepto definitæ sunt; & variæ species quæ earum materiem conficiunt, in eo quod ad cujusque anni finem colligitur, designatæ.

24. Notitiæ per confessionem acquisitæ inservire non debent, ut, ob aliquem ecclesiasticum censum, apud judicem quispiam vexetur; id enim, sub excommunicationis pœna, vetitum est.

25. Interdicitur, eadem statuta pœna, omnis inter clericos aut laicos societas, in qua mutuum subsidium in causa, seu negotio, quodcunque fuerit, per jusjurandum promitteretur; ratio quæ in id affertur, perjurii periculum est.

26. Mandatum, ut, dominicis diebus singulis, in cathedrali ecclesia & in parœciis, in eos, accensis cereis, anathema pronuntietur, qui contra Ecclesiæ rem, & ut quempiam hæreditate privandum curent, falsum testimonium apud judicem proferunt; episcopo reservatum est peccatum hoc.

Sequentes canones quinque in eamdem excommunicationis pœnam destinant contra intrusos in beneficia, falsarios, incendiarios, venenati poculi præbitores, veneficos, eosque qui scienter cum excommunicatis communicant. His adduntur clerici contumaces, & presbyteri perduelles qui contra episcopi ejusve ministrorum prohibitionem celebrare pergerent, ac tam laici quam clerici qui metropolitano aliquam in bonis, in juribus, in clero injuriam intulerint.

32. Mandatur, ut presbyter qui suspensus celebrare ausus fuerit, interdictus remaneat ad annum totum; sin excommunicatus celebravit, Romam mittatur. *Hard. Tom. VI.* & Bessinius, *Concilium Rothomag.*

Concilium Eboracense, an. 1195.

Hubertus, archiepiscopus Cantuariensis, & sanctæ Sedis, in Anglia legatus, habuit concilium hoc mense Junio, sub Papæ Cælestini III. pontificatu; in eoque edidit sanctiones duodecim quæ sequuntur.

1. Divina Eucharistia cum humilitate consecrabitur; cum

cum timore sumetur; cum observantia administrabitur. Altaris sacrificium presbyter non celebrabit, quin certus sit panem, vinum, aquam, & litteratum servientem adesse. Consecratæ hostiæ in apta ac decenti pixide custodientur, omnibusque dominicis diebus renovabuntur. Presbyter, clericali habitu, & face, si fieri poterit, præeunte, ad ægrotantes viaticum deferet.

2. Archidiaconis id curæ erit, ut Missæ canon probe correctus sit.

3. Presbyteri non eam laicis pœnitentiam imponent, ut Missas dictas velint; nec magis Missarum pretium in negotiationem adducent; eoque quod oblatum fuerit, contenti erunt.

4. Interdicitur, ne plures personæ quam tres admittantur, ut infantum ad baptismatis fontem teneant; videlicet, viri duo & femina una, cum puer, & feminæ duæ unusque vir, cum puella est. Mandatur, ut infantes expositi baptizentur, seu super iis sal inveniatur, seu non; prohibenturque diaconi baptizare, nisi necessitas urgeat, & Christi Domini corpus præbere, aut pœnitentiam imponere.

5. Dabitur opera, ut reparentur & ornentur ecclesiæ, & in argenteo calice consecretur.

6. Ecclesiastici coronam & vestes suæ professioni consentaneas deferent; id facere si neglexerint, beneficiorum privatione cogentur.

7. & 8. Ecclesiastica justitia gratis exercenda; & decima accurate solvenda est.

9. Canonici regulares & monachi nullam obedientiam conducent; non iter agent, omninoque suis e monasteriis non egredientur sine causa & sine comite; nec magis religiosæ pedem efferent, quin eas abbatissa aut priorissa comitentur.

10. Interdictio, ne ecclesiæ vel decimæ laicis locentur, etiamsi cum ecclesiastico societatem inierint.

11. Perjuri solemnem in modum excommunicatione plectentur; & hæc facti species archiepiscopo, episcopo, vel, iis absentibus, magno pœnitentiario reservabitur.

12. In ecclesiasticos interdictio, ne bibendi aut edendi gratia cauponas subeant, neve cum feminis commercio jungantur. *Reg. Tom. XXVIII, Lab. Tom. X. Hard. Tom. VI. & Anglic. Tom. I.*

Concilium Dalmaticum, *an.* 1199.

Cum Stephanus, magnus-jupanus Serviæ apud Innocentium III. egisset, suam ut ditionem ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam redigeret, ad eum summus Pontifex hac mente religiosos duos, *Joannem & Simonem* nomine, legatorum titulo misit; qui in Stephani ædibus concilium habuere, cum archiepiscopo Diocleæ & Antibari, quæ duæ sedes unam tantum ecclesiam conficiebant, ex quo eas Alexander II. an. 1063. conjunxerat; Albani archipresbytero & episcopis sex qui sequentes canones duodecim ediderunt.

1. Deponentur in omne tempus episcopi qui pecuniam ob ordinationem vel ob beneficiorum collationem sumunt; rejicienturque inter laicos, quicunque ita ordinati sunt.

2. Conjugati nec presbyteri nec diaconi ordinabuntur, quin prius eorum conjuges in episcopi manu continentiæ votum ediderint; quod si quis e presbyteris aut diaconis post ordinationem matrimonium init, nisi uxorem dimiserit, & pœnitentiam egerit, officio quo fungitur, & ecclesiastico beneficio privabitur. Ordinatio, quoad sacros quidem ordines, non nisi quatuor temporibus fiet; subdiaconus sui ordinis functiones ad annum peraget, antequam ad diaconatum promoveatur; itemque diaconus, antequam presbyteratu initietur.

3. Decimæ & oblationes fidelium, tam pro vivis quam pro defunctis, tribuentur in partes quatuor, quarum unam sibi habebit episcopus, ecclesiæ, prout opus habuerint, alteram, tertiam pauperes, quartam clerici.

4. Nullus non presbyter, sub pœna privationis officii & beneficii, prohibetur id revelare quod in privata confessione audierit.

5. Quicunque violenter episcopum, presbyterum, clericum, religiosum percusserit, excommunicationem subibit, a qua non nisi a Papa, vel ab ejus legato, & quidem post congruam ob id culpæ satisfactionem absolvi poterit. Eadem in eum pœna decernitur qui clericum ad sæcularia tribunalia traducet, ut ibi ad candentis ferri, aut aquæ probationem damnetur, seu quodvis aliud judicium subeat.

6. Inter consanguineos, ad quartum usque gradum, & hunc ipsum, matrimonia prohibentur; mandaturque, ut qui ita conjugati se separare noluerint, excommunicatione plectantur.

7. Clerici se radere, & clericalem tonsuram ferre jubentur.

8. & 9. In laicos, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne clericos judicent, aut ecclesias iisdem conferant; has ex eorum manu qui acceperint, eamdem pœnam subibunt. Subduntur etiam excommunicationi, tum qui Ecclesiæ bona occuparunt, quoad restituerint, tum qui in captivitate Latinos detinent.

10. Iis imponitur eadem pœna qui uxoris ante Ecclesiæ judicium repudiant.

11. Interdictio, ne filii presbyterorum & spurii ad ordines evehantur.

12. Interdictio, ne, qui nondum tricesimum attigit ætatis annum, presbyter ordinetur. *Reg. Tom. XXVII. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VI.*

Concilium Londinense, *an.* 1200.

Hubertus, archiepiscopus Cantuariensis, coegit hoc nationis generale concilium in Westmonasteriensi ecclesia, in eoque quatuordecim canones edidit quorum plerique iidem sunt ac Lateranensis, sub Alexandro Papa III. an. 1179. concilii canones. Qui ab iis differunt, hi sunt.

1. Jubentur presbyteri verba canonis Missæ distincte, nec citius scilicet, nec lentius recitare, eamdemque regulam in divinorum officiorum recitatione servare.

2. In presbyteros interdictio, ne bis, eadem die, nisi in necessitatis casu, Missam celebrent; ac tum quidem presbyter calicis ablutionem non peraget, digitorumque ablutionem reservabit, ut eam post secundam Missam sumat, nisi diaconus aliusve minister adsit qui hanc ablutionem in prima Missa sumere possit. Idem canon mandat, ut in congrua linteoque tecta pixide ad infirmos eucharistia deferatur, data opera, ut crux lumenque præcedant, nisi longius ægrotus absit. Hostiam quoque dominicis diebus singulis renovatam vult; sedaloque caveri jubet, ne hostia non consecrata, consecratæ loco, detur; jubetque eucharistiam ad petentem non clam deferri, sed ei publice tribui qui etiam atque etiam eamdem petit, nisi ejus crimen publicum sit.

3. Baptismus & Confirmatio iis administrabuntur, qui, baptizati confirmative, nec ne, fuerint, dubitatur, quia sacramentum iterari non censetur, cum probatio non suppetit illud collatum fuisse; baptizandi proinde sunt infantes expositi, cum dubitatur, an baptizati fuerint, seu sal cum iis comperiatur, seu non. Cum infans a laico, in necessitatis casu, baptizatus fuit, presbyter cæremonias & preces quæ immersionem sequuntur, non autem quæ præcedunt, supplere debet.

4. Presbyteri, in pœnitentiæ administratione, omnes peccati circumstantias, & pœnitentis dolorem expendent, nec conjugatæ feminæ pœnitentiam imponent, quæ eam viro super aliquo occulto crimine suspectam reddere possit. Eadem circumspectione quoad virum utentur, cavebuntque ipsi, ne ad altare accedant, quin errata in quæ inciderint, confessi fuerint, & ne iis qui presbyteri non sunt, Missas in pœnitentiam imponant.

9. Interdictio, ne quis decimam, messis expensas prætexens, imminuat; ea porro presbyteris potestas erit, ut excommunicationem, ante autumnum, in eos pronuntient, qui decimas fraudant, eosdemque, secundum Ecclesiæ formam, absolvant; at qui ter moniti decimas retinuerint, anathemati suberunt; novalium autem terrarum decimæ parochialibus tantum ecclesiis solventur.

11. Prohibentur, vir quidem cum prioris conjugis, femina vero cum prioris mariti consanguineis, denique baptizatus cum ejus filia quam baptizaverit, aut ad Baptismi fontes tenuerit, matrimonium inire. Antequam matrimonium iniri possit, annuntiabitur publice ter in ecclesia, tum vero publice in ecclesia, præsente presbytero, celebrabitur; aliter, matrimonium non admittetur, sine Episcopi peculiari mandato. Conjunctorum nullus longam peregrinationem suscipere poterit, nisi id publice ex utriusque partis mutuo consensu declaratum fuerit.

13. Leprosis, sicubi fuerint, ea venia dabitur, ut sibi ecclesiam aut capellam extruant, cum cœmeterio, suumque ad servitium presbyterum habeant. *Ibid. & Anglic. Tom. I.*

CON-

CONCILIA

SÆCULI DECIMITERTII.

Concilium Avenionense, an. 1209.

HUgo, Regiensis episcopus, & Milo, Innocentii Papæ III. notarius, ambo sanctæ Sedis legati, habuere concilium hoc, adsistentibus archiepiscopis Viennensi, Arelatensi, Embroduuensi & Aqui-sextiensi, episcopis viginti, pluribus abbatibus aliisque præsulibus. In eo editi unus & viginti sequentes canones.

1. Sæpius studiosiusque quam communis consuetudo fert, suis in diœcesibus episcopi prædicabunt; cumque e re fuerit, virorum opera, de quorum scientia & prudentia constiterit, ad verbi ministerium utentur.

2. Ecclesiasticas censuras episcopi, cum res postulaverit, adhibebunt ad laicos dominos adigendos, ut, obstricto jurejurando, hæreticos expellere, omnisque generis munera Judæis adimere parati sint.

3. Excommunicatione plectentur, dominicis festisque diebus, omnes usurarii, generatim, &, singillatim, qui, ter moniti, in suarum usurarum prosecutione animum obfirmabunt.

4. Judæi cogentur, sub eadem pœna, Christianis reddere quod ab iis per usuram exegerint; impedienturque diebus dominicis laborare, abstinentiæque addictis diebus carne vesci.

5. Cum decimarum solutio sit ex earum rerum genere quæ obligatoriæ sunt, & præscriptionem pati non possunt, usui erunt, si opus fuerit, Ecclesiæ censuræ ad laicos aliosque adigendos a quibus debentur; easque nullus episcopus, nullusque clericus, ad laicorum favorem, in perpetuum alienare poterunt.

6. Laici & ecclesiastici domini, sub excommunicationis superque eorum terris interdicti pœna, prohibiti portoria & tributa injusta instituere, nisi in id veniam a Regibus aut ab Imperatoribus obtinuerint.

7. & 8. Vetiti, sub eadem pœna, laici regium vectigal & impositiones cæteras a clericis exigere, & episcoporum aut ecclesiasticorum, postquam occubuere, bonis potiri. Iidem vetantur etiam se episcopi aut pastoris alicujus ecclesiæ electioni immiscere, ejusdem electionis libertatem impedire, &, quavis obducta causa, annuorum redditu um partem e religiosis & ecclesiasticis domibus extorquere.

9. Cum oppida & munimenta quæ alicubi ecclesiis adjacebant, latronum receptacula & abominationis loca evasissent, mandat concilium, ut dirnantur; excipit tamen munimenta ad paganos repellendos necessaria.

10. Ad pacem ac treguam sartam tectamque servandam jam editas leges confirmat; damnatque, eodem tempore, Aragonenses, Barbansonios aliosque eamdem turbantes, quos una cum eorum fautoribus, tamquam hæreticos, excommunicationi subdit.

11. Ecclesiastici judices prompte ac firmiter causas ad eorum tribunalia delatas finient, neque ad tollendas excommunicationis & interdicti sententias se tam faciles exhibebunt.

12. Concilium ad Innocentii III. decretalem epistolam se conformans, excommunicationem ob aliquod damnum latam tolli vetat, antequam excommunicatus se injuriam reparaturum jurejurando receperit. Idem in eum statuit qui excommunicatione perculsus fuerit, quia vadimonium in judicio deseruerit, eumdem inquiens absolvi non posse, nisi postquam se ad illud accessurum juraverit.

13. Ad reprimendam perjurii facilitatem, eorum absolutionem Papæ reservat, qui hujus criminis convicti fuerint, illudve publice perpetraverint. Remittit item ad Papam sacrilegos & incendiarios; mandatque, ut alicujus ejusmodi criminis reus suis præterea functionibus suoque beneficio privetur.

14. Renovatur Lateranensis tertii concilii decretum quod collatores jubet ecclesiis intra menses sex providere.

15. Episcopos, abbates aliosque superiores vetat monachis alicujus rei proprietatem concedere, quam iis ne Papa quidem, prout Inocentius III. declaravit, tribuere potest.

16. Mandatur episcopis, ut eos excommunicatione plectant, qui violentias exercent, hominesque vi capiunt.

17. Interdictio, ne quis in ecclesiis per Sanctorum vigilias ad scandalum lætitia gestiat.

18. Habebunt monachi tonsuram & indumenta quæ eorum statui respondeant; erunt eorumdem vestes e panno simplici, modesti coloris, & cum ejusdem coloris manicis. Sæculares clerici, præsertim vero qui in sacris ordinibus constituti sunt, coronam suo statui congruam, clausosque, qui nec serici, nec rubri aut viridis coloris sint, habitus deferent.

19. Presbyteri aliique clerici sacros ordines suscipient, cum eorum episcopo visum fuerit; at apud laicos judices advocati functiones non peragent.

20. In punitionem cædis legati Petri Castelnaviensis, & Geofriddi canonici Genevensis, omnes eorumdem interfectorum consanguinei ab omni ecclesiastico beneficio ad tertiam usque generationem arcentur.

21. Jubentur omnes presbyteri dare operam, ut præcedentia statuta serventur. *Ibid.*

Concilium Parisiense, an. 1209.

Concilium hoc contra errores habitum est quos quidam nomine Amaurius, clericus Beni natus, in Carnutensi regione, aliique ejus discipuli disseminaverant. Proposuit Amaurius oportere Christianum quemque, tamquam fidei articulum credere se Christi Domini membrum esse. Addebant ejus discipuli unumquemque per internam infusionem gratiæ Spiritus Sancti, sine ullo externo actu, posse salutem consequi; quodque in se ac suapte natura peccatum erat, ejusmodi non amplius esse, siquidem per charitatem fieret. Huic principio insistentes, adulteria aliasque impuritates, charitatis jactato nomine, perpetrabant; docebant etiam non aliter in altaris pane, quam in quolibet alio pane, Christi Domini Corpus existere, Deumque per Ovidium perinde ac per S. Augustinum, locutum esse; resurrectionem negabant, ajebantque paradisum & inferos nihil esse; eos in se ipsis paradisum habere quibus inerat Dei cogitatio; in iisque infernum esse, qui lethalis alicujus peccati rei erant; idololatriam esse erigere altaria sub Sanctorum invocatione, eorumque imaginibus thus adolere. Hos omnes errores & Amaurii memoriam, qui mortuus erat, concilium damnavit; jussit etiam flammis addici omnes metaphysices Aristotelis libros qui Amaurii hæresi occasionem præbuerant. *Ibid.*

Concilium Parisiense, an. 1212.

Robertus Corscionius, seu Corceonius, cardinalis & legatus in Gallia concilium hoc celebravit, in quo, per Papæ, præsulumque qui cum eo convenerant, auctoritatem, decreta plura, in quatuor partes tributa evulgavit. Eorum pars prima sæculares clericos afficit, & viginti decreta continet; regulares spectat altera, & viginti septem decreta complectitur; ad religiosas, abbatissas & abbates tertia refertur, in eaque unum & viginti decreta numerantur; quarta quæ totidem decreta exhibet, super archiepiscopis episcopisque versatur.

PRIMA PARS.

1. Clerici modesti erunt in vestibus & in oris & corporis habitu; capillos deferent in orbem tonsos, inutiliter in choro non loquentur, in eoque, perinde atque in ecclesia non deambulabunt, nec illinc, absque necessitate, nisi post Missæ finem, exibunt.

2. Jubentur decani canonicis consuetam distributionem subducere, qui satis habent officii initio finique interesse, & recedunt a parte media.

3. Venatici canes aut aves, & magnifici comitatus, hominum in societate viventium instar, clericis interdicuntur.

4. Vetantur iidem clerici, suspensionis indicta pœna, feminas secum habere.

5. Confitebuntur ecclesiastici suis episcopis seu superioribus, & non aliis, nisi iis annuentibus.

6. In clericos quibus sufficiens beneficium est, interdi-

terdictio, ne advocati munus ob pecuniam obeant; ne causas prope desperatas sibi sumant; ne forensia acta protrahant, eorumque cursum per malitiam impediant; clericis vero qui nec canonici nec beneficiarii erant, concilium immodica solum salaria interdicit.

Quia laici olim, ut plurimum, admodum rudes, ac solum pauci inter eos litterati erant, advocati professionem exercere ecclesiastici sinebantur, ea conditione, ut eam canonici quidem & beneficiarii gratis obirent, cæteri vero qui nec canonici nec beneficiarii erant, suas ob functiones moderato salario contenti essent.

7. In ecclesiasticos interdictio, ne jurent se nec libros nec alia commodaturos, & nemini sponsores fore. Nulla declarantur juramenta hæc.

8. In eos qui quæstum obeunt, interdictio, ne prædicent, seu reliquias deferant, seu non; neve alicujus provinciæ prædicationem conducant. Iisdem tamen, siquidem sui diœcesani episcopi litteras habeant, prædicandi facultas concedi potest.

9. Interdictio, ne detur ignotis presbyteris Missæ dicendæ venia, nisi sui episcopi testimoniales litteras, vel probi viri testimonium afferant.

10. Nullus presbyter excommunicato, interdicto, ignoto, alieno, denique parochiano communionem aut sepulturam præbere debet.

11. Nemo adigetur, ut Missas ad annum, ad triennium, ad septennium dicendas testamento leget; nec sibi tam multas presbyteri missas sument, ut eas aliis ob pecuniam demandare, vel siccas ipsi pro mortuis Missas dicere necesse habeant.

Ex hoc canone compertum fit retributiones pro Missis ab ineunte sæculo tertio decimo institutas fuisse. Jam vero missas siccas eas fuisse constat in quibus nec consecratio erat nec communio.

12. Vetantur parochi seu alias parœcias conducere, seu suas locare, seu capellani esse in aliis ecclesiis. Nullus presbyter in parœcia confessiones audiet, sine superioris, ejusve mandato cui demandata ibidem est animarum cura, nisi necessitas aliter postulet. Parocho ejusque superiori statutum hoc proprii presbyteri titulum tribuit.

13. Interdictus quisque beneficia & præbendas partiri.

14. Interdictio, ne rurales decanatus ad tempus, aut in perpetuum vendantur.

15. In archidiaconos interdictio, ne ab ecclesiis quas ipsi per se non visitant, procurationis jus exigant.

16. Nullus aleatorius aut licentior cœtus in claustris tolerabitur.

17. Conventualium capitulorum canonici externum sibi superiorem seligent, si minus in capitulis ipsis idoneum invenerint.

18. Cum in capitulo electio facienda, indicendus ejusdam dies, ut absentes convenire possint.

19. Sub excommunicationis pœna interdictio, ne quis curata beneficia plura possideat, ea lege, ut qui duo possidet, alterutrum intra duos menses abdicet, secus eam pœnam subiturus, ut suis omnibus patronatibus privetur.

20. Prohibitus quisque contendere beneficium ad se pertinere, tamquam successionis jure; aut quicquam exigere, ut docendi facultatem, aut scholarum regimen tribuat; jusso episcopo eos a beneficio suspendere, qui decretum hoc, moniti, violaverint.

SECUNDA PARS.

1. Ob ingressum in religionem nihil exigetur; & religiosi, tum qui S. Augustini, tum qui S. Benedicti regulam profitentur, nihil proprietatis titulo possidebunt; & priores, quique aliquam administrationem obeunt, poterunt, prælatis generatim annuentibus, id retinere quo opus habebunt, ut faciant suorum officiorum oneribus satis.

2. Nemo, ante ætatis annos octodecim, in ullum prorsus ordinem recipietur; & ob ejus in religionem ingressum nihil exigetur.

3. Monasteriorum parvæ fores ad omnem perturbationis occasionem adimendam obturabuntur.

4. Redditus ad infirmorum & pauperum solatium designati nec imminuentur, nec in alios usus conferentur.

5. Exercebitur hospitalitas, consuetæque eleemosynæ pauperibus tribuentur.

6. Nemini negabitur in religionem ingressus, ea obducta causa, ingredi petentem e regione non esse in qua monasterium situm est, modo bonis moribus sit, Ecclesiæque utilis esse possit.

7. Prohibiti religiosi ingressum in religionem, sacramenta & sepulturam usurariis & excommunicatis concedere.

8. Alterius monasterii monachus non suscipietur, quin annuat ejusdem abbas, satisque firma præsumptio sit eum religiosius vivere velle.

9. Albas chirothecas, aut calceamenta seu tegumenta magnifica, iisque similia quibus sæculares utuntur, monachi non deferent. Albus aut niger erit eorum vestibus color; ipsique extra triclinium, sine superioris venia, non comedent.

10. Religiosi extra dormitorium cubicula non habebunt, officiariis exceptis quibus id secundum regulam concedetur. Non querentur in capitulo, non in claustro rumorem edent, non feminas in suspecta loca recipient, non venatum ibunt, non vetitis ludis vacabunt, & in triclinio silentium servabunt.

11. Cum superiores in iter suos religiosos mittent, iis satis ad illud conficiendum dabunt, ne in ordinis dedecus mendicare cogantur; id autem quia nondum religiosi mendicantes existebant.

12. Inferiores cum humilitate obedient, & superiores cum prudenti circumspectione imperabunt, ne, per severitatem, honestiores ipsos religiosos adigant, ut suis e domibus, quod nonnunquam contigit, egrediantur.

13. Nec præposituras nec prioratus monachis abbates locabunt, ne monachus villicus id sibi retineat quod summam locatione præscriptam superat, aut, si solvendo non sit, omnes seu justas seu injustas rationes adhibeat, ut suo faciat abbati satis.

14. Monachum qui habitum suum deseruerit, loci ordinarius excommunicationi subdet, ne cum eo quispiam communicet.

15. Excommunicati, interdicti aut irregulares si se stiterint, ut religioni nomen dent, irregularitatem suam declarabunt. Si abbas eos absolvere potest, id faciet, si minus, ad superiorem majorem qui id potestatis obtinet, eosdem remittet. Quod si forte quispiam per negligentiam aut per ignorantiam receptus fuerit, eum abbas absolvet; at si suam ipse irregularitatem de industria celaverit, gravi pœnitentiæ subdetur, eumque abbas, aut superior major absolvet.

16. Instauratur tertii Lateranensis concilii decretum vetans, ne solus in villa, in vico, atque adeo in parœcia monachus relinquatur.

17. In monachum interdictio, ne duos prioratus duasve obedientias habeat, ea indicta pœna, ut utriusque jacturam subeat.

18. Ex Chalcedonensis concilii constitutione, privabitur officio suo monachus qui machinationes in capitulis struet.

19. Monachus, in sæcularium gratiam, advocati munere fungi non poterit; at poterit pro regularibus, siquidem abbas annuerit.

20. Vetiti monachi suis e monasteriis egredi, ut ad medicinæ aut jurisprudentiæ studium se conferant, excommunicationis pœnam, ni intra duos menses redierint, subituri, quamvis iis suppeteret abbatis venia, qui eam ipsis concedere non potuit.

21. In monachos & canonicos regulares interdictio, ne duobus unum idemque cubile sit.

22. Non imminuetur monachorum numerus in prioratu, cujus redditus imminuti non fuerint.

23. In monachos interdictio, ne jurejurando eam sibi legem imponant, suos ut libros nemini commodent.

24. Qui dissidia in monasteriis excitant, ut ad cellas seu obedientias, extra claustrum, mittantur, concludentur in claustro arctius diutiusque.

25. Quicunque merces carius vendunt, quia fide dant, erunt usuræ rei, & usurariorum pœnis obnoxii.

26. In clericos & monachos interdictio, ne prioratus ad vitam sumant, nisi ut meliores reddant, & quidem e diœcesani episcopi consensu.

27. Nec pecunia, nec vestes, nec prandia ab iis exigentur qui in religionem ingredi volunt.

TERTIA PARS.

1. 2. 3. & 4. Religiosæ clericos aut famulos suspectos apud se non habebunt; eas consanguinei privatim & sine testibus non invisent; suus singulis lectus erit; eædem non egredientur, ut consanguineos adeant, nisi bonæ famæ personis comitantibus, & ad brevissimum quidem tempus; non choreas agent in claustro, vel alibi.

5. 6. & 7. Religiosæ in indumentis paupertatem servabunt; in commune vivent e monasterii bonis; dabuntque episcopi operam, ut iis prudentes circumspectosque confessarios designent.

8. Suspen-

8. Suspendentur a suis functionibus abbatissæ, quæ suo non facient officio satis; quod si monitæ non resipuerint, deponentur.

9. Religiosi hospitalibus & leprosorum nosocomiis administrandis præpositi edent paupertatis, continentiæ & obedientiæ vota tria; earum numerus non excedet ægrotantium aut advenarum numerum; eoque sæculares non recipientur qui sibi recessum petunt, pietatis specie, re tamen ipsa, ut sæcularem jurisdictionem evitent.

10. 11. 12. 13. 14. & 15. Abbates advocatorum aut judicum munia non obibunt; non frequentem comitatum, non pedissequos juniores habebunt, consanguineis nihil e monasterii bonis dabunt, nisi pauperes sint; non sinent juniores feminas in monasterium ingredi; ab obedientiis, vel a prioratibus non eos amovebunt qui ibidem sunt, ut consanguineos in iisdem collocent; priorum aut officiariorum rationes quotannis accipient; non transigent magni momenti negotia, nec graves summas mutuabuntur, sine seniorum sententia, qui septem saltem numero sint, in id a capitulo electi.

16. Erga religiosos pœnitentes miseratione abbates utentur, quin tamen disciplinam ordinem lædant. Obedientias non vendent.

17. In abbates & priores interdictio, ne eos qui ad domus aut priorum reformationem, capitulo aliquid proponunt, minis terreant, aut acerbe habeant.

18. Abbates & priores non sinent religiosos suos in obedientiis remanere, quin regularem vitam, quoad fieri potest, nisi eos infirmitas aut necessitas impediat, ibidem servent.

19. & 20. Suis in cubiculis, sine justa causa, religiosi non comedent; nec egredientur e claustris, ut, studiorum causa, ad scholas pergant.

21. Capellanos & adsistentes qui matura ætate bonisque moribus sint, abbates habebunt.

QUARTA PARS.

1. Deferent episcopi & archiepiscopi latas coronas, & capillos in orbem cæsos qui nempe, contra ac decet, infra mitram appareant; in vestibus & in omni oris & corporis habitu gravitatem & modestiam servabunt, ac, nedum ipsi jurabunt, alios, se præsentibus, jurare non sinent.

2. Matutina in lecto non audient, nec sæcularibus negotiis frivolisve sermonibus, officii tempore, distinebuntur.

3. Officium ipsi in majoribus solemnitatibus celebrabunt; prædicabunt Dei verbum, aut saltem prædicandum curabunt.

4. A venatione, ab aleis, a pretiosis pellibus abstinebunt.

5. Sanctam lectionem, saltem ad cibi initium ac finem, fieri jubebunt, nec ad mensam histriones, aut musica instrumenta tolerabunt.

6. Honestis providisque eleemosynariis utentur, hospitalitatem ipsi exercebunt, habebunt statas horas quibus jus reddant & publice pauperes audiant, aliorum confessiones excipient, & sæpe ipsi confitebuntur.

7. In suis cathedralibus ecclesiis assidue, potissimum in majoribus solemnitatibus & quadragesimæ tempore, residebunt.

8. Professionem quam, dum consecrarentur, ediderunt, publice legi jubebunt, saltem bis in anno, nempe semel in synodo, & iterum in capitulo.

9. Secum suis in visitationibus frequentem comitatum non ducent qui gravis hospitibus esse possit.

10. Habebunt adsistentes seu comites graves, ætate provectos, doctos, fide bonisque moribus commendandos, & cubicularios, probos homines, qui, ut canones mandant, sint eorum vitæ testes, eorumdemque secretorum depositarii. Habebunt domesticorum parum, quique omnes bene morati sint.

12. Evitabunt simoniæ speciem ipsam in ordinum collatione, in ecclesiarum dedicatione, in virginum benedictione, suisque functionibus cæteris, sine ullo tamen honestarum permissarumque consuetudinum præjudicio.

13. Nihil sument pro suo ipsorum sigillo, seu pro redemptione expensarum visitationis, cum ea non peragunt, seu pro facultate sepeliendi excommunicatos, seu pro dispensatione bannorum, hoc est, publicationum matrimonii, seu pro tolerando clericorum cum concubinis commercio, seu denique pro ordinum collatione.

14. In præsules interdictio, ne junioribus aut indignis curata beneficia tribuant; ne cum præcipitatione excommunicationem pronuntient; ne pecuniam sumant, ut ab ea pronuntianda abstineant, & ut matrimonialium enuntiationum trinam dispensationem concedant.

15. Prohibentur iidem pati, se præsentibus, singularia certamina & extera judicia quæ eadem ac Dei judicia esse videntur; eaque sanctis in locis aut in cœmeteriis permittere.

16. Abolere jubentur insanientium paganorum festum quod Kalendis Januariis celebrabatur.

17. Statuitur, suam ut Synodum semel saltem quotannis habeant; operamque dent, ut confirmationem conferant, ac sine metu, nullaque humana ratione habita, suarum diœceseon depravationes, peculiariter in capitulis cæterisque corporibus corrigant.

18. 19. 20. & 21. Excitatur prælatorum severitas in choreas quæ Sanctis in locis agitabantur, in dominicorum dierum opera, in illicita matrimonia, in facilitatem qua legitima testamenta abrogandi facultas concedebatur, & in exsecranda peccata quæ nec nominantur.

Concilium hoc ex utilissimis est quæ in Gallia extiterint, &, quamvis parum cæteroqui notum sit, est tamen, quod frequens & e pluribus provinciis conflatum fuisse credatur. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VI.* Martenne, in *Collect. Tom. VII.*

Concilium Apamiense, an. 1212.

Simon Montfortensis, unus ex eorum signiferis qui contra Albigenses sacram militiam profitebantur, seu cruce signati erant, coegit concilium hoc, labente Novembri mense, & ad illud episcopos, nobiles viros præcipuosque e civibus convocavit. In eo decreti quadraginta novem articuli quorum pleri que politiam spectant quoad Simonis Montfortensis, nonnullorumque aliorum dominorum ditiones, qui in suum ipsorum emolumentum nobilitatis terras proscripserant, quæ hæresin amplexa fuerat, aut eidem faverat. Inter alios articulos, hi quidem notari possunt. Primitiæ & decimæ solventur in subactis regionibus, ut moris est. Regium vectigal pauperibus viduis non imponetur, ac ne clericis quidem, nisi conjugati, in negotio occupati, aut usurarii sint. Dominicis diebus nullus omnino nundinis aut mercatui locus erit. Clericus in delicto captus, quodcunque fuerit, episcopo aut archidiacono in manus tradetur; licet clericus hic non aliam clericaturæ notam quam coronam haberet. Parochiani adigentur, ut festis & dominicis diebus ad ecclesiam se conferant, ibique prædicationem & integram Missam audiant. Qui hæreticum suam in terram receperit, ea privabitur in omne tempus. De hoc concilio sermo est in vulgaribus Collectionibus quæ tamen ejusdem statuta non referunt. Ea Domnus Martenne & Domnus Durandus in primo suorum Anecdotorum tomo dederunt.

Concilium Montis Pessulani, Monspelliense, an. 1215.

Cardinalis Robertus de Corceonio, cum Decembris die 7. an. 1214. Remis esset, concilium hoc, accitis Archiepiscopis Bituricensi, Narbonensi, Auscienssi, & Burdigalensi, cum harum provinciarum Episcopis, abbatibus & archidiaconis, convocavit. Ei tamen non ipse Robertus, sed cardinalis Petrus Beneventanus, tamquam in provincia legatus præfuit, illudque aperuit 8. Januarii die an. 1215. Hoc in concilio editi fuere canones quadraginta sex ad ecclesiasticæ disciplinæ reformationem, ad hæreticorum eorumque fautorum denuntiationem, &c.

Priores septem afficiunt episcopos & clericos cæteros quibus vestium agendique rationis castigatissimam formam concilium præscribit. In iis commendatur episcopis vestis talaris & supparum, seu rocchettum, seu domo pedibus exeant, seu domi pro tribunali consistant; interdicuntur canonicis aliisque beneficiariis equina frena & calcaria aurata, vividioris, ut rubri & viridis coloris panni, apertæ seu pendentibus manicis togæ, & alia nonnulla ornamenta quæ sæculi mollitiem & fastum olere videntur; præcipitur in coronæ modum tonsura; requiritur universim in omnibus qui Ecclesiæ deserviunt, moderationis & consilii multum, quoad muliebrem sexum potissimum; omnis omnino usuræ negotiique absoluta abdicatio; externa ad gravitatem species; & si quando, quod rarum esse debet, venatum eunt, accipitres apud se habere, aut manu gestare prohibentur.

8. Interdictio, ne laici tamquam canonici & confratres suscipiantur, iisdemque præbenda aut distributio canonica panis & vini detur; cum ejusmodi confraternitates ecclesiis officiant.

9. Quicunque, post præcedentium canonum indictio-

ctionem, ultra dies quindecim se ad eos conformare distulerit, ab officio & beneficio suspenditur.

10. In ecclesiam ingrediendi jure privantur prælati ipsi qui dies octo transgessissent, quin hanc sententiam exequerentur.

11. & 12. Eo spectant, ut digni tantum idoneique, & quidem per nominationem prorsus gratuitam, in beneficiis & parœciis statuantur.

Canones novendecim qui sequuntur, ad disciplinæ, penes regulares, redintegrationem referuntur. His id ex parte concilium accommodat quod ad status decentiam ab ecclesiasticis sæcularibus postulaverat. Non patitur proprii quicquam in monasteriis possidere, vel cum abbatis aut prioris venia, *quoniam hi quidem*, inquit, *eam dare non possunt*. Injungit, ut dominicis diebus singulis, in universo capitulo, excommunicatio in proprietarios pronuntietur. Ibidem, ad canonici regularis aut monachi receptionem nec pactum nec conventio firmabitur. Monachi & canonici regulares in iis tantum causis advocatorum munus obibunt, quæ eos afficiunt; nisi eos forte, in urgentissima facti specie, id Episcopus qui eorum superior esset, domive abbas aut prior jusserint; cæterum, excommunicati & infames a judice & ab adversariis censebuntur, & tamquam ejusmodi ministerio prorsus impares habebuntur. Quod, sumpto cibo, in conventibus, e mensa superesset, colligitur, &, pro superioris voluntate, in pauperes distribuetur. Magnas coronas canonici regulares, & maximas monachi deferent; ut, in his quidem, capillorum circulus duos tresve digitos latus sit. Elatum erit occlusumque eorum calceamentum. Iidem ab una ad aliam ecclesiam leviter non migrabunt; & una tantum ecclesia, unaque stata mansio singulis erit. Canonici regulares se nunquam sine superpelliceo in conspectum dabunt. Nihil e peculiari ecclesia, *prabendæ* titulo, prorsus ut monachi, tenere poterunt. Utrique ad religiosam professionem, vel ad sacramentorum administrationem recipere, vel apud se inhumare, sub anathematis pœna, non eos possunt qui tamquam usurarii, excommunicati, aut nominatim interdicti innotescunt; quod si facere ausi fuerint, damnabuntur ad damna quæ propterea aliæ ecclesiæ pati possent, salvis tamen sanctæ Sedis privilegiis. Cum prioratus ad religiosorum trium sustentationem satis suppeditabunt, conflabitur ex iis communitas; cum autem ad id haud satis dabunt, fiet plurium prioratuum unio.

Canon tertius & sequentes undecim renovant confirmantque quicquid variis temporibus ad publicam securitatem, recentiusque ad pacem, dominum inter & dominum, interque regionis communia, servandam statutum fuerat. In eos qui hanc violant, graviores pœnas concilium decernit; & neminem non hortatur, ut eosdem, omni utriusque gladii potestate adhibita, persequatur.

43. Nova vectigalia aut nova portoria imponendi libertatem reprimit.

44. Baronibus aliisque penes quos est portorii jus, viarum curam demandat, ut rapinas & furta ab iisdem arceant.

45. Societates & sodalitates proscribit, quæ, quin loci dominus aut episcopus annuant, instituuntur.

46. Presbyterum unum, laicosque duos tres, ad hæreticos quos detexerint, deferendos, in unaquaque parœcia, statutos vult. *Lab. Tom. XI.*

Concilium Lateranense IV. & generale XII, anno 1215.

Summus Pontifex Innocentius III. per Bullam Aprilis die 19. an. 1213. datam quam per universum christianum orbem misit, convocavit concilium hoc quod Lateranense quartum, & generale decimum secundum est. Causæ convocationis concilii fuere Terræ sanctæ recuperatio, morum per universam Ecclesiam reformatio, bellorum & hæreseon extinctio, fidei confirmatio & pacis redintegratio. Ei adfuere duodecim supra quingentos, episcopi, relatis in numerum patriarchis duobus, Constantinopolitano & Hierosolymitano, primatibusque seu metropolitanis uno & septuaginta; ex abbatibus prioribusque plures quam octingenti, & magnus eorum numerus quos absentes delegaverant. Fridericus, Siciliæ rex, electus Imperator, Henricus, Imperator Constantinopolis, Reges Galliæ, Angliæ, Pannoniæ, Hierosolymæ, Cypri, Aragoniæ, aliique Principes plures ibi suos oratores habebant. Coivit concilium in Laterani patriarchalem ecclesiam, Sancti Martini die, 11. mensis Novembris an. 1215. Illud Papa per sermonem aperuit, cujus argumentum erant ea Christi Domini verba: „ vehementer optavi vobis„ cum hoc Pascha comedere. “ Post hunc sermonem aliumque qui non nisi moralis cohortatio est, abtulit concilio jam edita, in eoque lecta voluit septuaginta decreta seu canones quibus initium dat catholicæ fidei expositio.

1. Hæc expositio seu formula fidei ejusmodi est; non esse nisi unum Deum in personis tribus, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum; at unam tantum essentiam, substantiam unam, simplicissimamque naturam unam; Patrem non tenere substantiam suam ab ulla persona, Filium eam a Patre tenere, & Spiritum Sanctum ab utroque procedere, sine initio & sine fine; Patrem generare; Filium esse genitum; Spiritum Sanctum procedere; eos consubstantiales & in rebus omnibus æquales esse; æque potentes, æque æternos, unum & unicum rerum omnium principium, invisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium rerum creatorem Deum; qui, per suam omnipotentem virtutem, ab initio temporis, e nihilo fecit utramque creaturam, spiritalem & corporalem, ac dæmones quoque quos ipse bonos creaverat, quique se malos ipsi fecerant; hominem porro, diabolo instigante, peccasse.

Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam suam individua, & secundum suas personales proprietates distincta, salutarem doctrinam, per Moysis, prophetarum, cæterorumque servorum suorum ministerium, pro temporum dispositione, humano generi præbuit; tandemque Filius unicus Dei, Jesus Christus, per virtutem totius Trinitatis communem incarnatus, & de Maria, semper Virgine, per Spiritus Sancti cooperationem, conceptus qui se verum hominem, ex anima rationali humanoque corpore compositum fecit, una persona in naturis duabus, nobis vitæ viam clarius ostendit. Immortalis & impatibilis secundum divinitatem, se fecit patibilem & mortalem secundum humanitatem. Passus est etiam super crucis ligno pro humani generis salute. Mortuus est, descendit ad inferos, resurrexit e mortuis, & ad cælum ascendit; at in anima descendit, & in corpore resurrexit; atque in utroque ad cælum ascendit. Veniet in sæculorum fine judicaturus vivos & mortuos, & cuique pro cujusque operibus redditurus; sive reprobi sint, sive electi qui cum suis propriis corporibus omnes resurgent, ut recipiant, pro suis bonis malisve meritis, reprobi quidem æternam pœnam cum diabolo, electi vero æternam gloriam cum Christo Domino.

Una tantum & unica fidelium universalis Ecclesia est, extra quam nemo unus absolute salvus fit; & in qua Christus Dominus & sacerdos & victima est, cujus corpus & sanguis vere sunt in altaris Sacramento sub panis & vini speciebus; pane *transubstantiato* in Jesu Christi corpus, & vino in ejusdem sanguinem, per divinam potestatem; ut, ad perfectum reddendum unitatis mysterium, nos accipiamus de suo, quod accepit ipse de nostro. Nemo potest consecrare mysterium hoc nisi presbyter legitime ordinatus, secundum potestatem clavium Ecclesiæ, quam potestatem Christus Dominus apostolis eorumque successoribus dedit. Jam vero baptismatis sacramentum quod per individuæ Trinitatis, nempe, Patris, Filii & Spiritus Sancti, super aquam, invocationem consecratur, salutem tam infantibus quam adultis comparat, cum ex Ecclesiæ forma, quicumque sit ejusdem minister, administratur. Si quis, eo suscepto, in peccatum labitur, innocentiam suam recuperare per veram pœnitentiam potest. Non solum virgines in continentia viventes, verum etiam conjugatæ personæ quæ per puram fidem perque bona opera Deo placent, ad æternam vitam pervenire merentur. *Transubstantiationis* vocabulum, in hoc canone adhibitum animadversione dignum est. Illud consecravit Lateranense concilium quartum, ut panis & vini mutationem in Christi Domini corpus & sanguinem significaret, quemadmodum primum Nicænum concilium *consubstantialis* vocem ad exprimendam perfectam Filii cum Patre æqualitatem sacraverat; ac subsecutis quidem temporibus semper ecclesia in eumdem sensum & ob eosdem fines his duobus vocabulis usa est.

2. Damnat concilium Abbatis Joachimi contra Petrum Lombardum, super Trinitate, Tractatum in quo eum *hæreticum* & *sensus expertem* appellat, qui nempe in suo primo Sententiarum Libro dixisset supremam rem esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, eamdemque nec generare, nec generari, nec procedere. Contendebat Joachimus Abbas ex hac doctrina consequi quaternitatem in Deo esse, videlicet Trinitatis Personas tres, earumque communem speciem; asserebatque personarum unionem non propriam & realem, sed solum similitudinariam esse, qualis credentium est, de quibus dicitur in Apostolorum Actis unum omnibus cor & animam unam fuisse, & ut Christus Dominus apud S. Joannem ait, de fidelibus ad Patrem loquens;

quens: „ Volo, ut sint unum, ut nos unum sumus.“ Nos vero, inquit Papa, credimus, sacro approbante concilio, & confitemur existere supremam rem quæ Pater, Filius & Spiritus Sanctus est, quin ulla quaternitas in Deo sit, quia harum Personarum unaquæque est hæc ipsa res, nimirum, substantia, essentia, seu natura divina quæ sola totius principium est. Hæreticos ergo eos omnes concilium declarat qui abbatis Joachimi super hoc articulo doctrinam defenderent aut approbarent. Amaurii quoque doctrinam damnat, qui sub privationis salutis pœna, oportere garriebat Christianum quemque credere se Christi Domini membrum esse.

3. In omnes hæreses præcedenti fidei expositioni contrarias anathema concilium pronuntiat; mandatque, ut hæretici, postquam damnati fuerint, sæcularibus potestatibus tradantur. Addit monendas atque adeo censuris adigendas has potestates, ut publice jurent se suis e terris omnes ab Ecclesia notatos hæreticos expulsuras; temporales dominos, si id facere neglexerint, a metropolitano episcopisque provinciæ excommunicatione plectendos; ac si satis intra annum non fecerint, de re Papam certiorem faciendum qui eorum subditos a fidelitatis jurejurando absolutos declarabit, exponetque eorumdem terras catholicorum acquisitioni, ut eas pacifice possideat, postquam hæreticos illinc expulerint, ibique fidei puritatem servent, salvo principalis domini jure; dummodo ipse hujus sanctionis executioni nullum obstaculum ponat.

Qui, hunc canonem legentes, ferrentur ad credendum ab Ecclesia hoc loco sæcularem potestatem impeti, se revocare ab errore possent hac animadversione, præcipuorum Christianæ Reipublicæ Principum oratores Lateranensi concilio adsuisse, ejusque decretis, Dominorum suorum nomine, consensisse. (*)

4. Græcos hortatur synodus, ut se Romanæ Ecclesiæ redintegrent, & ad eam se conforment, atque ita non sit nisi unus & unicus pastor, unusque & unicus grex; vetanturque Græci, excommunicationis ac depositionis indicta pœna, ne lavent altaria super quibus presbyteri Latini celebrarunt, eosque quos iidem baptizarunt, rebaptizent. Eo nempe suam contra Latinos aversionem acerbitatemque produxerant Græcorum plures, ut altaria detergerent, super quibus latini presbyteri sacrum fecerant, ab iisque baptizatos iterum baptizarent.

5. Orientis patriarcharum quatuor ordinem & prærogativas concilium ita moderatur ac statuit, ut, secundum Romanam Ecclesiam quæ super omnes alias principatum tenet, tamquam omnium fidelium mater, Constantinopolitanum patriarcham, ac deinceps Alexandrinum, Antiochenum & Hierosolymitanum ponant.

6. Instaurantur decreta vetera super annua, ad morum, cleri potissimum, reformationem, provincialium conciliorum celebratione; atque, ut id obtineri possit, mandatur, ut in quaque diœcesi statuantur idonei viri qui, per annum totum, ea quæ reformatione indigent, accurate perquirant perspiciantque, eadem ad concilium subsequens allaturi.

7. Episcopi suorum diœcesanorum reformandis moribus invigilabunt, quosque inter eos, imprimis vero inter clericos compererint, abusus corrigent.

8. Ad criminum punitionem procedendi ratio præscribitur. Prælatus, super ejus publica diffamatione contra quem inquisitum vult, ei exponet articulos in quibus ipsius inquisitiones versari debent, ut ei se defendendi facultas sit, eidemque non solum depositiones, sed ipsa quoque testium nomina declarabit, ejusque legitimas exceptiones defensionesque suscipiet.

9. Episcopi diœceseon Orientis, in quibus est Christianorum mixtio, quorum lingua ritusque differunt, idoneos viros designabunt qui unicuique nationi divinum officium celebrent, unicuique sacramenta administrent, & unamquamque secundum ejus ritum ejusdemque linguam edoceant; quin tamen in una eademque diœcesi esse possint episcopi duo, sed catholicus tantum vicarius qui quidem episcopo omnino subsit, in eorum gratiam quorum alius ritus est.

10. Sapientes viros eligent episcopi, ut evangelium nuntient, confessiones audiant, pœnitentias imponant, agantque quicquid animarum saluti convenit.

11. Renovatur concilii Lateranensis, an. 1179. sub Alexandro III. habiti, sanctio qua statuitur, ut in cathedralibus & collegiatis ecclesiis magister sit qui earum ecclesiarum clericos cæterosque pauperes discipulos gramaticen & scientias reliquas gratis doceat. Metropolitanis autem ecclesiis, præter hunc grammatices magistrum, aderit Theologalis seu Theologus qui sacram Scripturam & quod animarum curam spectat, presbyteris aliisque ecclesiasticis tradat. Theologalis tamen hic, itemque grammatices magister canonici non erunt; sed beneficii redditus utrique dabitur.

12. Sua capitula, tertio quoque anno, abbates & priores habebunt, in iis de reformatione ac disciplina regulari, sine præjudicio juris episcoporum, acturi.

13. Vetitus quisque novos religiosos ordines excogitare. Qui in religionem ingredi voluerint, unum ex approbatis ordinibus amplectentur. Monachi mansiones in monasteriis pluribus, aut eodem tempore abbatias plures non habebit unus idemque.

14. 15. & 16. Incontinentiæ convictus clericus punietur e summo canonum jure, multoque gravius qui in regione degit in qua mos obtinet, ut clerici conjugium ineant. Vivent etiam clerici ex temperantiæ regulis; quique ebriositati suberit, ni se corrigat, ab episcopo monitus, a beneficio vel officio suspensus erit. Venationi clerici non vacabunt, nec in id aves habebunt. Abstinebunt a sæcularibus negotiationibus, a spectaculis, ab aleis, nec nisi per iter cauponas subibunt. Tonsuram & coronam suo statui congruas deferent, occlusas vestes habebunt, easque nec longiores nec breviores, & sine ornatu; cappas sine manicis, sine fibulis & sine tæniis aureis argenteisve gerent in ecclesia. Annulum non gestabunt, iis exceptis quibus ejus gestandi jus dignitas tribuit. Ex tela superpellicea episcopi intra extraque ecclesiam ferent; vel super pectore per fibulas, vel sub collo appensa erunt eorumdem pallia.

17. Suspensionem minitatur concilium clericis qui noctis partem in conviviis aut profanis congressibus transigebant, dormiebant ad diem usque, & matutina præcipitanter recitabant, raro Missam audiebant, eamque multo rarius celebrabant; hos hortatur, ut assidue religioseque diei & noctis officium celebrent.

18. In clericos interdictio, ne mortis sententiam dictent aut pronuntient, & ne quid agant quod ad extremum supplicium referatur; ne chirurgiæ partem ullam in qua ferrum aut ignem adhiberi necesse sit, profiteantur; ne, ad aquæ calidæ aut frigidæ, vel candentis ferri probationem edendam, benedictionem tribuant.

19. Interdicitur, ne domestica supellex in ecclesias, præter quam in necessitatis casu, ut in hostium incursionibus, importetur; mandaturque, ut in sacris vasibus, ornamentis linteisque sacro ministerio addictis nitor servetur.

20. In omnibus ecclesiis sanctum chrisma & eucharistia clave concludentur; quique, quoad caput hoc, diligentiæ defuerint, ab officio suspendentur ad menses tres.

21. Omnes fideles, ubi ad cognitionis ætatem pervenerint, sua omnia peccata, saltem semel in anno, proprio presbytero confitebuntur; pœnitentiam quæ sibi iisdem imposita fuerit, perficient, & eucharistiæ sacramentum cum observantia suscipient, saltem in Paschate, nisi forte æqua de causa, & e proprii presbyteri sententia, sibi ab eo per aliquod tempus abstinendum putent. Qui huic non facient officio satis, ad eam pœnam damnabuntur, ut Ecclesiæ aditu, quoad vixerint, & ecclesiastica sepultura post mortem priventur; & hoc statutum in Ecclesia identidem indicetur, ne quis quoad illud ignorantiæ causam prætexat. Subdit canon, si quis justam ob causam extero presbytero, proximo nempe parocho, aut cuivis alteri approbato sacerdoti sua peccata confiteri voluerit, necesse fore, ut in id a proprio presbytero veniam petat obtineatque, quia secus is alienus presbyter eum nec ligare, nec solvere posset; cæterum oportere, ut presbyter cui sua peccata pœnitens confitetur, circumspectus prudensque sit; ægrotantium vulnera, ut bonus medicus, curet; in ea oleum & vinum infundat, accurate peccatorem & peccati circumstantias expendens, ut perspiciat, quid ei consilii dare, quibusque remediis ad eumdem sanandum uti debeat. Caveat etiam confessarius, necesse est, ne quo verbo aut signo detegat eorum peccata qui confitentur; quique hoc in capite reus compertus fuerit, deponetur & in monasterium conjicietur, pœnitentiam, quod ei reliquum vitæ fuerit, ibidem acturus.

(*) (Censoris *adnotatio*). *Satius esset convenire bona fide concilium, hoc in canone, suam potestatem prætergressum esse; ejusque super hoc capite contentiones non alio fundamento nixas fuisse quam falsis Decretalibus & abusu in quem Romani Pontifices, a Gregorii VII. tempore, suam ipsorum auctoritatem trahebant. Si oratores ex imbecillitate fuissent, ut de ejusmodi decreto consentirent, Principum quos repræsentabant, rem ignave ac turpiter prodidissent.*

Quatuor, super hoc canone, notari possunt. Primum, eum editum fuisse, occasione Albigensium & Valdensium qui pœnitentiam contemnebant, ac sine confessione aut satisfactione, per solam impositionem manuum alicujus ex eorum numero quos *præpositos*, *episcopos*, aut, *diacones* appellabant, suorum se peccatorum remissionem percipere contendebant. Alterum, a concilio designari communionis tantum, quam Paschati addit, non item confessionis tempus, quia hæc tum quidem in Quadragesimæ initio fieri debebat. Tertium, proprii presbyteri nomine, cui annua confessio facienda est, ejus in qua pœnitens degit, ecclesiæ parochum venire debere. Quartum denique, quamvis, per proprium presbyterum, parochus intelligi debeat, posse tamen huic canoni fieri satis, apud quemvis alium presbyterum a diœcesano episcopo approbatum, cum ea est ipsius episcopi mens, edita confessione. Ergo quoad annuæ confessionis ministrum, ejusmodi est Galliarum mos. Sunt ibi ecclesiæ in quibus is est episcopis animus, ut omnes confessarii indefinite approbati, confessiones, eamque ipsam quæ præcepto subest, sine parochorum venia excipere possint; &, in his quidem ecclesiis, annua confessio, cuivis approbato presbytero facta, bona est. Aliæ ibidem ecclesiæ sunt, in quibus, dominica Palmarum die, parochus, enuntians pro concione canonem, *Omnis utriusque sexus*, suis omnibus parochianis facultatem universim dat, ut approbato cuique presbytero confiteantur, & hæc generatim concessa facultas sufficit, ut licite quisque cuivis approbato presbytero confiteri possit. Sunt demum ecclesiæ in quibus viget constans usus, ut pœnitens a proprio parocho facultatem petat obtineatque; &, in his quidem ecclesiis, confessiones aliis sacerdotibus quam propriis parochis factæ, tum illicitæ, tum invalidæ sunt.

22. Cum ægrotus medicos ad se vocabit, hi quidem, antequam ei quicpiam ad valetudinis redintegrationem præscribant, eumdem monebunt, suæ ut animæ saluti consulat; & medici qui huic officio defuerint, ad congruam satisfactionem usque, Ecclesiæ aditu privabuntur. Si quid ei suaserint, ad corporis sanitatem, quod animæ saluti nocere possit, excommunicatione plectentur.

23. Episcopatus aut abbatia ultra tres menses vacans non relinquetur; aliter, qui obtinebant eligendi jus, eo hac sane vice spoliabuntur; illudque devolvetur ad superiorem cujus est vacationi providere; quem oportebit intra tres menses eam sedem replere, sumpto, in id, capitali & prudentum virorum consilio.

24. Fieri debet electio coram iis omnibus qui ei interesse debent & commode possunt. Ea porro trifariam, per scrutinium scilicet, per compromissum, aut per inspirationem peragi potest. Priore ratione, qui suffragii jure gaudent, eligunt e cœtu tres qui clam singulorum suffragia colligant, in scripta redigant simulque comparent, ut is sit electus a quo stant eligentium suffragia plura. Ratio altera in eo est posita, ut, omnium nomine, quibusdam idoneis viris eligendi facultas detur. Ratione tertia, simul omnes veluti per divinam inspirationem consentiunt, ut unum eumdemque nominent. Nulla declaratur quævis alia electionis forma. Nemo potest suffragium suum per procuratorem dare, nisi legitime impeditus absit; & electio quidem, statim ac facta est, solemnem in modum enuntiari debet.

25. Si secularis potestatis auctoritate fiat electio, nulla erit ipso jure; electus qui eidem assensus fuerit, nihil utilitatis inde percipiet, immo vero non amplius eligi poterit; electores ab omni officio & beneficio ad triennium suspensi erunt, & hac quidem vice eligendi facultatem amittent.

26. Is ad quem pertinet electionis confirmatio, sedulo prius ejus formam, itemque electi qualitates, mores, scientiam & ætatem expendere debet. Si ejus electionem confirmat qui requisitis qualitatibus caret, aut cujus electio cum regulis minime congruit, ipse quidem primi successoris confirmandi jure destituitur, electus vero beneficii fruitione privabitur. Prælati qui sanctæ Sedi proxime subsunt, ipsi se Papæ sistent, suæ ut electionis confirmationem obtineant.

27. Episcopi ecclesiasticas dignitates aut sacros ordines idoneis tantum viris conferent, & operam dabunt, ut, quos presbyteros ordinare voluerint, tam super divinis officiis quam super sacramentorum administratione, seu ipsi per se, seu per alios, instituant; siquidem præstat paucos bonos, quam multos malos ministros, præsertim presbyteros, Ecclesiæ suppetere.

28. Qui sui deferendi beneficii facultatem petierit & obtinuerit, debebit, atque adeo cogetur illud deserere; id enim consilii solum ob ecclesiæ cui præerat utilitatem, vel ob suas proprias rationes cepit.

29. Unus idemque duo beneficia possidere non poterit, quæ animarum curam adjunctam habent; quique ejusdem naturæ alterum suscipiet, priore privabitur; quod si primum retinere voluerit, spoliabitur altero. Prioris beneficii collator illud conferet, statim atque alterum clericus obtinuerit; quod si collationem trium mensium spatio distulerit, ad superiorem ea devolvetur. Idem servabitur quoad personatus & dignitates in eadem ecclesia, quamvis iis animarum cura nulla sit. Huic tamen regulæ Sancta Sedes natalibus aut scientia insignes viros eximere poterit.

30. Qui beneficia in eos contulerint qui iis possidendis inepti sunt, postquam semel & iterum moniti fuerint, a conferendi jure suspendentur, & hæc eorum suspensio solum a Papa vel a Patriarcha tolli poterit. Errata quoad caput hoc perpetrata diligenter in annuo provinciali concilio perquirentur, in eoque opera dabitur, ut prudentes circumspectique viri substituantur qui ejus defectum suppleant quem concilium a collationis jure suspenderit.

31. Canonicorum filii, spuriique potissimum, canonicatus possidere non poterunt in eorumdem canonicorum ecclesiis.

32. Designabitur parocho portio congrua. Suæ ipse per se, & non per vicarium, parœciæ deserviet, nisi ea præbendæ, aut dignitati quæ ejus servitium in majore ecclesia postulet, annexa sit; in hac enim facti specie vicarium perpetuum habebit qui e parœciæ redditibus congruam portionem percipiet.

Canon hic in collatores editus fuit qui pene totum parœciarum proventum sibi sumebant, ejusque iam parum titularibus relinquebant, ut indocti tantum ac rudes earum servitium susciperent.

33. & 34. Episcopi, eorum archidiaconi, eorumdemque legati vetantur quicquam ob visitationis impensas sumere, nisi cum eam peragunt ipsi per se; & in visitatione suum potius emolumentum quam id quærere quod Christum Dominum & morum reformationem spectat, qui præcipuus visitationis finis esse debet.

35. Interdictio, ne ante sententiam appelletur. Appellationis causa judici proponi debet, & ejusmodi sit, oportet, ut, cum probata fuerit, legitima censeatur. Si judex superior haud rationi consonam appellationem comperit, appellantem ad judicem inferiorem remittere & ad expensas damnare debet; omnino, sine constitutionum præjudicio, quæ mandant, ut causæ majores ad sanctam Sedem deferantur.

36. Si judex comminatoriam vel interlocutoriam a se pronuntiatam sententiam revocat, processus instructionem prosequendi facultatem ei non adimit hæc revocatio, etiamsi ab hac sententia appellatum esset, dummodo non subsint legitimæ causæ quæ eamdem suspectam reddant.

37. Interdicitur, ne quis adeat Romanam curiam, litteras obtinendi causa, ut adversarium biduo procul a diœcesi in judicium appellet, ne defensor fatigatus suum jus deserat.

38. Aderit judicibus officiarius publicus qui omnia scribet litis acta, quorum exemplum partibus dabitur, quorumque prototypa judex seu exemplaria retinebit, ut, si qua difficultas super judicis actis contigerit, visis autographis tabulis tolli possit.

39. Boni possessor quod ab eo acquisivit a quo usurpatum scit, illud legitimo possessori reddere debet.

40. Anni possessio a die numerabitur, quo die per sententiam adjudicata est, quamvis is in cujus emolumentum edita fuit, rei possessionem, per adversarii malitiam, inire non potuerit, aut ab eo possessione spoliatus fuerit.

41. Bonæ fidei debet esse præscriptio; secus, ei locus esse non debet; atque is quidem qui possessione utitur, nullo unquam tempore sciverit, necesse est, id quod retinet, ad se minime pertinere.

42. Ecclesiastici cum ferre non possint suam jurisdictionem a laicis impeti, ne ipsi quidem eam quæ laicorum est, attingere debent.

43. In laicos interdictio, ne fidelitatis juramentum ab ecclesiasticis exigant qui temporale nihil possident quod a laicis pendeat.

44. Interdictio, ne potentium laicorum constitutiones serventur in jurium Ecclesiæ præjudicium editæ, seu ob feudorum alienationem, seu ob ecclesiasticæ jurisdictionis usurpationem, seu ob quodvis aliud spirituali annexum bonum, nisi eædem constitutiones ex ecclesiasticæ auctoritatis consensu latæ fuerint.

45. Si patroni aut vicedomini advocati ecclesiarum negligunt iis vacantibus providere, aut de beneficiorum proventu statuunt, aut prælatorum vitæ insidiantur,

tur, privabuntur patronatus & advocationis jure, nec solum ipsi, sed etiam eorum hæredes ad quartam generationem usque, nec in ullum clericorum collegium, nec in religiosas domos admitti poterunt.

46. Urbium officiarii vectigalia aliasve taxas ab ecclesiasticis exigere non possunt, sub excommunicationis pœna; at episcopis licet ecclesiasticos ei legi subdere, ut, cum opus fuerit, subsidia dent, Papa tamen de re consulto.

47. In neminem pronuntiabitur, nisi post congruam coram testibus editam monitionem, excommunicationis sententia; qui secus egerit, ecclesiæ ingressu ad mensem privabitur. Excommunicatio niti debet publica & æqua causa. Qui se injuste excommunicatum contendet, suam ad superiorem judicem querelam deferet, a quo remittetur ad priorem judicem absolvendus, aut, cum ei omnino de re constiterit, absolvetur. At si excommunicati querela non satis firmo fundamento nititur, damnabitur ipse ad damna & lucra quoad primum judicem, & ad aliam præterea pœnam, prout superiori judici visum fuerit.

48. Recusari potest suspectus judex, allatis apud arbitros de quibus convenit, suspicionis rationibus. Quæ si æquæ compertæ fuerint, judex recusatus acta ad alium judicem, vel ad judicem superiorem mittet.

49. Interdicitur, ne lucri causa pronuntietur excommunicatio vel absolutio. Si excommunicationis injustitia probata fuerit, judex ad pecuniariæ quam perceperit, mulctæ duplum restituendum damnabitur.

50. Matrimonii in secundo & tertio affinitatis genere contrahendi prohibitionem concilium revocat, redigitque gradus in quibus vetitum est matrimonium contrahi, ad consanguinitatis & affinitatis gradum quartum, & hunc ipsum.

Ut canon hic probe intelligatur, sequentibus animadversionibus opus est.

1. Consanguinitas seu cognatio naturalis est conjunctio quam natura posuit inter personas duas quarum una descendit ab alia, ut inter patrem ejusque filios qui ab eo descendunt; aut quæ derivantur e communi stipite, cujusmodi conjunctio intercedit inter fratres & sorores quibus stipes a quo descendunt, pater scilicet, communis est.

2. Affinitas, proprie dicta, relatio est quæ inter unum e conjunctis per matrimonium, & alterius conjuncti consanguineos interest. Ita quicunque viro consanguinei sunt, conjugi sunt affines, & quicunque conjugi sunt consanguinei, viro affines sunt.

3. Ante Lateranense concilium quartum, distinguebantur affinitatis genera tria; primum erat affinitas quæ inter conjugum unum est & alterius consanguineos; quæ quidem est affinitas proprie dicta, & quam unam agnovere Romanæ leges, & Ecclesiæ priora sæcula.

Affinitatis genus alterum erat affinitas quam Canonistæ inter conjugum unum & affines alterius imaginati sunt.

Tertium affinitatis genus erat illud quod iidem canonistæ sibi animo finxerant inter conjugum unum & alterius affines in secundo genere positos; causa exempli, mei fratris uxor tenet, per affinitatem, sororis locum cæteris fratribus & sororibus mei fratris, mihique ipsi; hæc affinitas est affinitas primi generis, affinitas proprie dicta; si hæc mei fratris uxor, post ejus mortem, alteri nupserit, contrahitur affinitas inter ejus secundum maritum ex una parte, & me, meosque fratres & sorores ex alia, per quam is nobis est cognati fratris loco; hæc non est sane primi generis affinitas, quia uxori fratris nostri qui mortuus est, consanguinei non sumus; sed solum sumus eidem affines, cognati cognatæque. Si deinde, post feminæ mortem quæ primo fratris nostri conjux fuerat, ejus secundus vir alteram conjugem duxerit, contrahetur tertii generis affinitas per quam ejus altera conjux nobis erit cognatæ loco, quia sumus affines in secundo affinitatis genere cum ejus viro.

Hæ quidem secundi & tertii generis affinitates, ante Lateranense concilium, inducebant impedimentum dirimens matrimonii, eadem ratione & in iisdem gradibus atque affinitas primi generis.

4. Ante hoc Lateranense concilium ipsum, incundi matrimonii prohibitio ad usque septimum consanguinitatis & affinitatis gradum protendebatur. Nec defuere concilia, ut Agathense an. 506. & Toletanum an. 531. quæ matrimonia inter consanguineos & affines absolutum & illimitatum in modum prohibuerunt.

Varia hæc affinitatis genera, & hi consanguinitatis & affinitatis gradus adeo multiplicati propagatique qui matrimonii impedimentum dirimens conficiebant, contrahentium salutem in discrimen sæpe adducebant; quamobrem Lateranense concilium quartum, ut his incommodis occurreret, secundum & tertium affinitatis genus expunxit, & matrimonii inter consanguineos & affines contrahendi interdictionem ad quartum consanguinitatis & affinitatis gradum redegit.

51. Clandestina matrimonia concilium damnat, mandatque propterea, ut matrimonia, antequam contrahantur, publice in ecclesiis a presbyteris annuntientur, cum satis longo temporis spatio, quo legitima impedimenta proponi possint; mandat etiam, ut, qui vel in licito gradu clandestinum matrimonium inierint, pœnitentiæ addicantur; & presbyter qui ejusmodi matrimonio adstiterit, ad triennium suspensioni subdatur.

52. Abolet concilium veterem usum consanguinitatis, quoad matrimonii impedimentum, probandæ per testes id unum deponentes quod auditione acceperunt; nec amplius in hoc negotio nisi oculatos testes receptos vult.

53. Interdictio, ne quis suas terras cultoribus locet qui decimas non solvunt.

In quibusdam provinciis aderat populorum mixtio, quorum alii, pro suis consuetudinibus, decimas non solvebant, aliis solventibus. Id erat in causa, ut qui decimas solvebant, iis suas terras locarent qui eas non solvebant, ut a suis locatariis, ob nullam decimæ solutionem, emolumentum perciperent. Hunc abusum damnat concilium, ecclesiasticarum censurarum indicta pœna.

54. & 55. Declaratur decimam divino jure Ecclesiæ deberi; eam ex omnium frugum perceptione, antequam inde quicquam ad census & tributa detractum fuerit, sumendam esse; terras monachis Cisterciensibus aliisve acquisitas, post hujus concilii celebrationem, debere decimam solvere, seu eas ipsi per se, seu per exteros colant.

56. In sæculares & regulares clericos interdictio, sua ne prædia locent, aut in *feudi* titulum dent, ea conditione, ut decima ipsis solvatur, & qui eas accipiunt, apud ipsos sibi sepulturam statuant.

57. Privilegium aliquorum ordinum confratribus concessum, ut semper inhumarentur in terra sancta, dummodo nominatim excommunicati vel interdicti non essent, redigitur ad confratres oblatos & qui ordinis habitum sumpserant, vel ad eos qui sua omnia bona, usufructu sibi reservato, monasteriis donaverant.

58. Redigitur etiam ad unam tantum loci ecclesiam, privilegium quod regulares obtinuerant in eorum gratiam quos e confratribus ad stipem colligendam mittebant, ut ecclesiæ fores aperiri juberent, ibique divina officia celebrarent, ea tamen lege, ut ejus ecclesiæ aditu excommunicatos prohiberent. Poterunt etiam episcopi divina officia celebrare, submissa voce, januis clausis, & sine æris campani sono, in iis ipsis ecclesiis quæ communi interdicto subsunt, modo non eædem ecclesiæ interdicto occasionem præbuerint; eaque conditione, ut ne interdicti & excommunicati ibidem astent.

59. & 60. Vetatur religiosus pro alio se sponsorem dare, aut pecuniæ summam mutuari, quin abbas & major capituli pars annuat; vetanturque abbates irrepere in episcoporum jura, ita scilicet, ut de matrimonii causis cognitionem sumant; ut publicas pœnitentias imponant; ut indulgentias concedant, aliasve episcopales functiones obeant, nisi privilegium in id obtinuerint, aliave legitima ratione nitantur.

61. In regulares interdictio, ne ecclesias aut decimas e laicorum manu suscipiant, sine episcopi consensione. Præsentabunt episcopis presbyteros qui ecclesiis deserviant quæ pleno jure ab ipsis non pendent; presbyterosque ab episcopo institutos ab iisdem ecclesiis, sine ipsius episcopi venia, amovere non poterunt.

62. Interdictio, ne veteres reliquiæ, extra earumdem capsas, ostendantur, & ne qua publica veneratio iis quæ recens inventæ fuerint, sine Papæ approbatione, exhibeatur. Non recipiantur stipem quæritantes, nisi Papæ, aut diœcesani episcopi litteris muniti sint. Unius tantum anni, in alicujus ecclesiæ dedicatione, solumque quadraginta dierum, ob anniversariam ejusdem commemorationem, indulgentia ab episcopis concedi poterit.

Canon hic abusus duos admodum olim communes damnat. Primus erat, ut sanctorum reliquiæ e capsis quibus continebantur, extraherentur omnibus ostendendæ, & venditioni exponendæ. Positus erat abusus alter in prælatorum plurium imprudentia, qui facilius quam par erat, indulgentias concedebant; quod vergebat in contemptum clavium Ecclesiæ, & disciplinam in sacramenti pœnitentiæ administratione enervabat.

63. Interdictio, ne quid ob episcoporum consecratio-

tionem, abbatum benedictionem & presbyterorum ordinationem sumatur.

64. Mandatur, ut deinceps religiosi & religiosæ, qui aliquid ob ingressum in religionem dabunt aut exigent, e monasteriis ejiciantur, & in alia castigatiora & ad regulam exactiora monasteria concludantur, ubi, quoad vixerint, pœnitentiam agant. Qui vero quæve, ante hoc decretum, per pecuniam recepti fuerint, in ejusdem ordinis conventum alium transferentur, vel etiam in eumdem conventum iterum recipientur, ubi non alium quam secundæ receptionis gradum obtinebunt.

65. Vetiti præsules ecclesiam aliquam interdicere post parochi mortem, ut pecuniæ summam sibi solvendam curent, & munera a militari homine vel a clerico exigere, ut eos sinant in religionem ingredi, sibique in religiosa aliqua domo sepulturam eligere.

Erant episcopi, qui ad parochorum mortem, eorum ecclesias interdicto subdebant, nec iis successorem dari, nisi certa quadam sibi soluta summa, sinebant. Has nimirum exactiones aliasque de quibus supra, restitutionis in duplum indicta pœna, concilium damnat.

66. Prohibentur parochi ob sepulturas, ob matrimonia & ob alias sui ministerii functiones pecuniam exigere; at ecclesiis donandi laudabiles usus servantur, episcopisque mandatur, ut placitis obluctentur quæ Valdenses & Albigenses disseminabant, qui fideles scilicet avertebant, ne quid ecclesiis aut clero donarent.

67. Judæis immodicæ quoad Christianos usuræ prohibentur; iisdemque præcipitur, ut ob domos ac prædia quæ a Christianis emerunt, decimas & oblationes cæteras solvant.

68. Utriusque sexus Judæis suis in vestibus notam aliquam deferent quæ eos a Christianis secernat.

69. Interdictio, ne Judæis Ethnicisque publica munia conferantur.

70. Judæi qui Christianam Fidem amplexi sunt, & baptismum voluntarie susceperunt, antiquis Judæorum ritibus omnino nuntium remittent, ne Christianismi & Judaismi quamdam mixtionem inducant, quæ non nisi ad christianæ religionis pulcritudinem fœdandam faceret.

Sequitur decretum pro sacra crucis militia, cujus expeditio Kalendis Juniis an. 1217. addicta fuit.

Lateranense quartum generale concilium ab undecima Novembris die an. 1215. ad ejusdem mensis tricesimam perduravit. Ediderat ipse quidem Papa septuaginta decreta quæ in eo lecta sunt; at ea tamquam universæ Ecclesiæ decreta spectari debent. Itaque fundamenti loco fuere disciplinæ quæ deinde servata est, ab ineunte scilicet decimo tertio sæculo; & sane sunt apud Canonistas magnopere celebrata. *Reg. Tom. XXVIII. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VII.*

Concilium Meledunense, an. 1216.

Cum Summus Pontifex Innocentius III. ad Petrum de Corbelio, Senonensem archiepiscopum, & ad ejus suffraganeos dedisset in Regem Philippum Augustum litteras, quem suspicabatur suppetias ferre Ludovico filio quem Papa excommunicatione perculerat, propterea quod, etsi pro Terra Sancta se cruce signasset, Joanni tamen Angliæ regi bellum inferret; hi præsules, an. 1216. Melodunum convenerunt, ut Papæ responsum darent, eodemque tempore constitutiones septem super disciplina ediderunt.

1. Advocati non admittentur ad ullam agendam causam quin se calumnia suis in disputationibus non usuros juraverint.

2. Qui ultra annum ac diem in excommunicatione perstiterint, quin se absolvendos curent, ad id a seculari potestate adigentur, quæ in eorum personas & bona manum injiciet.

3. Prior, nisi conventualis sit, plusquam solidos quadraginta, sine abbatis, aut, si abbas abest, episcopi venia, mutuari non poterit; secus, ei pœnæ futurus obnoxius, ut deponatur, nullumque amplius prioratum assequi possit, quoad eum provinciale concilium redintegraverit.

4. Quicumque Prior a Judæo quamlibet pecuniæ summam acceperit, eidem pœnæ subdetur.

5. Abbates, priores, aliique monasteriorum officiarii, quotannis, accepti in monasterio & expensi rationem capitulo, e scripto, reddent; & ut religiosi suæ domus statum cognoscant, habebunt ipsi harum rationum exemplum & Abbas alterum.

6. Abbas ultra summam quæ ei ab episcopo taxata fuerit, mutuari non poterit, quin ejus capitulum aut communitatis pars major annuat.

7. Abbates & religiosi deferent vestes & calceamenta quæ eorum statui respondeant, secus, ab episcopo puniendi. *Reg. Tom. XXVIII. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VI.*

Concilium Tolosanum, an. 1219.

Romanus, Cardinalis, diaconus Sancti Angeli, præfuit concilio huic, in eoque promulgavit constitutiones quatuor.

1. In prælatos, barones & cujuscumque generis dominos interdictio, suas ne terras hæreticis locent, hominumve hæreseos suspicione laborantium consilium sua in familia retineant.

2. Parochiani, nempe, dominus & domina cujusque domus, dominicis festisque diebus, Missam, sermonem totumque divinum officium audient, in pœnam mulctæ denariorum duodecim in capita; cujus mulctæ dimidia pars volvetur parœciæ domino, & parocho altera.

3. Iidem, singulis sabbatis, in B. Virginis honorem, sub vesperarum horam, ad pietatem compositi ecclesiam visitabunt.

4. Texitur festorum dierum qui præcepto subsunt, enumeratio, quos inter S. Sylvester, Rogationum dies tres, Inventio & Exaltatio Sanctæ Crucis, S. Nicolaus, ecclesiæ cujusque dedicatio, &c. recensentur. Martenne, *Collect. Tom. VII.* Mansi, *Concil. Supplem. Tom. II.*

Concilium Oxoniense, an. 1222.

Stephanus de Langtone, Cantuariensis archiepiscopus concilium hoc de Anglicanæ Ecclesiæ, & monasticæ potissimum disciplinæ reformationem habuit. In eo impostorem quemdam damnavit, qui se Christum dicebat, quique ad manus, ad pedes & ad latus, notas nescio quas cicatricibus plagarum Domini nostri similes ostendebat. Hujus concilii constitutiones in quadraginta novem capita sectæ sunt.

1. Caput excommunicatos declarat eos omnes qui Ecclesiæ injuriam irrogant, qui publicam pacem turbant, falsos testes, peculiariter in matrimonio & exhæredationis negotio, falsos accusatores, eos qui patronatus & possessionis beneficiorum susceptiones per injustas & dolosas oppositiones impedient, quique obstant, quominus Principis in excommunicatos mandata perficiantur.

2. Commendat episcopis, ut probos prudentesque eleemosynarios habeant; charitatem exerceant; pauperibus & faciles aures præbeant & jus reddant; confessiones audiant, suasque ipsi apud consultos circumspectosque confessarios edant; majoribus festis diebus & per Quadragesimam, in sua cathedrali ecclesia resideant, sibique fidei professionem quam in sua consecratione ediderunt, lectam velint.

3. Eos vetat ob beneficiorum collationem quicquam exigere, aut pati a suis officiariis aliquid exigi.

4. Eosdem prohibet differre ultra duos menses personis provisiones dare, quæ iis præsentantur, ut beneficia repleant.

5. Statuit, ut, si duæ personæ sint a duobus patronis præsentatæ, neutri provisiones, ad judicatam litem usque, episcopus tribuat.

6. Presbyteros jubet pie religioseque Missam celebrare & sacramenta administrare; recitare omnia & singula canonis verba; ablutionem non sumere, si rursus eadem die celebraturi sunt; pluries eodem die Missam non dicere. Dominici Natalis & Paschatis exceptis diebus, aut cum mortuus sepulturæ dandus est; tunc enim prima diei Missa dicetur, & pro defuncto altera.

7. Ecclesiasticos beneficiarios, aut qui in sacris ordinibus constituti sunt, vetat colonos, judices, præsides aut officiarios esse; pronuntiare aut dictare mortis sententias, aut ejusmodi judiciis adsistere. Prohibetur etiam sacris in locis, cujusmodi sunt ecclesia & cœmeterium, de hujus generis judiciis agi.

8. Festorum dierum catalogum continet, qui solemnes habendi, quique sunt omnes Dominicæ, dies quinque Natalis Domini, Circumcisio, Epiphania, omnia B. Virginis festa, excepta Conceptione, conversio Sancti Pauli, cathedra S. Petri, Apostolorum festa omnia, festum S. Gregorii, feria sexta majoris hebdomadæ, secunda, tertia & quarta feriæ hebdomadæ Paschatis, Ascensio, secunda, tertia & quarta feriæ hebdomadæ Pentecostes. S. Augustinus mense Majo, Crucis festa duo, Translatio S. Thomæ martyris, S. Joannis festa duo, sancta Margarita, sancta Maria Magdalena, S. Petrus ad vincula, S. Laurentius, S. Michael, S. Edmundus confessor, S. Edmundus, rex & martyr, sancta Catharina, S. Clemens, S. Nicolaus, dedicatio cujusque Ecclesiæ & Patroni. Numerantur

rantur etiam alia festa secundi ordinis quæ minore solemnitate servari debent, itemque nonnulla ordinis tertii, in quibus post Missam operi vacari potest. Exhibetur & index vigiliarum jejuniorumque.

9. Parochos jubet sæpe prædicare, ac de ægrotantibus visitandis sollicitos se præbere.

10. Mandat, ut in unaquaque ecclesia præsto sit argenteus calix cum necessariis vasibus cæteris, alba, altaris lintea, apta & congrua ornamenta, superpellicea ad usum ministrorum altaris; jubetque his rebus singulis archidiaconos invigilare.

11. Prohibet, ne, qui beneficium resignat, ejus vicariatum retineat.

12. Vetat beneficia dividi, ut personis pluribus de iisdem provideatur.

13. Ecclesiæ vicariatum tribui vetat homini qui residere, eique ipse per se deservire non vult.

14. In beneficiis residentiam præcipit.

15. Vicarii congruam portionem statuit.

16. In magnis parœciis, duos tresve presbyteros adesse vult.

17. Episcopo mandat, ut eum qui præsentatur ad beneficium, jurare jubeat se nihil præsentanti dedisse aut promisisse.

18. Præcipit, ut diœcesanus Episcopus in unoquoque archidiaconatu confessarios statuat pro decanis ruralibus & pro cæteris ecclesiasticis qui proprio episcopo confiteri nolunt. Mandat præterea, ut cathedralium ecclesiarum sæculares canonici confiteantur episcopo, vel decano, vel denique confessariis ab episcopo, decano, & capitulo concorditer institutis.

19. Matrimonialium causarum cognitionem decanis interdicit.

20. Vetat, ne quis ad suum servitium fures retineat.

21. Vetat, ne archidiaconi suis in visitationibus oneri ecclesiis sint.

22. Vetat, ne archidiaconatus, diaconatus, & alia mere spiritalia ejusmodi officia locentur; at, subdit canon, si qui sunt his officiis addicti redditus, hi quidem, superiore annuente, locari poterunt.

23. Archidiaconos jubet operam dare, ut Missæ canon integer correctusque sit; ut eum, itemque baptismi verba pronuntiare, quemadmodum oportet, presbyteri sciant; ut laici qui in necessitatis casu baptizare debent, sciant id facere saltem vulgari lingua.

24. Mandat, ut eucharistia, chrisma & sancta olea, clavibus appositis, custodiantur.

25. Ut archidiaconi recenseant ornamenta & bona ecclesiæ.

26. Ut invigilent, ne quis ecclesiæ bonis & juribus potiatur.

27. Archidiaconos, decanos eorumque officiarios vetat nova super ecclesiis superque presbyteris tributa creare.

28. Vetat episcopis eorumque ministris, ne sententias ferant quas non canonicæ monitiones præcesserint.

29. Nihil ob sepulturam & ob sacramentorum administrationem exigi vult.

30. Vetat archidiaconos & decanos impedire; ne lites componantur.

31. Eosdem prohibet quempiam adigere, ut se purget, si a probis viris accusatus non fuit, & in suis ipsorum causis judices esse.

32. & 33. Ecclesiasticis mandant, ut clericalem habitum deferant, clausas manicas, coronam brevesque capillos habeant, & ebriositatem evitent.

34. & 35. Eosdem vetat concubinas habere, ea indicta pœna, suis ut officiis & beneficiis priventur, Concubinis testamento nihil donabunt; quod si fecerint, eas donationes episcopus, prout ipse voluerit, in ecclesiæ emolumentum convertet.

36. & 37. Alienari prohibet Ecclesiæ bona, vel laicis in feudum dari.

38. & 39. Vetant, ne religiosæ serica vela ferant, ne aureas aut argenteas acus adhibeant, ne cingulis acu pictis utantur, ne vestes humi reptantes gestent, ne ob ingressum in religionem pecuniam exigant. Quod si ea monasteriorum paupertas sit, ut indumenta noviitiis necessaria parare nequeant, id unum exigent quo ad id opus erit.

40. Vetat, ne qua ecclesia locetur, nisi ab causam ab episcopo approbatam, & ei quidem quem ea bene usurum esse constiterit.

41. Ei qui in aliqua ecclesia beneficium curatum possidet, nullum in alia proventum, vel *gratiæ* titulo, præberi vult.

42. Mandat, ut advocati qui matrimonii validitatem impugnaverint, quod per judicis sententiam ratum declarabitur, a functionibus ad annum interdicantur, nisi eos judex per eamdem sententiam liberet.

43. Mandat, ut religiosi in commune vivant, in eodem dormitorio recubent, suum singuli lectum habeant, in eodem triclinio comedant, ne iis ex pecunia vestiarium detur, sed indumenta, prout opus fuerit, suppeditentur, ne quis inter religiosos ante ætatis annos octodecim recipiatur, nisi id citius fieri utilitas aut necessitas evidens suaserit.

44. Vetat, ne religiosæ, sine episcopi venia, alias personas quam quibus ad servitium indiguerint, intra monasterii septa recipiant. Easdem jubet temporibus locisque a regula notatis, silentium servare, nec egredi nisi æquis de causis, & antistita veniam dante. Quoad canonicos regulares & monachos idem præcipit.

45. Monachis mandat, ut in triclinio singularitatem evitent, & pauperibus dent quicquid e mensa reliqui est, quin id superior in alium usum conferre possit.

46. Religiosas vetat plures recipere quam monasterium pati possit, aliosque sibi confessarios quam ab Episcopo datos sumere. Vetantur etiam clerici & laici sine æquis causis ad puellarum monasteria ventitare.

47. Religiosos vetat testamentum facere, ullumve domesticum prædium conducere.

48. Religiosos & canonicos prohibet extra triclinium horasque præscriptas, bibere, nisi infirmi, suorumve prælatorum servitio addicti sint.

49. Mandat, ut religiosi, cum eos ad aliquod tempus extra monasterium remanere seu morbus seu alia justa & congrua causa coegerit, secum habeant seniorum aliquos qui eorum agendi rationem testari possint.

Ad extremum confirmat synodus quicquid a Lateranensi concilio quarto, sub Innocentio III. statutum fuit. *Reg. Tom. XXVIII. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VI. Anglic. Tom. I.*

Animadvertit Mansius Labbæum asserentem se dare Osoniensis concilii canones post Conciliorum e Regia typographia editionem, itemque post Anglicam a Spelmano concinnatam, unam tamen & unicam Regiæ typographiæ editionem sequi quæ mendis scatet, & in pluribus quidem locis ab Anglicana discrepat. Ex omnibus exemplis quæ profert in id Mansius, nos quidem priora duo tantum hoc loco exscribemus, quæ in prioribus canonibus duobus occurrunt. Legitur in primo canone, apud Labbeum: *Contra misericordiam.... oppositiones opponit*. Apud Spelmanum autem legitur; *Contra matrimonium .... exceptiones opponit*. Legitur in secundo canone, ex Labbæo quidem: *Ipsi etiam (episcopi) per confessarios discretos civitates proprias obeant.* Spermanus vero ita legit: *Ipsi per confessarios discretos cicatrices proprias adducant* (lege, obducant).

Monet præterea Mansius in Labbæana editione capita quædam existere quæ in Spelmaniana non extant, & alia comperiri in Spelmaniana, quæ in Labbæana desiderantur. Quæ porro desunt in Labbæana, sunt quatuor hæc. 1. Mandatur abbatibus, ut capellanum quotannis mutent. 2. Vetantur prælati vendere, aut gratuito concedere laicis vel clericis ullam super monasteriis pensionem, sine urgenti necessitate cui addita sit diœcesani Episcopi venia. 3. Judæis interdicitur, ne Christianos servos habeant. 4. Jubentur iidem utriusque sexus Judæis ferre pectori impositam laneam tæniam, latam pedes duos & longam quatuor, cujusque color ab eorum usitati habitus colore differat. Mansi, *Supplem. Concil. Tom. II.*

Concilium Moguntinum, an. 1225.

Cardinalem Conradum, Portuensem episcopum qui olim monachus & Abbas Cisterciensis fuerat, Honorius III. an. 1224. in Germaniam legatum misit, ut ad morum reformationem incumberet. Legatus hic die 9. Decembris an. 1225. Moguntiæ concilium habuit, in quo generales quasdam, in totius Germaniæ gratiam, constitutiones edidit; quod in causa fuit, ut illud *Concilium Germanicum*, seu, *Concilium in Allemania* nuncuparetur, quin locus in quo habitum fuerat, notaretur. Constat tamen e S. Engelberti, Coloniensis archiepiscopi & martyris vita, concilium hoc Moguntiæ habitum fuisse; in ea siquidem legitur expressis verbis, hujus sancti Martyris, recens vita spoliati corpus Moguntiam allatum fuisse, *ubi dominus Conradus, Portuensis episcopus & legatus, in Adventu Domini concilium celebravit. Lib. II. capit. 3. apud Surium, Tom. VI.* Cur ergo auctores plures concilium hoc Coloniæ habitum putant? Cur illud regiæ Conciliorum

editio

editio *Coloniense concilium* nominat? Quia nimirum in Collectione Statutorum Coloniensis Ecclesiæ primus ei locus tribuitur. Ut ut res habeat, adidit concilium hoc constitutiones quatuordecim quæ sequuntur.

Priores tres damnant ad canonicas pœnas clericos quibus concubinæ sunt.

4. Ecclesiasticos judices vetant ullam excommunicationis sententiam quam non canonicæ monitiones præcesserint, pronuntiare.

5. Legata bonorum Ecclesiæ, a clericis in suorum naturalium filiorum, suarumve concubinarum gratiam edita, nulla declarat.

6. Clericos qui, licet a suis præsulibus excommunicati aut suspensi sint, suas tamen functiones obire pergunt, ab officiis & beneficiis, sine redintegrationis spe, depositos vult.

7. Eos qui, excommunicatis denuntiatis adstantibus, celebraverint, excommunicatos declarat.

8. Episcopos jubet proximis Episcopis eos denuntiare quos ipsi excommunicatione perculerint, ut eos evitent & evitandos curent; mandatque, ut, si eorum quispiam scienter cum iis communicaverint quos ejus confratres excommunicationi subdiderint, cathedralis ecclesiæ canonici se ab ejus communione separent, quoad is huic constitutioni parere distulerit.

9. Anathema in patronos pronuntiat qui beneficia ad eorum præsentationem spectantia conferentes, decimarum aut ecclesiasticorum redditnum partem sibi retinuerint.

10. Eos quibus, hac conditione, de beneficiis in patronatu positis provisum fuerit, suorum officiorum & beneficiorum jacturam subire vult, quin ad eadem redire possint, nisi iis præsto sit apostolicæ sedis dispensatio.

11. Ea indicta pœna, ut institutionis & collationis jure priventur, episcopos & archidiaconos prohibet eorum quempiam admittere quos iis patroni ad curata beneficia præsentant, quin eos jurare jubeant simoniæ nihil se perpetrasse.

12. In ecclesiis presbyteros ad servitium mercede conductos poni vetat; vicariosque, quibus in ecclesiis esse debent, perpetuos fore jubet, iisdemqua tribui ex ecclesiæ bonis redditnum satis, ut episcopi & archidiaconi jura solvant, suæque ipsorum congruæ sustentationi consulant.

13. Suspenditur per hanc constitutionem ab officio, si clericus fuerit, & a communione, si laicus, quicunque virgines Deo consecratas ad crimen sollicitaverint; quique cum iis crimen admiserint, excommunicati *ipso facto* declarantur. Religiosæ vero aut canonicissæ errato aliquo obstrictæ impares erunt cuivis officio, & in monasterio ad locum ultimum redigentur.

14. E sanctæ sedi obedientiæ virtute, indictaque excommunicationis pœna, archiepiscopis, episcopis, archidiaconis & decanis mandat, ut suis in conciliis has constitutiones quotannis edicant, & servandas curent, punitis transgressoribus. Abbatibus aliisque monasteriorum superioribus idem præcipit. *Reg. Tom. XXVIII. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VII.*

Concilium Scoticum, an. 1225.

Honorius Papa III. per bullam XIV. Kalendas Junias, hoc est, Maji die 19. datam hoc totius Scotiæ provinciale concilium indixit. In eo editi canones octoginta quatuor qui Scoticæ Ecclesiæ generalia statuta conficiunt.

1. Convenient quotannis episcopi, abbates & priores omnes & singuli ad provinciæ concilium, ea in negligentes statuta pœna, ut ab eo ipso concilio puniantur, ea die quotannis habendo, quam concilii conservator indixerit.

2. Mandatur, ut Episcopi, e suo ipsorum cœtu, concilii conservatorem deligant, cui id erit officii, ut postremi concilii statuta servanda curet, Ecclesiæque censuris refractarios puniat.

3. Omnes ad unum præsules, magni, parvi, catholicæ fidei addicti erunt, eamque inferioribus tradent.

4. E forma verbisque præscriptis in sacris litteris & a sanctis Patribus, sacramenta administrabuntur.

5. Consecrabuntur ecclesiæ, & opera dabitur, ut iis ornamenta, libri & vasa congrua præsto sint.

6. Non extruetur ecclesia vel oratorium sine diœcesani Episcopi venia qua ipsa ad divinum in ecclesiis jam erectis peragendum officium opus erit.

7. Exquirent Episcopi, in sua quisque diœcesi, qua tandem auctoritate ecclesiæ seu capellæ quæ ibidem sunt, ædificatæ fuerint, quasque e regula non compererint, interdicent.

8. Extra ecclesiam & privatis in locis, sine Episcopi venia, sacrum non fiet.

9. Unicuique parœciæ suus erit pastor, ejusve vicarius, bonis moribus agendique integra ratione vir qui sancti ministerii functiones obeat.

10. Vicariis satis dabitur, ut sibi congruam sustentationem comparent.

11. Omnium ecclesiasticorum vestes dignitati ac modestiæ respondebunt; non breviores erunt, quam par est, non rubræ, non virides, non versicolores, non apertæ, sed clausæ. Congruam iidem coronam deferent.

12. Beneficio privabitur intrusus quisque, & pro ordinarii arbitratu punietur.

13. In quaque parœcia domus erit ecclesiæ proxima quæ episcopo & archidiacono recipiendis sit.

14. Nec ecclesiis, nec vicariis novi census imponentur.

15. Nullus Episcopus quempiam qui ex aliena diœcesi sit, ordinabit, quin ejus diœceseos Episcopus annuat. Ignoti aut exteri clerici qui, sine episcopi, officialis aut archidiaconi litteris, id sibi sumpserint, ut in ecclesiis aut capellis ecclesiasticas aliquas functiones obeant, ipso facto suspensi erunt.

16. Sapientes prudentesque confessarios in decanatibus Episcopi instituent, in vicariorum inferiorumque clericorum gratiam qui decanis confiteri noluerint.

17. Laicis nunquam locabuntur ecclesiæ; ac ne ecclesiasticis quidem, nisi ad annos omnino quinque dabuntur.

18. Omnes, præsertim vero in sacris ordinibus constituti clerici qui publice concubinas in suis vel alienis domibus retinent ab officio & beneficio, nisi eas intra mensem dimiserint, suspensi erunt.

19. ~~Nec~~ parochi nec vicarii suarum ecclesiarum bona alienare poterunt.

20. Nec magis poterunt suarum ecclesiarum decimas aliosque proventus suis consanguineis ad perpetuum usum concedere.

21. Neque vero decimarum aliorumve proventuum ad ipsorum ecclesias spectantium venditionem, obligationem aut alienationem poterunt, anno ante quam elapsi sint, antevertere.

22. Religiosi & clerici qui, contra divini humanique juris interdictionem, se laicorum sæcularibus negotiis administrandis miscuerint, ecclesiasticis functionibus privabuntur.

23. Beneficiarii nec domos nec alia bona suis concubinis suisve filiis ement, iisdemque nihil testamento relinquent.

24. Religiosi quibus id privilegii est, ut interdictas ecclesias in quibus divinum officium celebrent, semel aperiri jubeant, in eas excommunicatos denuntiatos non admitient; nec magis iisdem ecclesiasticam sepulturam concedent.

25. Religiosi testamentarii executores esse non poterunt.

26. Suas immunitates tuebuntur ecclesiæ quoad asyli jus.

27. & 28. Clerici nihil agent, ut a justitiæ manibus eos e suis abstrahant, qui ei traditi fuerint tamquam fures, homicidæ, &c., sine Episcopi, archidiaconi aut decani mandato. Suorum tamen fontium clericorum defensionem ecclesia suscipiet, quoad eos ipsa gradu dejecerit, prout res postulabit.

29. Dominicis & solemnibus diebus, in ecclesiis, in cœmeteriis, in aliis quibusvis Deo sacris locis ad causas tribunalia non patebunt.

30. Ecclesiarum libertatibus seu immunitatibus suum robur omne servabitur.

31. Crucis vexillum ad sacrum bellum sequentibus ecclesia patrocinabitur, quoad eos crimina haud ejusdem patrocinio indignos reddiderint.

32. & 33. Nulla super Ecclesiæ terris captura fiet; & clerici quibus mutuæ, seu reales seu personales lites erunt, eas apud ecclesiasticos, non autem apud laicos judices diriment.

34. 42. Decimæ & primitiæ solventur de iis rebus omnibus, quæ, ex usu, huic juri subsunt, cujusmodi sunt triticum, fœnum, linum, lana, lac, caseus, ova, animalium fœtus, arborum fructus, &c.

43. Excommunicatione plectuntur ecclesiarum advocati, aliique omnes laici qui ecclesiasticos turbant, impediuntque, ne de suis decimis libere statuant.

44. 45. & 46. Qui decimas surripiunt, quique in episcoporum personam conspirant, excommunicationi subduntur.

47. Clerici qui suorum archidiaconorum, suorumve decanorum jussa violaverint, a suis officiis suspendentur, atque etiam gravius, pro contumaciæ ratione, punientur.

48. Stipem quæritantes non sinentur nisi semel in anno per eamdem ecclesiam concursare.

49. Qui

49. Qui Ecclesiæ libertates susque deque vertunt, eorumque fautores communione privantur.

50. & 51. Mandatur, ut quater in anno, dominicis nempe diebus quatuor proxime quatuor tempora præcedentibus, in omnibus ecclesiis excommunicatione plectantur malefici, venenarii, incendiarii, falsarii, usurarii, qui ecclesiarum fores frangunt, qui legitimorum testamentorum executionem impediunt, qui regis aut regni pacem turbant, &c.

52. Qui ab Episcopo excommunicatus fuerit, denuntiabitur excommunicatus a cæteris, interdictumque in excommunicati terris edicetur.

53. Si Episcopus peccat cum sua spiritali filia, pœnitentiam aget per annos quindecim; si presbyter, per annos duodecim; & puella, quoad vixerit, in monasterio detinebitur.

54. Ecclesiastici superiores prohibiti sententias excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, ad laicorum sollicitationem, tollere.

55. Verba formæ baptismatis distincte & perattente pronuntiabuntur, monebuntque presbyteri identidem populos posse eos atque adeo debere, in necessitatis casu, seu latine seu anglice baptizare. Si alii desint, & necessitas urgeat, patres & matres suos proprios filios, salvis matrimonii juribus, baptizabunt. Baptismales fontes, sanctum chrisma, sancta olea & eucharistia, clavibus appositis, custodientur. Baptisterium lapideum aut ligneum erit, aliisque usibus non inserviet. Aqua quæ ad infantem domi baptizandum usui fuerit, igni dabitur, aut ecclesiæ baptisterio inferetur; & vas in quo baptisma collatum fuerit, comburetur, aut ecclesiæ deserviet. Pueri quorum dubius baptismus est, baptizabuntur hac forma; *Non te rebaptizo; sed si non es baptizatus, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.* Domi baptizati pueri deferentur ad ecclesiam, ut baptismi cæremonias presbyter suppleat. Adhibebuntur ad ecclesiæ usus baptizatorum infantium vela, ecclesiæ vero ornamenta profanis usibus nunquam inservient.

56. Adulti, antequam confirmationem suscipiant, confitebuntur, & sæpe laici monebuntur ex confirmationis sacramento eamdem atque ex baptismi sacramento spiritalem affinitatem derivari; scilicet affinitatem quam patrini & matrinæ cum confirmato, & cum confirmati patre & matre contrahunt. Hæc affinitatis species non amplius subsistit, ex quo desitum est patrinos & matrinas pueris dari qui confirmantur.

57. Sedulo animum referet confessarius ad personarum statum, ad peccatorum numerum, qualitatem & adjuncta cætera, ut congruam pœnitentiam imponat. Oculis modeste demissis, parique patientia ac suavitate & charitate, pœnitentium confessiones audiet; eos interrogans ad rem, adducensque, ut ipsi se de suis omnibus peccatis accusent. Non quæret, quæ nomina sint eorum sociis qui se accusant, & diligentissime cavebit, ne qua prorsus ratione eorum confessiones revelet.

58. Hostiæ consecratæ in aptissima pixide custodientur, easque sacerdos dominicis diebus singulis renovabit, eas ipse absumens, statim ac Domini Nostri corpus sumpserit, & antequam pretiosum Sanguinem sumat, seu cuipiam qui in gratiæ statu versetur, consumendas dabit. Hostia ad consecrationem designata e puro tritico erit, integra & rotunda. Aquæ non nihil in calice vino miscebitur; distincteque & sine præcipitatione officia recitabuntur.

59. Suo presbyter ori consecratam hostiam non apponet, pacem tribuens, eamque ante consecrationem non elevabit.

60. Sanctum viaticum presbyter in aptissima pixide ad ægrotos deferet, stola & superpelliceo indutus, facibus & tintinnabulo præeuntibus, ut ad pietatem populus excitetur. Deferet etiam argenteum aut stamneum vas in quo suorum digitorum ablutionem peraget quam ægroto, postquam ei communionem præbuerit, sumendam dabit.

61. Suos parochianos monebunt pastores extremam unctionem ægrotantibus conferri posse, qui annos quatuordecim nati sunt; posse etiam hoc sacramentum in periculosis morbis omnibus iterari; eoque suscepto, conjugatos qui pristinam valetudinem recuperaverint, licite, sibi debitum conjugale reddere posse, nihilque non, ut antea, facere.

Omnis adultus baptizatus qui rationis usu pollet, est sacramenti extremæ unctionis capax, quia peccare potest, &, quod inde consequitur, præcipuum extremæ unctionis effectum percipere, qui in eo est positus, ut peccata, seu peccatorum reliquiæ remittantur. Non ergo mirum est concilium statuere extremæ unctionis Sacramentum ægrotantibus, decimum quartum ætatis annum agentibus administrari posse. Cætera porro ejus monita necessaria erant, ut anteverterentur aut sanarentur populi superstitiones qui sibi in animum inducebat credere, extrema unctione suscepta, non amplius licere conjugale debitum reddi, aut carnem comedi, aut incedi nudis pedibus, &c.

62. Clerici vivent e continentiæ & sobrietatis legibus, negotiatione & in cauponas ingressu abstinebunt, coronam & tonsuram suo ipsorum statui consentaneas deferent, & ita se gerent in rebus omnibus ut aliis ædificationi sint. Presbyteri qui advocatorum officio fungentur, non nisi suas proprias, aut pauperum causas apud sæcularia tribunalia agere poterunt. Ecclesiæ cuique argenteus calix, & cætera vasa omnia, lintea, ornamenta, libri necessarii præsto erunt. Fiet quotannis novus paschalis cereus; & veteris cera reliqua Ecclesiæ usibus tantum inserviet.

63. Parochus moriens domestica utensilia, itemque libros & ecclesiasticas vestes successori relinquet.

64. Non imponentur novi census ecclesiis, nec veteres augebuntur.

65. Matrimonium contrahi non poterit nisi coram parocho, tribusque aut quatuor testibus fide dignis, in id accitis; nullusque presbyter nisi post solemnes in ecclesia enuntiationes tres matrimonia celebrabit.

66. Ecclesiis sua asyli jura servabuntur.

67. In ecclesiis aut cœmeteriis nec choreæ, nec indigni ludi, nec ad lites tribunalia tolerabuntur. Neque vero sinentur animalia ingredi in cœmeteria quæ proinde sedulo circum undique concludentur.

68. Excommunicatione plectentur quotannis, in singulis diœcesibus, venefici, incendiarii, &c.

69. Decimæ solventur e rebus omnibus quæ quotannis renovantur, cujusmodi sunt grana, fructus, &c.

70. Dicentur in Missis singulis collectæ quinque, præter quam in festis duplicibus & supra.

71. & 72. Testantes ægrotos adducet parochus, ut meminerint fabricæ cathedralis ecclesiæ a qua cæteræ salutis documenta percipiunt. Leprosi quoque permovebuntur, at nulla illata vi, suis ut parœciis benefici sint.

73. Perjuri, in matrimoniali causa, mittentur ad episcopum a quo pro merito pœnitentiam accipiant.

74. In mortuorum exequiis choreæ non agentur.

75. In ecclesiis aut cœmeteriis nullus erit ludis aut luctis locus.

76. In presbyteros interdictio, ne Paschatis die communionem iis negent, qui prius ad altare nihil obtulerint.

77. Excommunicationi subdentur domini qui subditos impedient, ne a parochis decimas emant.

78. Non locabuntur ecclesiarum bona, nisi episcopo aut archidiacono consentientibus; transactæque locationis extabunt exempla plura quorum unum apud episcopum aut archidiaconum remanebit.

79. Qui ad parœcias nominati fuerint, majores ordines, quam citissime fieri poterit, suscipient; quique parœciam obtinet, ei deserviet ipse per se, nisi vicarius canonice institutus ibidem adsit. Qui vero, per dispensationem, tenent parœcias plures, earum uni deservient ipsi, perpetuosque vicarios in cæteris statuent.

80. Vetantur laici, sub excommunicationis pœna, in ecclesiis aut cœmeteriis pro tribunali sedere. Vetantur iidem etiam, sub eadem pœna, sibi in ecclesia cum clero locum, altari proximum, sumere exceptis rege & regni proceribus quibus id veniæ conceditur.

81. Excommunicationis indicta pœna, interdictio, ne clericorum concubinæ ad aquam benedictam, vel ad pacis osculum, vel ad aliam communionem, quæcunque fuerit, in ecclesia cum fidelibus admittantur.

82. Nemo matrimonium contrahet, quin adsint testes fide digni, & quin in utraque contrahentium parœcia, siquidem ex aliis parœciis sunt, matrimoniales enuntiationes solemnem in modum ter editæ fuerint.

83. Prohibetur veneficia fieri, & ægrotantibus remedia tribui, cum medicinæ ars ignoratur.

84. Non suscipiet regendam parœciam presbyter, quin in animo habeat ibidem morari saltem ad annum; quique ad parœciæ regimen suscepti fuerint, illud sine congruis causis ab archidiacono approbatis abdicare non poterunt. *Anglic. Tom. I.* & Mansi, *Supplem. Concil. Tom. II.*

Concilium Narbonense, an. 1227.

Petrus, Narbonensis archiepiscopus, an. 1227. suæ provinciæ congregatis episcopis, habuit concilium hoc quod canones seu statuta viginti sanxit.

1. Accipitur Ludovici VIII. Galliarum regis lex, an. 1226.

an. 1226. e Romani cardinalis & sanctæ Sedis legati consilio, Apamiis, lata quæ eos ad mulctam damnat qui ter moniti se communione privari passi fuerint; mandatque, ut omnia eorum bona, qui ultra annum in excommunicatione perstiterint, sequestro mandentur.

c. 3. & 4. In Judæos interdictio, ne immodicis usuris Christianos opprimant; ne apud se christianos servos, aut christianas nutrices habeant; ne carnem publice comedant, aut vendant, quibus diebus ejus usum Ecclesia prohibet. Super pectore notam gerent per quam dignoscantur. Festis & dominicis diebus operi publice non vacabunt, perque totam hebdomadam sanctam, absque necessitate, domo non egredientur. Solvent, annis singulis, die Paschatis, in oblationis modum, parochiali ecclesiæ denarios sex.

5. Testamenta coram parocho & catholicis personis fient.

6. Perjuri falsique testes declarantur infames.

7. Scribent confessarii suorum pœnitentium nomina; qui vero, a quatuordecim annorum ætate, quotannis, ad confessionem non ibunt, privabuntur, quoad vixerint, Ecclesiæ aditu; cumque supremum diem obierint, ecclesiastica sepultura. In publico loco, non seorsim clamque, confessiones edendæ sunt.

8. Dominicis diebus singulis, in publicos usurarios, in incestuosos, in concubinarios, in adulteros, in expilatores, in eosque qui testamentorum executionem impediunt, excommunicatio pronuntiabitur.

9. Congrua sufficiensque portio presbyteris dabitur, qui ecclesiis deserviunt.

10. In religiosis domibus haud pauciores aderunt quam tres monachi tresve canonici.

11. Monachi, canonici regulares, presbyteri sæculares ipsi non peragent advocati munia, nisi in suarum ecclesiarum aut pauperum causis, & quidem superioribus annuentibus.

12. Clerici in regium vectigal non referentur.

13. Nova portoria non imponentur.

14. Episcopi in quaque parœcia statuent hæreseon aliorumque publicorum criminum inquisitores qui hæc iisdem denuntient.

15. Domini, præsides, judices ei legi suberunt, ut hæreticos eosque a quibus celantur, expellant.

16. Hæretici quique jure de hæresi suspecti fuerint, publicis muneribus privabuntur.

17. Mandatur, ut, dominicis festis diebus singulis, in quaque parœcia, denuntientur excommunicati, Raymundus, Tolosani Comitis filius, comes Fuxensis, & vicecomes Biterrensis, omnesque eorumdem fautores, defensores & receptores.

18. Quicunque beneficia cum animarum cura possident, ad sacerdotium promovebuntur.

19. Eos qui eleemosynas quæritant, parochi suis in parœciis prædicare non sinent; at ii suas solum litteras, ut in Lateranensi concilio quarto statuitur, ibidem legent.

20. Celebrabitur S. Matthiæ festum, anno bissextili, duorum bissextilium dierum altero, nempe die 25. mensis. Septembris quatuor Tempora servabuntur tertiæ hebdomadæ feria quarta; & quotannis, die dominica, *Lætare* dicta, provinciale concilium celebrabitur, *Lab. Tom. XI, Hard. Tom. VII.*

Concilium Tolosanum, an. 1229.

Raymundum juniorem, Tolosæ comitem, pace cum rege S. Ludovico inita, suas in ditiones regressum Romanus, cardinalis titulo Sancti Angeli, sanctæ Sedis legatus, ut hæresin in ea regione de medio funditus tolleret, secutus, concilium, eo animo, Tolosæ habuit, quod, an. 1229. mense Julio inchoatum, Novembris mense absolutum fuit; cui archiepiscopi Narbonensis, Burdigalensis, Ausciensis, cum earum provinciarum episcopis pluribus, Tolosæ comitibus, baronibus aliisque indigenis dominis interfuere. Processit in eo legatus contra hæreticos quosdam quorum aliquos resipiscentes in gratiam recepit; edidit que statuta quadraginta quinque.

Hæreticos impetunt priora septem. In iis episcopi & abbates jubentur, in quaque suæ jurisdictionis parœcia, presbyterum, laicosque duos tresve statuere qui hæreticos inquirant, detectosque ad episcopum, dominos, eorumve præsides statim deferant.

8. Ne innocentes cum reis confundantur, nemo punietur tamquam hæreticus, quin talis a loci episcopo, vel ecclesiasticorum alio penes quem id juris sit, judicatus fuerit.

5. Dominis eorumque ministris ea facultas conceditur, ut in alienis terris hæreticos capiant.

10. & 11. Hæretici qui libere ad catholicam fidem redierint, in vicis in quibus erant, siquidem loca hæreseos suspicione laborant, non remanebunt, sed in alias regiones catholicas, extraque suspicionem positas transferentur. Duas super vestibus cruces deferent, iisque suæ reconciliationis testimonium, episcopi manu firmatum suppetet. Non amplius ad publica obeunda munera, vel ad acta edenda suscipientur, quin eos rursus Papa ejusve legatus idoneos reddiderint. Ii porro quos mortis timor, aut alia ejusmodi causa ad fidem redegerit, in muratum locum, ne alios inficere possint, concludentur.

12. Omnes ad unum homines, ab ætatis anno decimo quarto, omnes prorsus hæreses abjurabunt, Romanæque Ecclesiæ fidem profitebuntur, se denique nullum non hæreticum persecuturos recipient.

13. Omnes adulti proprio presbytero confitebuntur & communicabunt ter in anno, scilicet in Natali Domini, in Paschate & in Pentecoste, nisi presbyter æqua de causa expedire censuerit, ut a communione ad statum tempus abstineant. Si quis vero sine presbyteri sententia ab hac abstinuerit, hæreseos suspicione suberit.

14. Veteris & novi Testamenti libros laici habere prohibentur, psalterio tantum, seu breviario, & B. Virginis horis exceptis; eaque lege, ut iis ne hos quidem postremos libros in vulgarem linguam conversos habere liceat.

Interdictio hæc fuerit, oportet, abusu nixa, in quem tum sacri codices vulgari sermone redditi trahebantur in iis provinciis, ubi hæretici numero plures aderant qui sibi sumebant, ut dogmata disseminarent, & sacram Scripturam pro suo ipsorum arbitratu explicarent.

15. Qui hæreseos suspicione laborant, medici officio non fungentur, nec sinentur ad ægrotantes, postquam viaticum susceperunt, accedere.

16. Parochus, ac, si is desit, ecclesiasticorum alius, præsentibus bonæ famæ aliquibus viris, testamenta recipient.

17. In Episcopos & barones interdictio, ne munera quæ ab ipsis pendent, hæreticis conferant, sibique domesticos aut consiliarios habeant qui de hæresi suspecti sint.

18. Eos in prava existimatione esse declaratur qui notorie diffamati sunt, aut in quos probi viri apud loci episcopum testimonium reddunt.

19. Sua ecclesiis & religiosis domibus privilegia servantur; & integra decimarum solutio præcipitur.

20. & 21. Regio vectigali non subdentur clerici, nisi mercatores aut conjugati sint; nec magis iisdem portoria aut nova jura imponentur; idemque servabitur quoad religiosos, peregrinos & milites, dummodo mercaturæ omnino se non immisceant.

22. Qui portoria recipiunt, vias custodient, & furtorum quæ a solis occasu ad ejusdem ortum contigerint, rationem reddent.

23. In laicos interdictio, ne regio vectigali subdant ecclesiarum aut ecclesiasticorum famulos, nisi teneant sua ipsi bona.

24. Si quis clericum in carcerem conjecerit, etiamsi non nisi tonsuram haberet, episcopus de re monebitur; eumque jubebitur laicus judex ecclesiasticis judicibus rursus in manus tradere; qui si renuerit, denuntiabitur excommunicatus, & a suo ipsius domino cogetur eumdem reddere.

25. Parochiani, & nominatim cujusque domus domini dominæque, dominicis festisque præceptis diebus ad ecclesiam convenient; ibi concionem divinumque, quam late patet, officium audient, ex eaque, non nisi absoluta Missa, pedem efferent. Si qua legitima causa, cur absit, alterutri fuerit, alterum saltem adesse necesse erit; sin ambo sine infirmitatis aliave satis gravi causa abfuerint, solvent uterque turonenses denarios duodecim, quorum pars una ad loci dominum, ad parochum & ad ecclesiam altera pertinebit. Commendatur etiam, ut ecclesiæ, die sabbati, sub vesperarum officium, non sine pietatis significatione, in honorem B. Mariæ Virginis, visitentur.

26. & 27. Fit festorum dierum recensio, mandaturque parochis, ut eos dominicis diebus singulis, inter Missarum solemnia, annuntient.

Sequentes canones ad 43. usque super pacis incolumitate, superque fœderum & conspirationum quibus *confraternitatum* nomen obducebatur, interdictione versantur.

43. & 44. Judices jus gratis reddent, suisque in judiciis nec favorem, nec partium studium, nec metum consulent. Pro pauperibus advocatos dabunt.

45. Parochi quater in anno decreta hæc concredito sibi populo legent.

Spectari possunt hæ Tolosani concilii constitutiones tamquam extensio & commentarium articulorum decem qui conficiebant statutorum corpus quæ rex S. Ludovicus Aprili mense ejusdem anni 1229. *Gallicanarum Liber.*

Libertatum nomine, ediderat, nomine, inquam, tum primum adhibito, *Libertatum canonicarum* vocabuli loco, quod ad illud usque tempus in more positum fuerat, ut canonum liber usus designaretur, & ita quidem palam fieret, cum canonum auctoritas in cæteris regnis remissa esset, in Gallia, tamquam proprium bonum, aliquam canonicæ libertatis portionem servari. Ita suam mentem aperit Petrus de Marca, *Lib. III. de Concordia, cap.* 1. *n.* 7. *& seq. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VII.*

Concilium Castro-Gontheriense, seu, *apud Castrum Gontherii, an.* 1231.

Franciscus Cassardius, archiepiscopus Turonensis, concilium hoc una cum suæ provinciæ episcopis habuit, in eoque decreta triginta septem ad disciplinæ restitutionem edidit.

1. Mandatur episcopis, ut, nulla interjecta mora, & quin ullus excusationi locus sit, eos separent qui clandestina matrimonia contraxerunt.

2. Archipresbyteris decanisque ruralibus interdicitur, ne de matrimonialibus causis cognoscant.

3. Parochi in aliqua ecclesia institutio digeritur in hunc modum. Patronus ecclesiasticus aut laicus archidiacono seu decano rurali, ac deinde episcopo, sive qui episcopale jus obtinet, eum præsentabit quem intra tempus a lege præscriptum elegerit, præsentatus jurare jubebitur se nihil, ejus beneficii gratia, dedisse aut promisisse, nec scire quicpiam, suo nomine, a quopiam promissum aut datum esse; tandem episcopus, aut qui episcopali jure gaudet, ei conferet animarum curam, ea lege, ut is suo se episcopo obsecuturum, suæ ecclesiæ jura defensurum, alienataque bona reducturum jurejurando recipiat.

4. Clericos beneficia possidentes quæ animarum curam adjunctam habent, adigent episcopi, iis ut ipsi per se deserviant, nisi causas evidenter rationi consonas sibi subesse putent, cur hac in re cum eorum nonnullis dispensent.

5. Cum aliqua ecclesia locabitur, reservabitur e redditibus ad capellani sustentationem satis.

6. Canonicatuum in unoquoque capitulo numerus statuetur, ne qua præbenda secetur in partes, sed tota, quanta est, uni eidemque personæ detur.

7. Non amplius ad præbendam quæ prima vacaverit, in cathedralibus ecclesiis, provisio conferetur.

8. Referentur in scripta cathedralium ecclesiarum consuetudines.

9. Qui cum excommunicatis communicant, Ecclesiæ aditu privabuntur, nisi se corrigant, postquam moniti fuerint.

10. Ordinarii & delegati a ferendis generalibus excommunicationibus abstinebunt.

11. Se laicorum tributarios ecclesiastici non reddent, ea indicta pœna, ut suis ab officiis & beneficiis suspensi sint.

12. Archidiaconi, archipresbyteri aliique qui ecclesiastica jurisdictione gaudent, nullum officialem extra urbes habebunt, & ipsi per se suis functionibus facient satis.

13. Prælati aliique quibus jurisdictio est, procurationis jus ex pecunia non accipient, prout in generali quodam Lateranensi concilio statutum fuit.

14. In prælatos interdictio, ne a locatariis, in ipsa ecclesiarum locatione, pecuniam exigant.

15. Patroni qui ineptos præsentant, hac ipsa vice suo præsentandi jure privabuntur.

16. Curata beneficia iis tantum conferentur qui vernaculam linguam callent.

17. Interdictum tutelas vendi.

18. Nullus presbyter admittetur ad sua obeunda munia sine proprii episcopi venia, nisi aliunde constet eum canonice ordinatum fuisse.

19. In laicos interdictio, ne suas actiones ecclesiasticis vendant, ut sæcularis judicis tribunal frustrentur, nisi in casibus a jure concessis.

20. Ecclesiastici, in aliquo enormi crimine deprehensi, remittentur in episcopi manus, qui eos gradu spoliabit, siquidem criminis hac pœna digni convicti fuerint, aut se ipsi accusaverint. Eos, nisi deinde resipuerint, Ecclesia non amplius defendet.

21. Radentur clerici depravati, ita quidem, ut clericalis tonsura non amplius appareat.

22. Sacræ militiæ adscriptos, enormium criminum reos, suis privilegiis excidisse judex ecclesiasticus declarabit; ac, si crimina patrare pergunt, a sæculari judice punientur.

23. Damnatur procerum tyrannis, qui perficiunt, ut vilis conditionis homines ecclesiasticorum bona diripiant.

24. Monachi silentium servabunt, nec loquentur nisi per signa quæ abbas curabit, ut ab iis percipiantur. Singulorum indumenta uniformia erunt, eorumque regulæ consentanea.

25. Junioribus clericis qui nondum ætatis annos quindecim attigerunt, non alii prioratus quam conventuales tribuentur.

26. Monachi nihil habebunt proprietatis titulo, vel cum abbatis venia quæ in hac facti specie nulla est.

27. Monachi & religiosi cæteri servabunt a carne abstinentiam quam regula præscribit.

28. Rus non petet abbas, quin monachum comitem, nec monachus, quin famulum secum habeat.

29. Omnino solus in prioratu monachus non ponetur; at fiet e duobus prioratibus unus tantum, in quo aderunt monachi duo qui officium peragent quod a duobus pro patronis peragebatur.

30. Anathema in usurarios, dominicis diebus singulis, pronuntiabitur; quique hujus criminis suspicioni subsunt, adigentur, ut se purgent, eique publice nuntium remittant.

31. 32. & 33. Interdicitur, ne quod publicum munus Judæis conferatur. Mandatur, ut iidem impediantur, ne quid in christianæ religionis contemptum aut dicant aut faciant; ipsique in Christianos ferendi testimonii jure privantur.

34. Interdictio, sub excommunicationis pœna, ne matrimonium contrahatur, nisi postquam enuntiationes consuetum in modum editæ fuerint. Poterunt tamen futuri contrahentes inter se convenire, sibique matrimonii in sanctæ Ecclesiæ facie contrahendi arrhas dare.

35. Jusjurandum præstabunt judices se dona non accepturos, & e justitiæ legibus judicaturos.

36. Jurabunt advocati se malas causas non defensuros, fraude, mendacio, alienæ famæ obtrectatione, calumnia non usuros, bona fide suas partes, quam citissime poterunt, expedituros, nec ab iis falsos testes produci passuros.

37. Constitutiones in concilio Lavallii habito editæ confirmantur. *Ibid.*

Concilium Biterrense, an. 1233.

Gualterius de Marvisio, Tornacensis episcopus & sanctæ Sedis legatus habuit concilium hoc, in eoque edidit viginti septem decreta hæc.

1. Hæretici eorumque fautores, dominicis diebus singulis, excommunicationi subdeutur.

2. Poterit ubique quisque hæreticum sistere episcopo præsentandum.

3. Hæreticorum fautores præfecturas emere non poterunt.

4. Hæretici ad Ecclesiam reversi qui cruces duas ex episcopi mandato ferre noluerint, excipientur tamquam hæretici, eorumque bona proscribentur.

5. Toletani concilii in hæreticos, in eosque decreta, qui divino officio non adfuerint, presbyteri accurate servabunt.

6. Expendetur eorum ingenium & mores qui ad sacros ordines elevantur; nec ad eos admittetur quispiam cui non turonensium solidorum centum patrimonialis titulus sit.

7. Iis tantum tonsura dabitur qui legere & canere sciunt, quique sunt liberarum personarum filii & in legitimo matrimonio nati, nisi loci episcopus æquis de causis dispensationem tribuat.

8. In episcopos interdictio, ne, quos ordinant, jurare cogant se nihil molestiæ vel iis vel eorum successoribus allaturos, occasione patrimonialis tituli quem afferunt, ut ordines suscipiant.

9. Operam dabunt episcopi, ut archidiaconos nominent qui de religione solliciti, edocendoque clero & populo idonei sint.

10. Generalis Lateranensis concilii quarti in eos qui excommunicationes injuste pronuntiant, constitutiones legentur.

11. Patroni, tam ecclesiastici quam laici parochos aut vicarios perpetuos qui idonei bonisque moribus sint, ante omnium Sanctorum festum diem, episcopis præsentabunt, iis designata portione congrua super ecclesiarum redditibus, quibus addicti erunt.

12. Qui beneficia possident quibus animarum cura est, adigentur, per redditum quos percipiunt privationem, ut ordines quamprimum suscipiant. Quod si cura præbendæ aut dignitati unita est, de ea provisus perpetuum in cura, suo loco, vicarium ponet cui congruam portionem tribuet; & unaquæque parochialis ecclesia presbyterum perpetuum habebit qui ei perpetuo deserviet.

13. Constitutiones in generali Lateranensi concilio quar-

quarto, ſuper clericorum vita & moribus editæ ſervabuntur. Clerici arma non deferent, niſi forte belli tempore. Canonici ſæculares qui in ſacris ordinibus conſtituti non ſunt, in elatis chori cathedris non ſedebunt, & vocem in capitulo non obtinebunt.

14. Proprii quicquam habere monachi prohibentur; declaraturque id ita monachali ordini addictum eſſe, ut ne Papa quidem, nedum abbas, ab hac lege, perinde atque a ſervando cælibatu diſpenſare monachum poſſit.

15. Viles & rudes veſtes, e S. Benedicti regula, abbas & monachi deferent.

16. Erunt & canonicis regularibus albæ aut nigræ veſtes, e lanæ parum exquiſitæ panno confectæ.

17. Erunt ita concluſa clauſtra, ut ne in ea laici, ſine neceſſitate, præter quam in funeribus & proceſſionibus, ingrediantur.

18. Fiet quotidie lectio, menſæ tempore. Capitulum etiam diebus ſingulis ad proclamationem correctionemque culparum habebitur; itemque ſermo præcipuis diebus feſtis.

19. Monachi quibus nullum peculiare demandatum officium eſt, in clauſtro conſiſtent ab hora capituli ad tertiam uſque, ac ſine ſuperioris venia non egredientur.

20. Diſtributio, ſaltem ſemel in hebdomada, in pauperes fiet.

21. Ea ſuperioribus cura erit, ut in unoquoque monaſterio, Grammatices magiſtrum, regularem aut ſæcularem inſtituant.

22. Laici ſua bona monaſteriis non dabunt, eo animo, ut beneficia obtineant. Iis qui hac ratione potiti fuerint, ſpoliabuntur; quique ea in hunc modum contulerint, ſuo de iiſdem ſtatuendi jure, hac ſane vice, privabuntur, & jus hoc ad diœceſanum epiſcopum devolvetur. Nec abbas, nec prior, nec monachorum alius poterit alterius monaſterii prioratum poſſidere, niſi ad eum per canonicam electionem vocatus fuerit.

23. Vinum in monaſterii ambitu non vendetur, nec eo quiſpiam cujus non honeſta profeſſio ſit, inducetur.

24. Pravis moribus laicos nulla eccleſia recipiet, oblatorum titulo, ut præbendas, aut earumdem præbendarum proventus poſſideant.

25. Non tolerabitur, ut monachus in prioratu ſolus exiſtat; ſed ibi ſemper aderunt monachi tres aut quatuor; eoque depravati monachi non mittentur.

26. Quicumque decimum quartum ætatis annum attigerunt, adigentur, ut ſe pacem ſervaturos jurent. *Ibid.*

Concilium Moguntinum, an. 1233.

Congregatum fuit concilium hoc, mandante Papa Gregorio IX. & operam dante Conrado, Marpurgenſi epiſcopo, contra Manichæorum ſeu Albigenſium ſectam, quibus *Stadingiis* nomen, ex urbe Stadio in Germania. Suos errores abjurarunt eorum hæreticorum plures; at qui in iiſdem perſtiterant, e latebris erumpentes in quas ſe, Conradum a concilio revertentem expectaturi, conjecerant, eum cum religioſo, e Sancti Franciſci ordine, *Gerardo* nomine, itineris comite, crudeliter contrucidarunt. *Ibid.*

Concilium Arelatenſe, an. 1234.

Joannes Beſſanus, archiepiſcopus Arelatenſis, habuit ſuæ provinciæ concilium hoc, Julii die 10. in eoque edidit ſequentes canones viginti quatuor.

1. Lateranenſis quarti generalis concilii canonum executionem mandat.

2. Dei verbum epiſcopi ſuis in diœceſibus nuntiabunt ipſi per ſe, illudque a viris merito inſignitis nuntiandum curabunt.

3. Cohortationes atque adeo cenſuras adhibebunt epiſcopi, ut dominos & juſtitiæ officiarios ad hæreticos qui ex eorum ditione ſunt, eliminandos permoveant.

4. In hæreticos eorumque fautores excommunicatio, dominicis diebus ſingulis, pronuntiabitur.

5. Presbyter unus & laici duo in quaque parœcia inquiſitores ſtatuentur.

6. Hæretici qui convicti fuerint, addicentur perpetuo carceri; qui vero ad mentem redire noluerint, ſæculari brachio tradentur.

7. & 8. Pax ſervabitur.

9. Non tolerabuntur confraternitates ſeu ſocietates ab Eccleſia non approbatæ.

10. Non tribuetur iis abſolutio, qui ob aliquam injuriam quam non reparaverint, excommunicatione perculſi ſunt.

11. Eorum corpora & oſſa, quos hæreticos fuiſſe, poſt mortem, innotuerint, e ſepulcro extrahentur.

12. In laicos beneficia non conferentur.

13. Excommunicationem antecedere monitio debet; excommunicati vero, niſi ſe intra menſem abſolvendos curaverint, abſolutionem non recipient niſi ſolutis ſolidis quinquaginta pro quoque menſe, ab inflictæ excommunicationis tempore.

14. Epiſcopi ſuorum diœceſanorum reformandis moribus invigilabunt.

15. Uſurarii, publici adulteri, divini & venefici, dominicis diebus ſingulis, excommunicatione plectentur.

16. Judæi & Judææ notam per quam a Chriſtianis ſecernantur, veſtibus impoſitam deferent.

17. Prælatorum ſententiis eorumque cenſuris privilegiati parere debent; ſecus, iis juſtitia negari poterit.

18. Provinciæ Epiſcopi omnes regaliæ jura ad Sancti Trophimi Arelatenſis eccleſiam ſpectantia pro virili tueri debent.

19. Unicuique rurali eccleſiæ ſuus parochus eſſe, aut ſaltem ſervitium ex epiſcopi mandato exhiberi debet.

20. Epiſcopi ac prælati cæteri quibus eſt animarum cura, procedent, ex canonicis formis, in negotiis quæ decimas, legata, capellas & reliqua eccleſiaſtica jura ſpectant.

21. Interdictio, ne teſtamentum ſine parochi præſentia fiat.

22. Interdictio, ne nova tributa exigantur.

23. In eos anathema qui, ſine Epiſcopi auctoritate, cum religioſis de decimis aliiſque Eccleſiæ juribus agent.

24. Nullus epiſcopus ſuo eccleſiaſticum beneficio, ſine cauſæ cognitione, ſpoliare poterit.

Hic ipſe archiepiſcopus habuit concilium alterum Inſulæ in Provincia, an. 1251. in quo hos canones renovavit fuſiuſque explicuit capitibus tredecim quorum poſtremum clandeſtina matrimonia ſpectat.

Concilium Narbonenſe, an. 1235.

Petrus Amellius, archiepiſcopus Narbonenſis, Joannes Boſſanus archiepiſcopus Arelatenſis, & Raymundus, archiepiſcopus Aquiſextienſis Narbonem, ut creditur, ſub annum 1235. convenerunt, ibique concilium hoc celebrarunt, ut ſuarum proximarumque provinciarum Fratribus Inquiſitoribus reſponderent qui dubitationes iis propoſuerant ſuper pœnis quas imponere deberent hæreticis eorumque fautoribus qui ad Eccleſiam redierant, quibuſque ipſi a carcere exemptionem promiſerant. Narbonenſis ergo concilii patres in hanc rem undetriginta ſtatuta edidere, aſpera pleraque, & a noſtris hujus temporis moribus & uſibus admodum diſſita.

1. Hæretici eorumque fautores qui libere ſe catholicæ fidei redintegrarunt, eccleſiæ ſe dominicis diebus ſiſtent, majoris Miſſæ tempore, Epiſtolam inter & Evangelium, aliquam corporis partem nudi, virgaſque manu tenentes, ut a parocho diſciplinam ſuſcipiant. Idem agent in ſolemnibus proceſſionibus, & prima quaque menſis dominica die, in omnibus urbis aut vici domibus, ubi hæreticos conſpexerunt. Miſſæ, veſperis & Sermoni ſingulis dominicis diebus intererunt. Jejunabunt, ipſique per ſe, vel per alios de ſuo conductos Eccleſiæ fidem contra Saracenos & Hæreticos propugnabunt.

2. Non iis tamen mandabitur, ut mare prætergrediantur, id vetante Papa, ne forte promiſſis in tam remotis regionibus deſint.

3. 4. & 5. Ab uno in alium locum transferentur; & jubebuntur ædificia conſtruere pauperibus hæreticis ad fidem reverſis excipiendis accommodata. Cæterum, Inquiſitores iis pœnitentias imponere poterunt quas æquiores judicabunt, eaſdemque tum augere, tum moderari.

6. & 7. Jubebuntur ſuas culpas publice confiteri, eaſque abjurare, niſi obſtet ſcandali enormitas, quod ex hac confeſſione derivaretur; & hæ confeſſiones, abjurationes, promiſſiones & pœnitentiæ in acta publica redigentur. Pœnitentias augere aut imminuere Inquiſitores poterunt.

8. Parochis id curæ erit, ut pœnitentias quæ eorum parochianis impoſitæ fuerint, perficiendas curent.

9. Cum major erit hæreticorum multitudo, quam ut concludi omnes & ſinguli poſſint, Papa de re monebitur, ſatiſque habebitur eos concludi qui facilius alios corrumpere poſſunt.

10. ad

10. ad 17. usque, super agendi ratione quoad perduelles, apostatas & hæreticorum fautores ineunda versatur.

17. Fratres Prædicatores vetat pecuniarias pœnitentias imponere, & a pœnitentibus quicquam exigere.

18. Personæ quæ hæreseos suspicione laborant, quæque nuper ad fidem rediere, ad religiosos ordines non admittentur.

19. Nemo immuuis erit a carcere, prætexans se senem, se infirmum, sibi juniorem conjugem aut filios esse, &c.

20. & 21. Qui intra peculiaris inquisitionis limites deliquerunt, suumve ibidem domicilium habent, ejus jurisdictioni subsunt. At Inquisitores ad se mutuo scribere debent quoad reos qui ex eorum ditione non sunt.

22. Testes qui in quempiam deponunt, ei in quem deponunt, non patefient; at si is queritur sibi adversarios esse, horum nomina ex eo quærentur, ut ita quidem habeatur & testium & accusati ratio.

23. Nemo damnabitur, quin evidentibus probationibus, suave ipsius confessione convictus sit, quia præstat reum impunitum relinqui, quam innocentem puniri.

24. & 25. Ad deponendum in hæreticos omnis generis testes recipientur, iis exceptis quos non justitiæ studium, sed ad malitiam factus animus ad id impelleret, cujusmodi sunt accusatorum inimici, &c.

26. Accusatus, hæreseos convictus, habebitur hæreticus, tametsi negare pergat se talem esse, & hæresin abjuret.

27. Testes qui semel deposuerunt, non amplius audiendi sunt, nisi quoad aliquas circumstantias super quibus interrogati non fuerant.

28. Quamquam haud uni & unico confessario standum videtur, qui se hæretico seu viventi seu mortuo absolutionem & pœnitentiam dedisse testatur; super hoc tamen capite expectabitur Papæ responsum.

29. Traduntur indicia plura, ut cognoscatur, quandonam catholici cum hæreticis communicaverint; ut, cum eos salutarunt, cum eorum precibus se commendarunt, cum confessionem apud eos ediderunt, cum cœnam cum iis peregerunt, cum de eorum pane benedicto acceperunt, cum crediderunt æternam salutem in eorum secta obtineri posse, &c. E re est animadverti auctorem novæ Historiæ Occitaniæ, itemque auctorem *Galliæ Christianæ* non nisi in annum 1243. seu 1244. conferre. *Ibidem.*

Concilium Turonense, an. 1236.

Juhelus Meduanensis, archiepiscopus Turonensis, concilium hoc, cum suis suffraganeis, Junio mense, Turonibus edidit, in eoque ad ecclesiasticam & civilem politiam constitutiones quatuordecim edidit.

1. Sæculares judices per censuras cogentur ecclesiasticis judicibus reddere cruce signatos quos criminis causa ceperint, ut eos hi puniant, siquidem reos compererint. Crux signati & Christiani cæteri nihil molestiæ Judæis inferent; eos enim Ecclesia tolerat, & ea quidem non peccatoris mortem, sed ejusdem vitam & resipiscentiam desiderat.

2. 3. & 4. Non recipientur advocati, quin juri vacaverint per annos tres, aut Officialis, quin studuerit per annos quinque, aut Notarius, quin curiæ stilum & statuta calleat.

5. Ut eorum fraudibus occurratur qui sanctæ Sedis litteris abutuntur, commissarii delegati in Turonensi provincia, earum mandata non exequentur omnino, nisi iis litterarum quæ in urbe Roma impetratæ, exemplar exhibeatur, & impetrans juret eas se litteras obtinuisse, genuinas easdem esse, nec fore, ut ipse apud alios judices eum traducat, quicum negotium habet.

6. Episcopi, officiales aliique inferiores judices rationem habebunt appellationum, nullamque appellantibus molestiam inferent.

7. Operam dabunt episcopi, ut testamenta executioni mandentur; & ad impediendum, ne supprimantur, ea episcopis ipsis, eorumve archidiaconis, intra dies decem a testatoris morte, tradentur.

8. Declarantur infames & ad virgas damnantur qui contrahunt eodem tempore matrimonia duo, aut sponsalia simul & matrimonium ineunt.

9. Parochi singulis dominicis singulisque festis diebus excommunicationem in veneficos pronuntiabunt. Qui veneficii convicti fuerint, publice virgis cædantur, aliive congruæ pœnæ subdentur, quam tamen pecunia in parœciæ pauperes distribuenda redimere poterunt.

10. Ecclesiastici qui cum excommunicatis communicant, ad pecuniariam mulctam damnantur, revocaturque concilii, apud Castrum Gontherii habiti, canon qui pronuntiaverat eos ipso facto excommunicatos esse.

11. Qui se ab Ordinarii jurisdictione exemptos contendunt, ei legi suberunt, ut suas exemptionis litteras exhibeant.

12. Falsi testes damnabuntur ad virgas.

13. Perficere studebunt episcopi, ut qui nuper in eorum diœcesibus inter catholicos nomen dederunt, seu ab hæresi venerint, seu Judaismum deseruerint, edoceantur; in id etiam incumbent, ut eorum sustentationi prospiciant, ne forte, paupertatis obducta causa, ad vomitum redeant.

14. Abbatibus & prioribus hospitalitas commendatur. *Ibidem.*

Concilium Londinense, an. 1237.

Cum Henricus III. Angliæ rex, in suum regnum, Cardinalem Othonem, sanctæ Sedis legatum vocasset, Cardinalis hic, postridie diei octavæ Sancti Martini celebrandum Londini concilium indixit. Archiepiscopi duo, Cantuariensis & Eboracensis adsuere cœtui, in eoque denuntiationes ad suorum jurium incolumitatem ediderunt. Aperuit Legatus concilium per sermonem ad Præsules, super prudentia sapientiaque qua ecclesiastici eminere debent, ibique unum & triginta ad disciplinam spectantia statuta lecta voluit.

1. Cum ecclesiarum dedicatio suam e veteri testamento originem trahat, & in novo a SS. Patribus servata fuerit, ejus usus eo majore cum dignitate ac sollicitudine retinere debet, quod tum quidem non nisi mortuorum animalium victimæ offerebantur, nunc vero super altari, per sacerdotis manus, hostia viva & vera, scilicet unicus Dei Filius offertur. Quamobrem jure Patres mandarunt, ut non nisi consecratis in locis officium tam eminens celebretur, nisi forte necessitas adigat, ut aliter fiat. Omnes ergo cathedrales, conventuales & parochiales ecclesiæ quæ prorsus extructæ sunt, intra annos duos, a diœcesanis episcopis, vel eorumdem auctoritate, consecrabuntur; earum vero quæ deinceps extruantur, intra idem tempus, consecratio peragetur. Interdicta erit Missæ celebratio in ecclesiis quæ biennio post quam ædificatæ fuerint, haud consecrationem susceperint. Abbates & parochi consecratas ecclesias veteres non evertant, id causæ prætexentes, ut speciosiores exigant, sine diœcesani episcopi consensu quem is non nisi opportune præbebit; quique, cum assensus fuerit, perficiet, ut novæ ecclesiæ prompte construantur.

2. Septem Sacramenta sunt, baptismus, confirmatio, pœnitentia, eucharistia, extrema unctio, matrimonium & ordo. Hæc non sine magna animi puritate, gratisque administrabuntur. Qui presbyteri ordinandi sunt, examini, peculiariter super hac materie, subdentur, curabuntque archidiaconi, ut suis in visitationibus & cœtibus huc spectantia presbyteris documenta præbeant.

3. Solemnis baptismus solum sabbato sancto & in Pentecostes vigilia administrari debet.

4. Presbyteri qui pecuniam exigent, ut absolutionem & sacramenta cætera conferant, ab officio suspensi & beneficio privati erunt.

5. Id erit Episcopis curæ, ut in quoque decanatu confessarios nominent in clericorum gratiam quos pudet suas apud decanos confessiones edere, & generalem pœnitentiarium cathedralibus in ecclesiis instituant.

6. Admodum diligenter examini subdentur qui ordinari debent; quique approbati fuerint, in acta referentur, ne cum iis se alii miscere possint.

7. 8. & 9. Beneficia, peculiariter vero dignitates, non locabuntur. Si qua ecclesia seu laicis seu ecclesiasticis locata fuerit, annorum plurium quam quinque locatio non erit.

10. Vicarii sacerdotio initiati erunt, eosque in ecclesiis quarum servitium iis demandatum est, ipsos per se residere necesse erit.

11. Absentium beneficia haud leviter conferentur ex disseminato rumore eos obiisse; at expectabitur, dum certo constet de eorumdem morte; aliter, episcopus ei legi suberit, ut damnum reparet quod ei creaverit quem beneficio spoliaverit; intrusus vero, præter fructuum quos perceperit, restitutionem, erit ipso facto tum officio tum beneficio destitutus.

12. Unum idemque beneficium in plura non tribuetur;

tur; & in unum quæ in partes secta fuerint, redigentur, nisi vetus partitio sit.

13. Executioni dabuntur conciliorum canones ad residentiam spectantes, in eosque editi qui plura beneficia sine peculiari apostolicæ Sedis dispensatione possident.

14. Servabuntur Lateranensis quarti concilii canones super ratione qua clerici induti esse debent; & episcopi quidem, itemque eorum clerici commensales cæteris omnium primi exemplum præbebunt.

15. Clerici qui clandestina matrimonia inierunt, suorum beneficiorum ipso facto jacturam facient, eorumque filii beneficiis possidendis, & ordinibus suscipiendis, sine canonica dispensatione cui personale ipsorum meritum fundamento sit, impares erunt.

16. Clerici concubinarii ab officio quod obeunt, suspensi erunt; ac, nisi concubinas intra mensem deseruerint, beneficiis, si qua possident, privabuntur.

17. Clericorum filii paterna beneficia possidere non poterunt; quique ea possident, deponentur.

18. Qui furibus patrocinantur, eosve recipiunt, excommunicatione subdentur, si ter moniti, suo in usu persliterint.

19. Monachi Benedictini abstinebunt ab esu carnium, e S. Benedicti regula, exceptis imbecillibus & infirmis qui in valetudinario iisdem utentur. Novitios oportebit ad anni finem qui probationi addictus est, professionem edere; eademque erit regularium canonicorum ratio, ex Papæ Honorii III. Constitutione.

20. Ecclesiarum intra eorum jurisdictionis finis existentium visitationem archidiaconi accurate peragent; ita scilicet, ut expendant omnino, ut decet, nec ne se habeant ecclesiæ vasa & ornamenta; rationem explorent qua diei & noctis officium fit; corrigantque, quicquid correctione dignum est, seu quoad temporalia, seu quoad spiritalia. Non erunt per supervacaneas expensas ecclesiis graves, nec nisi modica suas ob visitationes jura sument. Cavebunt etiam atque etiam, ne quid, omittendæ visitationis aut non puniendi gratia, recipiant, aut ne ad pecuniam extorquendam injuste damnent.

21. Ecclesiæ judices non impedient, ne partes amice conveniant, ab iisque nihil exigent.

22. Archiepiscopi & Episcopi comperiunt officia sua in ipso suæ dignitatis nomine quod *invigilantem summumque præfectum* significat. Debent ergo suo gregi invigilare, cujus forma & exemplum sint, oportet; in suis cathedralibus ecclesiis residere, ibique Missam celebrare, saltem præcipuis diebus festis, diebus dominicis, Quadragesimæ & Adventus semper; suas dioeceses, ut abusus corrigant, visitare; mores reformare, ecclesias consecrare, semen verbi vitæ diffundere, sibique fidei professionem quam, dum consecrarentur, ediderunt saltem bis in anno, lectam velle.

Vocabulum, hoc in canone & in aliis pluribus, ad Episcoporum exprimendam residentiam, adhibitum animadversione dignum est. Ajunt hi canones episcopos *residere*, seu, *commorari* debere in suis cathedralibus ecclesiis, hoc est, in parva domo, seu parvo hospitio cathedrali ecclesiæ contiguo; ut proinde, ex horum canonum vi, non censeatur Episcopus in dioecesi residere, qui per notabile tempus, cujusmodi esset trium aut duorum mensium, atque adeo multo brevius spatium, in rurali, vel intra dioecesim, domo degeret. Carthaginense concilium quintum quod ad an. 401. pertinet, episcopos vetat suam in quavis alia quam cathedrali ecclesia quæ eorum propria sponsa est, residentiam agere. Trullana synodus, an. 692. depositionis sententiam in episcopos pronuntiat qui a sua cathedrali ecclesia per continuos tres dominicos dies abfuerint. Francofordiense concilium, an. 794. idem mandat, & ad hebdomadas, ut summum, tres episcopi absentiam redigit. Lugdunensa tertium declarat episcopum in sua dioecesi commorantem, non proprie residere, nisi in urbe sit in qua episcopalis sedes statuta est. Francofordiense alterum, sub Carolo Magno, vetat episcopis, ne ultra hebdomadas tres, quoque anno, in sua rurali domo versentur. Est autem & id sedulo animadvertendum rurales domos de quibus in veteribus canonibus sermo est, non fuisse nisi campestres casas ab iis magnificis, prope dixerim, oppidis prorsus alias, quæ rura nostra nunc temporis ornant. Denique, Congregatio ad solvendas difficultates quæ super Tridentini concilii decretis proponi possent, a summis Pontificibus instituta, cum super hac re consulta fuisset, respondit episcopos suas satis officio non facere, dum in sua quidem dioecesi, at non etiam in sua ipsorum ecclesia resident, nisi cum eos sui muneris ratio ipsa in alia dioeceseos loca vocat; eosdem tamen non subire non residentium pœnas, sui nempe beneficii proventuum restitutioni obnoxios non esse. Apud *Fagn. in lib.* 3. *Decret.* §. 1. *p.* 66.

23. Idonei judices, peculiariter ad matrimoniales causas, nominabuntur; & abbatum judices qui in ea possessione sunt, ut de iisdem cognoscant, nullam definitivam sententiam proferent, nisi postquam dioecesis episcopum consuluerint.

Reliquæ constitutiones octo spectant ad justitiæ formas plures, conditionesque quas acta, ut authentica sint, adjunctas habere debent. *Ibidem, & Anglic. Tom. I.*

Concilium Cognacense, seu, *apud Campinacum*, *an.* 1238.

Gerardus, archiepiscopus Burdigalensis, Cognacense hoc in Engolismensi provincia concilium, feria secunda post octavam Paschatis congregavit, in eoque protulit decreta triginta novem.

1. Excommunicatione plectuntur plurium generum homines, cujusmodi sunt qui falsis litteris utuntur, aut qui vanis & superstitiosis scientiis se dedunt.

2. In eos quoque pronuntiatur excommunicatio qui conspirationes in ecclesiasticos struunt, qui eorum bona aut personas retinent, &c.

3. Communione privantur laici qui ecclesias, hospitalia, aut religiosas domos retinent.

4. & 5. Prohibetur, ne archidiaconi, archipresbyteri & decani vicarios habeant; itemque, ne parochi in alienis ecclesiis vicarii sint.

6. Unicuique parœciæ suum peculiare sigillum erit.

7. Nemo apud sanctæ Sedis commissarios in jus vocabitur, quin commissionis autographæ litteræ exhibeantur, earumque exemplum præbeatur.

8. Nec episcopi, nec ecclesiasticorum judicum alii excommunicationes tollent latas ob offensas quæ satisfactionem non postulant.

9. Episcopi servandas curabunt in suis dioecesibus excommunicationis sententias ab ipsorum collegis inflictas, cum id ab iis requiretur, ut in Ecclesiam aditus excommunicatis ubique negetur.

10. Non committentur, ad judicium de matrimonii causis ferendum, nisi idonei & prudentes viri qui vel ipsi per se, vel per alium qui canonicas constitutiones calleat, testes examinent.

11. Judices laici qui ecclesiasticos adigunt, suas ut causas apud eos agant, excommunicationi subdentur.

12. & 13. Monachi & canonici regulares nec advocati nec procuratores erunt, nisi forte ad ecclesiæ quæ ad eos spectat, utilitatem, & e superiorum consensu. Eadem erit sæcularium presbyterorum ratio, nisi ut ecclesiæ suæ præsto sint, pauperumve & miserorum rebus consulant, quin ullam inde mercedem percipiant.

14. Pauperibus advocatos dabit curia.

15. Si domini duo subditos habeant qui indiscriminatim iisdem subsint, hi subditi ob errata unius ex iis duobus dominis, & non aliter, interdicantur.

16. Adigentur, per censuras, domini, ut id ecclesiis restituant, quod ipsæ eorum culpa amiserint, quo tempore, iis occasionem præbentibus, interdicto suberant.

17. Excommunicatione plectentur barones, cum id eorum crimina postulabunt; qui se per anni spatium, quin se absolvendos curent, in excommunicatione persliterint, tamquam hæretici spectabuntur.

18. Qui per quadraginta dies in excommunicatione permanserint, ad mulctæ libras decem, vel ad aliam huic respondentem pœnam damnabuntur.

19. Qui clericos capiunt, eosve male habent, sacros ordines suscipiendi, & beneficia possidendi jure privabuntur ipsi eorumque posteri, ad tertiam generationem usque.

20. Abbates & capitula monachis & canonicis regularibus ad sustentationem haud pecuniam statuent; sed de communitatis bonis eos sustentabunt; nec magis ingressum in religionem ad pactionem deducent.

21. Religiosarum domorum depositarii, singulis mensibus, abbati & fratrum nonnullis aliis suæ administrationis rationem reddent; abbates vero, quotannis, generali capitulo. Claustra congruis horis claudentur.

22. Monachi, sine superioris venia, e monasterio non egredientur, nec extra comedent.

23. Nihil a judice petent, sine superioris peculiaribus litteris quæ hanc iis facultatem tribuant, nisi rerum causa, quæ administrationem iis demandatam spectant.

24. Mo-

24. Monachi & canonici regulares, seu suas intra domos, seu extra, lacernas omnino non deferent.

25. Peculii nihil erit regularibus; quibus vero peculium post mortem compertum fuerit, ecclesiastica sepultura negabitur.

26. Subtile textum, aut vestis quæ clausa non sit, nec manicas habeat, regularibus usui non erit.

27. Abbates & priores, ter, quotannis, excommunicationem in monachos pronuntiabunt qui proprii aliquid habuerint, aut apertas vestes, annulos & quidvis aliud parum suo statui consentaneum gestaverint.

28. Monachi qui monasteriorum temporalia administrant, se sponsores dare non poterunt, aut plus quam viginti solidos mutuari, sine abbatis venia.

29. S. Benedicti regulam, quoad abstinentiam a carnibus, monachi servabunt; iidem, excommunicationis indicta pœna, prohibeutur in laicorum domibus cibum sumere.

30. Prohibentur etiam, sub eadem pœna, parœcias habere, nisi necessitas ita postulet, & diœcesanus episcopus annuat.

31. Monachi & canonici regulares in prioratibus & in granjiis haud soli degent.

32. Nulla confraternitas instituetur sine diœcesani episcopi facultate.

33. Parochialium ecclesiarum patroni ei legi suberunt, ut congruam idoneamque portionem, ad presbyterorum iis deservientium sustentationem, tribuent.

34. Non extruentur novæ religiosæ domus, aut hospitalia, sine episcopi venia.

35. Non alienabuntur Ecclesiæ bona, quin peculiariter episcopus annuat.

36. Parochi qui parochianos in commune habent, eos partiri debebunt.

37. Alterius diœcesεos ecclesiastici non sinentur divinum officium celebrare, nisi proprii episcopi litteras habeant, e quibus de eorum ordinibus, moribus, & itineris causa constet.

38. Qui ordines confert, & qui ad beneficium præsentat, ab eo qui ordinatur aut præsentatur, jusjurandum non exigent, quo is, ob susceptos ordines, suamve ad illud beneficium præsentationem, se nihil a quopiam petiturum recipiat, quia id canonibus adversatur & simoniam alet.

Statutum hoc spectat episcopos & patronos qui veriti, ne quis eorum quos ordinabant, aut quos ad beneficium præsentabant, sibi deinceps oneri esset, si forte, ob eventum aliquod, ei necessaria deessent, neminem ordinare aut præsentare volebant, quin se nihil unquam ab iis petiturum juraret.

39. Interdictio, ne quis vacantibus ecclesiis provideat, quarum devoluta collatio est. *Ibid.*

Concilium Trevirense, *an.* 1238.

Theodoricus, archiepiscopus Trevirensis, una cum suffraganeis episcopis, Verodunensi, Metensi & Tullensi, S. Matthæi festo die, in cathedrali ecclesia concilium hoc celebravit, in eoque quadraginta quinque canones edidit.

1. Incendiarii eorumque fautores, dominicis diebus singulis, in omnibus parœciis, omnibusque tam virorum quam feminarum religiosis familiis excommunicati denuntiabuntur.

2. Cessabit divinum officium in omnibus parœciis in quibus ecclesiæ surreptæ res depositæ fuerint, quoad ibidem eæ remanebunt, aut qui eas sumpserint, aut qui eas emerint.

3. Si raptorem bonorum Ecclesiæ ordinarius loci perculerit anathemate, vel ejus terram interdicto subdiderit, ordinarii cæteri, rogati, suis in diœcesibus idem facient. Eadem erit eorum ratio qui clericos capient, aut captivos retinebunt.

4. Cum locus ob domini crimina interdictus est, qui huic domino subsunt, ad divina officia, proximis in locis, aut alibi, non admittentur.

5. Denuntiabuntur excommunicati qui clericos sibi captivos retinent, itemque qui his injustis detentoribus patrocinantur.

6. Laicus corporalem injuriam clerico minitatus, per excommunicationem & interdictum adigetur, ut sui consilii rationem judici reddat.

7. & 8. Operam dabit episcopus, ut clerici qui in aliquo interdicto loco celebraverint, itemque qui celebraverint, cum ipsi excommunicati aut interdicti essent, in carcerem conjiciantur.

9. Beneficiariis & clericis qui in majoribus ordinibus constituti sunt, omne vetitum negotium est.

10. Presbyterorum longus claususque habitus esse debet. Ad divinum servitium, lineo supparo, seu, roccheto induti erunt.

11. Cum viaticum ad infirmos deferunt, roccheto, aut superpellicεo, aut ad chori usum cappa tecti incedere debent.

12. Nec argentea fibula, nec auratis corrigiis utentur.

13. Quicumque e clericis canones non servaverit, qui super tonsura, corona habituque versantur, non audietur in propriis causis.

14. Cauponæ clericis, præter quam in itinere, vetitæ sunt.

15. & 16. Presbyteri in ecclesia, aut publice non prodibunt, puro putoque vulgari habitu induti, nunquamque sine roccheto ecclesiæ deservient.

17. Clerici concubinarii nec eligere, nec eligi ad ullius ecclesiæ regimen poterunt.

18. Omnis clericus concubinarius qui sancti ministerii functiones peraget, traducetur ad curiam cum ordinarii litteris, quæ factorum seriem & veritatem continebunt.

19. Omnis parochus aut vicarius cui satis redditum fuerit, apud se alumnum ad divinum servitium habebit.

20. Aleas vitabunt clerici, secus, beneficio privandi.

21. Manicatas cappas presbyteri non habebunt.

22. Clerici qui se addicent laicorum servitio, præsidum, justitiariorum, &c. titulo, beneficiis quæ possident, spoliabuntur, nisi, postquam moniti fuerint, hæc officia abdicaverint.

23. Præsules qui clericos ad suarum sententiarum executionem adhibent, damnis suberunt quæ eorum negligentia, quorum opera usi sunt, attulerit.

24. Ordinarius clericorum sustentationi providere debebit, qui, propterea quod eorum sententiam executi sunt, suis redditibus spoliati fuerint.

25. Clerici qui in suspensione vel excommunicatione celebraverint, non nisi a Papa absolvi poterunt.

26. Vicarii qui portionem congrua minorem acceptaverint, non proinde ad portionem petendam actione carebunt, quia hæc toti clero, non autem in privati clerici gratiam concessa fuit.

27. Clave concludentur sancta eucharistia, infirmorum oleum & baptismalis fons. Ad ægrotantes viaticum, sine lumine & sine tintinnabulo, non deferetur.

28. Singulis diebus quindecim, consecratæ hostiæ renovabuntur.

29. Superiores ad residentiam & ad chori frequentationem adigent inferiores per rerum subtractionem quæ eorum sustentationi addictæ sunt.

30. Per æris campani sonum in parœciis divinum officium nuntiabitur, & jubebuntur circum degentes incolæ eo convenire, Missam dominicis diebus festisque solemnibus audituri, nisi dissita capella adsit cui presbyter per suum beneficium addictus deserviat.

31. Tenentur omnes clerici & laici, sanctæ obedientiæ vi, hæreticos eorumque fautores & auditores episcopo denuntiare, ut hi quidem, omnibus diebus dominicis & festis, excommunicati denuntientur.

32. Non solventur decimæ in domibus, sed in agris, vineis aliisque locis in quibus ea gignuntur quæ eidem obnoxia sunt.

33. Parochi, vicarii decanique rurales de causis matrimonialibus non cognoscent.

34. Usurarii excommunicationi suberunt.

35. Adulteri publicam pœnitentiam agent; hujusque criminis reæ feminæ scyphum humero impositum, & manu baculum deferent.

Prostituta mulier, scyphum manu tenens, nobis in Apocalypsi exhibetur; sitque vero simile adulteras seu prostitutas feminas alicubi jussas fuisse scyphum super humero ferre, tamquam suarum depravationum notam, cum earum juridice convictæ, easdemque ipsæ confessæ fuerant.

36. Excommunicatus quisque qui per hebdomadas sex in excommunicatione perstiterit, cogetur a superiore se ab ea liberandum curare; secus, excommunicationi suberit superior ipse.

37. Interdicta per ignis aut gladii inspectionem divinatio, sub pœna suspensionis in clericos, & excommunicationis in laicos.

38. Nulla femina noctem in loco transiget in quo monachi & regulares canonici degunt.

39. Omnis religiosus proprietarius, aut qui se carnis crimine obstrinxerit, rejicietur in ultimum chori locum, activaque & passiva voce privabitur. Eadem in religiosam eorumdem criminum ream pœna.

40. *Proprietarii* nuncupantur qui pro suo ipsorum arbitratu, & quin a superioribus pendeant, rebus quascumque habuerint, utuntur.

41. Abbates & monachos suarum regularum transgressores episcopi punient.

42. Mc-

42. Monacho non professo nulla administratio conferetur.

43. Omnes locorum parochi, in quibus falsa moneta cuditur, a divino officio, cum primum id scierint, ibidem celebrando abstinebunt.

44. Denuntiabuntur excommunicati, dominicis festisque diebus, quicumque falsam monetam conficiunt, eorum socii, & qui eadem utuntur.

45. Abolet synodus *annum Domini gratiæ*, abusuum causa.

In beneficii negotio, per *annum gratiæ Domini*, designabantur fructus beneficiario provenientes anno qui ejus mortem consequebatur, quorumque pro arbitratu dispositio libera eidem erat. Usum hunc abrogat concilium, ob abusus qui in eum irrepserant. Martenne, *Collect. Tom. VII.* Thesauri, *Tom. IV.* Mansi, *Supplem. Concil. Tom. II.*

Concilium Senonense, an. 1239.

Walterius Cornutius coegit concilium hoc, in eoque edidit statuta quatuordecim.

1. Abbates & Priores conventuales qui ad synodum non convenerint, aut qui absentiam suam canonicis rationibus non purgaverint, Ecclesiæ aditu, ad dies octo, prohibebuntur; & id quidem, sub majoris excommunicationis pœna, si, sua culpa, aliis deinceps annis abfuerint.

2. Monachissæ nigræ, suis in domibus, cujusvis deposita, præsertim vero clericorum arcas, sine episcopi venia, non recipient.

3. Omnes & singulæ in eodem triclinio comedent, in eodemque dormitorio cubabunt, nisi forte abbatissa ob justas & necessarias causas sinat eorum nonnullas aliter facere.

4. Religiosarum privata cubicula diruentur, iis exceptis quæ ob justam aliquam & necessariam causam servanda episcopo visa fuerint.

5. Abbatissæ, raro tantum, urgentibusque de causis, suas religiosas egredi sinent.

6. Suspectæ & supervacaneæ fores obstruentur.

7. Judices, cum ordinarii tum delegati, a generalibus excommunicationibus infligendis, præter quam in flagitiorum summopere enormium casibus, abstinebunt.

8. Sæcularia capitula studium & operam eo potissimum conferent, ut, quicquid ad divinum diei & noctis officium spectat, in ordinem redigant.

9. Canonici & clerici sæculares concilii generalis (Lateranensis decimum secundum & decimum tertium) statuta servabunt.

10. & 11. Cœnobia, quibus in locis olim aderant, si per ecclesiæ facultates licuerit, restituentur; ac tum quidem harum domorum monachi seu canonici divinum ibidem officium peragent.

12. Abbates & Priores conventuales suis in monasteriis tot religiosos ponent, quot in iis esse debent e consuetudine, nullamque ab iisdem pensionem exigent.

13. Episcopi clericos aleatores & errones radi jubebunt, ut iis nullum clericalis tonsuræ vestigium supersit, dummodo tamen id sine periculo & sine scandalo facere possint.

14. Cum, ob domini ejusve præsidum culpam, terra aliqua in interdicto posita fuerit, interdictum non tollet episcopus, quin eos qui illud traxerunt, adigat, ut damna rapererent quæ, iis occasionem dantibus, parochi passi sunt. Martenne, *Collect. Tom. VII.* Mansi, *Supplem. Concil. Tom. II.*

Concilium Turonense, an. 1239.

Juhelus Meduanensis, archiepiscopus Turonensis, concilium hoc una cum suæ provinciæ episcopis habuit, in eoque capitula seu decreta tredecim condidit.

1. Episcopus in unaquaque parœcia clericos tres, aut probos tres saltem laicos nominabit quos jurejurando obstringet, ut veritatem dicant super scandalis quæ in ea vel in proximis parœciis contingent, in fidei, aliisve negotiis de quibus cognoscere Ecclesiæ est.

2. Clerici qui alicujus delicti, sua ipsorum confessione, vel aliorum testimonio convicti fuerint, puniendur, prima quidem vice, pro episcopi voluntate, altera vero, per beneficii quod possident, privationem.

3. Presbyteri in publicum non prodibunt, nisi clausis induti vestibus, in pœnam mulctæ solidorum quinque qui fabricæ addicentur.

4. Ante sacramentorum administrationem nihil petetur aut exigatur; at, postquam administrata fuerint, consuetum jus pio usu statutum peti poterit; eaque episcopo facultas erit, suos ut diœcesanos ad illud tribuendum per ecclesiasticas censuras adigat.

5. & 6. In omnes presbyteros, omnesque parochialium ecclesiarum rectores seu parochos interdictio, ne suos parochianos, propria auctoritate, ob sua, suarumve ecclesiarum jura, excommunicationi subdant, in censuræ nullitatis pœnam.

7. Legata quæ clericus beneficiarius, aut in sacris ordinibus constitutus, edi in sui naturalis filii, suæve concubinæ gratiam, ediderit, ecclesiæ addicentur.

8. Instauratur prohibitio in concilio Gontheriensi, seu, apud Castrum Gontherii lata, ne archidiaconi aliique inferiores prælati quibus jurisdictio est, officiales habeant; iisque mandatur, ut sui muneris officiis faciant satis ipsi per se.

9. Prohibentur præsules excommunicationis sententias præcipitanter ac temere ferre, jubenturque id mature facere, ac post monitiones quas leges præscribunt, quæque congruis intervallis distinctæ fuerint, nisi forte negotium celeritatem requirat. Proponitur deinde servandus ordo, cum de excommunicatione servanda agitur; ut primo scilicet, qui culpæ rei ipsi sunt, excommunicationi subdantur; tum, si excreverit contumacia, per æris campani sonum, perque cæteras solemnes formas, gravior excommunicatio reddatur; quod si excommunicati ad Ecclesiæ sinum non redierint, quicumque cum iis in mercatibus, in furnis, in pistrinis seu moletrinis, ac demum in cibo ac potu communicat, anathemati subjiciatur.

10. Interdictio, ne generali excommunicatione involvantur qui cum excommunicatis communicant, periculi causa, cui animæ in ejusmodi generalibus excommunicationibus obnoxiæ sunt. Nullæ ergo & invalidæ sunt hujusmodi sententiæ.

11. Interdictio, ne ex pecunia religiosis detur quod iis ad sustentationem necessarium est; domorum ipsarum est huic rei providere.

12. Nec clerici, nec religiosi suum ad servitium alterius sexus personas habebunt. Has personas ita designat canon, ut *pedisequas* vocat.

13. Parœciis monachi non deservient, nisi iis episcopus animarum curam in permissis casibus concrediderit. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VII.*

Concilium Lavalliense, seu, apud Vallam Guidonis, an. 1242.

Juhelus Meduanensis, archiepiscopus Turonensis, ejusque suffraganei Lavalliense in Cenomanensi diœcesi concilium hoc celebrarunt, in eo editis, seu renovatis quæ sequuntur, statutis novem.

1. Religiosi suorum singuli ordinum constitutiones regulasque servabunt.

2. Abbates operam dabunt, ut prioratibus pro rerum ratione prospiciant.

3. Tum solum priores mutabunt, cum ejusmodi mutationes necessariæ vel utiles fuerint, numquam autem odio aut cupiditate permoti.

4. Archidiaconi de matrimonii aut simoniæ causis, aliisve criminibus quæ ad degradationem, ad beneficii privationem & ad depositionem abeunt, sine episcopi peculiari facultate, cognoscere non poterunt; ac ne officiales quidem habere, excepto urbis archidiacono qui in ea est consuetudine, ut officialem habeat, sed in urbe tantum, & non alibi.

5. Instaurantur Milevitani & Chalcedonensis conciliorum canones qui clericos sæculares & regulares vetant in laicis tribunalibus causas agere.

6. In interdictis ecclesiis officium submissa voce clausisque janius dicetur, postquam excommunicati & interdicti egredi jussi fuerint.

7. Religiosis ad vestiarium pecunia non dabitur, sed solum domus procuratori qui congruas vestes singulis comparabit.

8. Si laicus per anni spatium excommunicatus permanserit, interdicta erunt loca omnia in quibus deget.

9. Qui de injuria ecclesiis aut ecclesiasticis illata violenter suspecti fuerint, canonice se purgabunt, & tamquam rei punientur, si in hac purgatione succubuerint. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VII.*

Concilium I. generale Lugdunense, an. 1245.

Innocentius Papa IV. convocavit concilium hoc ob præcipuas causas quinque. Harum prima Tartarorum in Imperium irruptionem spectabat. Græcorum schisma propositum habebat altera; hæreses quæ Ecclesiam vastabant, tertia; quarto loco, Terræ Sanctæ Christianis contra Saracenos suppetias ferri oportebat; denique erant ad examen vocanda crimina de quibus Imperator Fridericus accusabatur, ac finienda dissidia

quæ

quæ eum a sancta Sede dividebant. Adsuere cum Papa & Cardinalibus, Patriarchæ Constantinopolitanus, Antiochenus & Aquilejensis, centum quadraginta circiter archiepiscopi & episcopi quos Italia, Gallia, Hispania & Britannicæ Insulæ miserant, abbatum & superiorum conventualium plures, Generales Ordinum duorum, S. Dominici & S. Francisci, Balduinus, Imperator Constantinopolis, Berengarius, Provinciæ Comes, Raymundus, Tolosæ Comes, oratores Imperatoris Friderici, regis Galliæ, & regis Angliæ.

PRIMA SESSIO.

Aperuit Papa concilium, feria quarta, die 28. Junii, in cathedrali S. Joannis ecclesia, per sermonem quo, vividum & vehementem in modum, cleri populique depravationem, Saracenorum arrogantiam, Græcorum schisma, Tartarorum crudelitatem, Imperatoris Friderici in Gregorium Papam. ejus decessorem, persecutionem oculis subjiciebat, addens Principem hunc hæreticum & sacrilegum esse.

SECUNDA SESSIO.

Thaddæus Suessanus, imperialis consilii caput, perspicax, acutus & eloquens vir, nihil omisit, ut dominum suum purgaret, sine ullo tamen successu. Sensit auram sibi secundam Papæ; &, in sessione altera quæ Julii die 5. habita fuit, aperte dixit subesse titulos sane plures qui Imperatoris depositionem postulabant. Thaddæus Suessanus ad concilium generalius appellavit; at Papa respondit concilium quod illud erat, nihil amplius requirere, ut completæ cumulatæque generalitatis prærogativa gauderet.

TERTIA SESSIO.

In sessione tertia quæ in Julii diem 17. incidit, mandavit Papa, cum concilii approbatione, ut deinceps octava Nativitatis B. V. celebraretur. Lecti deinde septendecim articuli quibus *institutionum*, seu, *capitulorum* inditum nomen, quorumque priores duodecim super judiciariis actis versantur.

Articulus 13. *de usuris* inscriptus, minus de usuris agit quam de ære alieno quo se ecclesiæ inconsulto premunt, ac de periculo in quod eas illud, quoad ipsarum temporalia bona, conjicit. Concilium queritur, inter Episcopos, abbates aliosve titulares, quantumvis obærati sint, esse neminem. quin, vana gloria ductus, contendat monumentum quod ipse tamquam proprium & personale spectare possit, in suæ dictionis locis relinquere. Super hac re grassanti malo remedia & in posterum antidota suppeditantur; quod fusius statutum conficit.

Articulus 14. Imperatori Balduino redditunm ad beneficia spectantium, in quibus titulares non residebant, dimidium concedit, salvis exceptionibus ratione nixis, cujusmodi erant munera quæ perspicue ad diœceseon utilitatem vergebant, studia sedesque quæ, jure ipso, residentiæ legibus eximebant. Ipse sibi Papa & cardinalibus id impofuit, ut suorum utrique redditunm decimam partem solverent.

15. Est ad Episcopos monitum, suis ut populis commendent, ut aliquid ad Terræ Sanctæ & Romani Imperii subsidium, testamento relinquant.

16. Adjumenta prosequitur quorum ope Tartaris obsistatur.

17. Sacram crucis militiam, seu, sacrum bellum, vulgo, Cruciatam, ad Terræ Sanctæ recuperationem, præcipit, præcipuasque constitutiones instaurat quæ in superioribus sacris bellis editæ fuerant. In id Papa se ipse suamque curiam alteri decimæ parti subdit.

Notari potest, in his decretis, Episcopos nec interdictum, nec suspensionem subire, nisi expressis verbis in sententia nominati sint. At nihil est animadversione dignius, nihilque vehementius afficit & in admirationem trahit quam depositionis sententia in Imperatorem Fridericum II. a Papa lata; a Papa, inquit Bossuetius, & non a concilio, quoniam generali concilio tribui non debet tale ausum in personam ac temporalia regum qui proxime Deo subsunt, quique a quavis alia potestate quoad caput hoc omnino non pendent. (*Defens. Declar. Cler. Gall. part.* 2. c. 8. p. 311.) „ Animadvertimus, Bossuetii verba sunt, singulare „ discrimen inter depositionis sententiam contra Impe„ ratorem ab Innocentio IV. pronuntiatam, & decreta „ cætera ab eodem Pontifice in Lugdunensi concilio „ edita. Depositionis quidem sententiam ait Papa a se „ pronuntiari coram sancto concilio, cætera vero de„ creta a se ferri cum approbatione sancti concilii. „ Excommunicatio ipsa eidem Principi inflicta actus „ erat totius concilii. quandoquidem omnes Prælati „ anathema cum Papa repetierunt; & depositio, quam„ vis dicatur eam episcopis propositam fuisse, ex iis„ que quæsitum, super ea quid sentirent; in solemni „ tamen actu, tamquam derivata ex consilii auctori„ tate, non exprimitur; adeoque sententia hæc, ut „ proprie loquamur, tamquam ecclesiasticum judicium „ spectari non debet; erat ea potius superioris pote„ statis exercitatio, quæ tum quidem vulgo, & absque „ ullo fundamento, in Romanis pontificibus agnosce„ batur, quod spectabat ad personam ac dignitatem „ Imperatorum Germaniæ. Re sane ipsa, ea tunc ob„ tinebat opinio, Imperatores, a sæculo decimo, hoc „ est, ab Imperio in Germania restituto, Romanis pon„ tificibus, quoad temporalia, subesse; quod in causa „ erat, ut diceretur Imperatorem esse hominem Papæ; „ Papam posse ei imperium adimere, quoniam illud „ eidem donaverat; Imperii Electores ea tantum po„ testate gaudere quam iis sancta Sedes concesserat; „ ac si persona ad imperialem coronam electa se hac „ indignam redderet, Papam posse eamdem rejicere. „ Galli ipsi, inter Philippum Pulchrum & Bonifa„ cium VIII. dissidii tempore, fatebantur Papam de„ ponere Imperatorem, quia imperium feudum erat „ a Papa donatum; cumque Friderici II. ab Innocen„ tio IV. depositi exemplum proponebatur, ajebant „ id factum esse, quia Papa ejus temporalis dominus „ erat; cui potestati satis aperto argumento esse vide„ batur jus quo Papa gaudet, ut Imperatorem confir„ met & coronet. Jam vero Papæ in Imperatoris per„ sonam auctoritatis hæc communis persuasio in causa „ fuit, ut Lugdunensis concilii Patres, quin reclama„ rent, actui contra Fridericum adessent. Opinati sunt, „ eo deponendo, Papam uti jure suo; at sedulo cave„ runt, ne sententiam cum eo ferrent, convicti nego„ tium ad se non spectare; satisque habuerunt episco„ palem auctoritatem, ex condicto cum Papa, exer„ cere in excommunicationis sententia quæ in eumdem „ Principem lata & indicta fuit.

At, inquiet fortasse quispiam, Fridericus ipse, & Thaddæus Suessanus, ejus ad Lugdunense concilium orator se universalis concilii judicio subdebant, consentiebantque eum, siquidem criminum quæ eidem adscribebantur, & peculiariter hæreseos convictus esset, dignum fore qui deponeretur. Imperator Henricus IV. ante Fridericum II. in suis cum Papa Gregorio VII. contentionibus, eo se redigebat, ut diceret se excommunicatione plecti non posse; consentiens se, siquidem excommunicatus fuisset, debere imperium amittere; & ex alia parte, nobis suppetunt œcumenica concilia bene multa quæ sibi tribuerunt de Principum persona temporalibusque rebus disponendi jus in eo positum, ut eos seu depouere, seu ad corporales pœnas, vel ad taxas mulctasque pecuniarias damnare possent; ejusmodi sunt, inter alia, tertium Lateranense concilium, *cap.* 27. *de Hæreticis*, quartum Lateranense, *cap.* 3. *Excommunicamus*, quod libro quinto Decretalium Gregorii IX. *tit.* 7. insertum est, Lateranense concilium quintum, denique Constantiense & Tridentinum.

Conveniat, necesse est, post Papæ Gregorii VII. pontificatum, vulgo creditum fuisse Romanis Pontificibus amplissimam in Regum personas ac temporalia potestatem suppetere; ut eos instituere, corrigere, adeoque, siquidem ob crimina, præsertim vero ob hæreseos crimen hac pœna digni essent, depouere possent. Conveniat etiam, oportet, ab eo tempore, Papas & generalia concilia, quoad Principes, eo scilicet devenisse, ut eos vel deponerent, vel ad alias corporales aut pecuniarias pœnas damnarent. Verum, præterquamquod hæc arrogata jura & ausa hæc, per decem & amplius sæcula, fuerunt Ecclesiæ prorsus ignota, quippe quæ non nisi a Gregorio VII., an. 1085. vita functo cœperunt; eadem haberi non possunt nisi pura putaque facta omni jure destituta, nullumque dogmaticum seu generalis alicujus concilii, seu alicujus Papæ judicium, ab universa Ecclesia receptum, afferri potest, quod credere cogat Reges deponendi jure Papas aut Ecclesiam pollere. *Primus fuit inter Romanos Imperatores Henricus IV. qui ab imperio legitur depositus. Scholastici certant, & adhuc sub judice lis est, an Romanus Pontifex jure possit deponere Imperatorem.* Sunt hæc Trithemii verba in Chronico Hirsaugiensi ad an. 1106. Cardinalis Perronius, in sua ad Magnæ Britanniæ Regem Replica, *cap.* 91., ita Bellarmini super hac re sententiam exponit: *Ipse Bellarminus monet, id quod de Pontificis in temporalia potestate indirecta docet, non a se haberi ut fidei doctrinam, aut sub pœna excommunicationis tenendam.* Denique Bossuetius, in Defensione Declarationis Cleri Gallicani, *lib.* 3. *cap.* 5. ita suam mentem aperit: *Illud etiam asserimus ad pla-*

eandos catholicos & Hæreticos retundendos, de deponendis Regibus nullum canonem aut professionem ab Ecclesia fuisse editam, neque a quoquam aut concilio, aut etiam Papa pronuntiatum esse, ne quis negaret Principes a Pontificibus posse deponi.

Eodem accedit, sententiam quæ Ecclesiæ ejusque ministris Reges deponendi potestatem, directumque vel indirectum in eorum temporalia dominium negat, unam & unicam veram esse, quia una & unica est quæ sacris Litteris, Traditione, Evangeliique & christianæ Religionis mente nitatur.

Audite ergo, reges, & intelligite, quoniam data est a Domino potestas vobis. Sap. VI. 2. & 4.

Reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic, Luc. XXII. 25.

Regnum meum non est de hoc mundo. Joan. XVIII. 36.

Ait Petro Jesus: converte gladium tuum in locum suum. Matth. XXVII. 52.

Petri gladius in vaginam revocatur a Christo, & ostenditur non debuisse eximi nec pro Christo. Aug. *Epist.* 93. *alias*; 48. *T. I. Part, II. pag.* 233.

Sciunt Imperatores, qui illis dederit imperium ..... Sentiunt eum esse Deum solum, in cujus solius potestate sunt, a quo sunt secundi, Tertull. *Apologet, cap.* 30, *p.* 27.

Non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno calorum solis piis, regnum vero terrenum & piis & impiis. Aug. *Lib, V. de Civit, Dei, cap.* 25.

Ubi non respondebat, sicut ovis solebat; ubi respondebat, sicut pastor docebat. Discamus ergo quod dixit, & per quod Apostolum docuit, quia non est potestas nisi a Deo, August. *Tract. CXVI.* in Joann. *num.* 5.

Cum super Imperatorem non sit nisi solus Deus qui fecit Imperatorem; dum se Donatus super Imperatorem extollit, jam quasi hominum excesserat metas, ut prope se Deum, non hominem æstimaret. Optat. Milev. *Lib. III, cap.* 3. *p.* 56.

Rex utique erat, nullis ipse legibus tenebatur; quia liberi sunt reges a vinculis delictorum; neque ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti sub imperii potestate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius. Ambros. in Apolog. David. I. *num.* 5. *T. II. p.* 698.

Quando rex delinquit, soli Deo reus est ... quia hominem non habet qui ejus facta dijudicet. Cassiodor. *Exposit. in Psalm.* 50. *P. II. p.* 170.

Si quis de nobis, o rex, justitiæ tramitem transcendere voluerit, a te corrigi potest; si vero tu excesseris, quis te corripiet? ... Quis te condemnabit, nisi is qui se pronuntiavit esse justitiam? Gregor. Turon. *Lib. V. Histor, Franc, cap,* 19.

Quia dispensationes rerum temporalium regibus attributa sunt, & Basilei, id est, fundamentum populi & caput existunt; si aliquando potestate sibi concessa abutuntur, non sunt a nobis graviter exasperandi; sed ubi sacerdotum admonitionibus non adquieverint, divino judicio sunt reservandi. Yvo Carnotens. *Epist.* 171. *P. II.*

Nemo regum a progenitoribus regnum sibi administrari, sed a Deo veraciter atque humiliter credere debet dari, qui dicit; Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt, Concil. Parisiense, *an.* 129.

In quo facto pontificalem sic exerimus auctoritatem, ut non obliviscamur regiam a Deo constitutam esse sublimitatem, dicente Apostolo: subjecti estote regi quasi præcellenti. Concilium apud Troslejum an. 909.

Reges & Principes in temporalibus nulli ecclesiasticæ *potestati, Dei ordinatione, subjici, neque auctoritate clavium directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide* atque *obedientia, ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse; eamque doctrinam publicæ tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiæ,* quam *imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonem omnino retinendam.* Declaratio Cleri Gallic. *an,* 1682. *die* 19. Martii.

Hæc autem celebris Declaratio tam Evangelii & Christianæ religionis menti congruit, quam contraria sententia repugnat; quis enim tandem inficias ierit Evangelii & Christianæ religionis vim & rationem simplicitate, humilitate, suavitate, patientia, temporalium rerum abdicatione, paupertate, & erga Principes ad terrarum orbem in politico ac civili ordine regendum a Deo institutos obedientia contineri? Quis etiam negaverit fastus, ambitionis, elationis, dominationis, imperii, supra ipsa coronata capita, pruriginem cum hac ipsa Evangelii Christianique nominis ratione omnino pugnare? Itaque videmus sapientiores Pontifices acutiusque cernentes ingenue fateri non dubitasse nullam sibi in Regum temporalia potestatem suppetere. Innocentius III. rotundis verbis, in *cap. per Venerabilem*, pronuntiavit neminem esse cui subsit, ad temporalia quod attinet, Galliarum Rex. Revocavit Clemens V. Bonifacii VIII. Bullam qua Pontifex hic contendebat suæ ipsius auctoritati Principes subdere. Innocentium IV. ipsum eo mœrore perculerunt mala quæ ejus in Fridericum imperatorem facinus in ipsum totamque Italiam invexit, ut ei vita gravis evaderet, cuperetque se nunquam de eo deponendo Principe cogitasse; refert id Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Et sane infelix ausum hoc originem præbuit Guelforum & Gibellinorum factionibus quæ per tria & amplius sæcula Italiam vastarunt; atque id omnino potest ex ejusmodi conatibus expectari, qui nihil unquam aliud quam perturbationem, confusionem, incommoda, bella, verbo, omnis generis mala in Ecclesiam ac civile regimen inferent. *Reg. Tom. XXVIII. Lal. Tom. XI. Hard. Tom. VII.*

Concilium Biterrense, an. 1246.

Guillelmus de la Broue, archiepiscopus Narbonensis, concilium hoc cum suæ provinciæ episcopis celebravit, in eoque Collectionem edidit canonum quadraginta sex qui e superioribus conciliis, videlicet, generali Lateranensi quarto, Narbonensi an. 1228. & Avenionensi deprompti erunt. In eodem condidit, in ejus regionis inquisitorum gratiam, constitutiones triginta septem, *consiliorum* nomine, quæ iisdem manuductio, seu directorium veluti quoddam sunt. *Ibidem.*

Concilium Valentinum, in Delphinatu, an. 1253.

Petrus, Cardinalis-episcopus Albanensis, & Hugo, cardinalis-presbyter titulo S. Sabinæ, habuere concilium hoc, mense Decembri an. 1248. Provinciarum Narbonensis, Viennensis, Arelatensis & Aquisextiensis episcopis constabat cœtus. In eo superiorum conciliorum in clericos publica officia in sæcularibus jurisdictionibus obeuntes, in perjuros, in sacrileges, in veneficos, in clericorum homicidas instaurata statuta; in eodemque imperator quoque Fridericus ejusque fautores excommunicatione perculsi.

Concilium Salmuriense an. 1253.

Petrus de Lamballio, archiepiscopus Turonensis, habuit concilium hoc in abbatia S. Florentii Salmuriensis, ineunte mense Decembri an. 1253. in eoque edidit apprime utilia statuta triginta duo.

1. In omnibus cathedralibus & collegiatis ecclesiis horæ canonicæ, qua decet, religione recitabuntur, & unus e choris non prius versiculum inchoabit, quam antecedentem versiculum alter absolverit.

2. Archidiaconis, archipresbyteris, decanis ruralibus aliisque id erit curæ, ut sanctuarium, fontes, sancta olea, sanctum chrisma, clave apposita, conclusa sint; & sacramenta frequentibus in locis, potissimum vero in urbibus cum reverentia deferantur.

3. Corporalia presbyteri superpelliceo induti, & in nitidiore vase, ad hunc usum designato detergent; aqua vero quæ primæ ablutioni inservierit, in piscinam injicietur. Altaris & presbyterorum lintea lavabit femina aut puella seorsim a linteis cæteris, & opera dabitur, ut ea probe sarta tecta serventur.

4. Librorum, vasorum, vestium, ornamentorum aliarumque ad Ecclesiæ usum mobilium rerum inventarium fiet, fideliterque singula custodientur. Archidiaconi, archipresbyteri & rurales decani qui culpæ hac in re suberunt, suspendentur; nec ante sententia relaxabitur, quam solidos decem, singularum ecclesiarum in quibus erit de eorum negligentia querendi locus, fabricæ addicendos solverint.

5. Archidiaconi ad diaconatum, & archipresbyteri, itemque rurales decani ad presbyteratum se intra annum promovendos curare debebunt.

6. & 7. In ecclesiis earumve porticu ad lites tribunalia non aderunt; nec archidiaconi aliive inferiores prælati coram episcopo pro tribunali sedebunt.

8. Officiales seu approbatos, extra urbem, archidiaconi, archipresbyteri, rurales decani, aliive inferiores præsules non habebunt; nec iidem de matrimonii, simoniæ aliisque causis ad degradationem seu depositionem tendentibus, sine expresso proprii episcopi mandato, cognoscent.

9. In præsules interdictio, ne exigant pecuniaria stipendia, procurationum nomine. Procuratio, seu diversorium nocturnum iis tantum debetur, qui suas ipsi per se visitationes peragant.

Contingebat interdum, ut præsules qui in parochialibus aliisque ecclesiis visitationis jure gaudebant, procurationes duas seu stipendia duo ab iisdem ecclesiis exige-

exigerent; unum ex numerata pecunia extra visitationis tempus; alterum ex cibariis, ipso suarum visitationum tempore. Hunc ergo abusum damnat synodus, mandans, ut nullum præsules stipendium extra suarum visitationum tempus accipiant; ipsoque visitationum tempore, hospitioque & alimento, ecclesiarum quas visitabunt, impensis, contenti sint.

10. Renovatur concilii apud Castrum Gontherii, an. 1231. habiti canon sextus qui canonicorum numerum definitum statumque vult, prohibetque, ne præbendæ ad augendum canonicorum numerum in partes secentur.

11. Non recipietur quisquam canonicus qui non in legitimo matrimonio natus sit.

12. Prælati non nisi manifestæ necessitatis titulo subsidium petere, illudque non nisi moderatum & ex charitate accipere debent.

13. Abrogantur pensiones quas præfatorum nonnulli parœciis imposuerant.

14. & 15. Regulares servabunt constitutiones quæ ad eos spectantes in summorum Pontificum litteris continentur; earumque exemplar, vulgari lingua, cuique monasterio præsto erit.

16. & 17. Peculii nihil habebunt monachi, nec se litigiis miscebunt quæ sæculares afficiunt.

18. Abbates regularia loca laicis nec ad vitam nec ad tempus tribuent.

19. Adigentur, per censuram, abbates, ut veterem monachorum numerum in unoquoque monasterio restituant.

20. Veteres pensiones prioratibus impositos non augebunt.

21. Cum prioratus aliquos vacare contigerit, impedient, ne spolientur, novisque prioribus eorumque confratribus, ad proximam messem usque, sustentandis prospicient. In id etiam incumbent, ut prioratuum ædes reparent, & sartas tectasque servent.

22. Abbates, priores aliique religiosi nullum depositum extra monasterium habebunt.

23. In clericos interdictio, ne mercaturæ se immisceant, ullumve societatis contractum cum mercatoribus ineant.

24. Ecclesiastici judices non multiplicabunt citationes, commissis personis pluribus, ut, quos maluerint, indiscriminatim apud eos in jus vocent.

Ecclesiasticorum judicum eos spectat canon hic qui presbyteris sibi subjectis vendebant, quoscunque voluissent, apud eosdem citandi jus.

25. & 26. Interdictio, sub excommunicationis pœna, ne ecclesiasticæ jurisdictionis exercitatio, aut sententiarum executio per minas, terrores ac facta turbetur.

27. Renovatur clandestinorum matrimoniorum prohibitio, pluribus rationibus nixa, cujusmodi sunt animarum detrimentum, discordiæ, bella & homicidia quibus ea occasionem præbent. Ad annorum trium suspensionem damnatur quicunque e clericis aliquam rationem inierit quæ eadem firmare possit, & contrahentibus pecuniaria pœna, ad Episcopi voluntatem, imponitur.

28. Damnatur abusus eo tempore communis inter episcopos, ut parœcias plures in commendam conferrent clerico qui jam unam in titulum possidebat. Eum synodus beneficio privat qui ex hoc abusu illud acceperit, & collatori, hac vice tantum, illud conferendi potestatem adimit.

29. In episcopos interdictio, ne redditunm ad parochiales ecclesias pertinentium partem sibi vindicent, easve novis pensionibus onerent.

30. Instauratur Turonensis concilii canon qui beneficiarios, aut in sacris ordinibus constitutos clericos vetat suis naturalibus filiis suisve concubinis quicquam legare. Ejusmodi legata addicentur ecclesiæ.

31. Beneficiarius cui de sacerdotali præbenda provisum fuerit, eam retinere non poterit, quin se presbyteratu initiandum curet, ac tamquam presbyter eidem deserviat.

32. Servabuntur, sub excommunicationis pœna, provincialia statuta omnia ab archiepiscopis præscripta, qui Petrum de Lambellio antecesserunt. Memoratur concilium alterum quod eodem anno 1253. in Castro Gontherii idem archiepiscopus habuit. Ejus unum tantum statutum affertur in eos editum qui apostolicis litteris abutebantur. *Reg. Tom. XXVIII. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VII.*

Concilium Albiense, an. 1253.

Zoenus, episcopus Avenionensis & sanctæ Sedis legatus, habuit concilium hoc una cum Narbonensis, Bituricensis & Burdigalensis provinciarum episcopis numero pluribus. Eo potissimum spectabat concilium hoc, ut Tolosani, an. 1229. habiti, aliorumque quæ eodem referebantur, decreta renovaret. Conficiuntur hinc canones unus & septuaginta quos repetere inutile esset. *Ibidem.*

Concilium Biterrense, an. 1255. *vel* 1256.

Guillelmus, archiepiscopus Narbonensis, suis cum suffraganeis hanc synodum celebravit, cui etiam abbatum, baronum & equitum indigenarum plures adfuere; ibi rex Sanctus Ludovicus legi jussit statuta triginta duo quæ omnia a synodi patribus approbata fuere.

Priora novem Senecallos, Præfectos aliosque officiarios spectant; quos nempe jubent jurejurando promittere se nullum illicitum lucrum facturos; nullum donum directe vel indirecte accepturos, iis exceptis quæ ex urbanitate dantur, cujusmodi cibaria sunt, quorum valor parisienses solidos decem non superet; non passuros cuipiam ex eorum familia, seu domesticis largitiones conferri; officiariis superioribus nihil daturos, &c.

10. His ipsis officiariis mandat, ut ab omni verbo abstineant quod parum erga Deum, ejus matrem sanctosque in cælis regnantes obsequio consonum sit.

11. Omnes officiarios vetat ullam terram, dum munus obeunt, sine regis venia, in suæ jurisdictionis loco emere.

12. Iisdem officiariis totique eorum domui matrimonia cum personis ex eorum senecallatu seu præfectura, sine regis venia, interdicit.

13. Nocturna diversoria & procurationes in monasteriis concedendi jus uni regi tribuit.

14. Articulos duos, decimum secundum & decimum tertium explicat, iisque exceptionem apponit.

15. Et sequentia octo eo spectant, ut impediant, ne provinciæ, inferiorum officiariorum multitudine præter modum onerentur, aut per eorum qui justitiæ præsunt, prævaricationes vexentur.

23. Renovat statuta jam edita, ut Judæorum impietatibus & usuris frenum adhibeatur.

24. Aleas vetat & peculiariter tesserarum academias, easque confici prohibet, & in negotiationem deduci.

25. Cauponas omnibus præter quam viatoribus interdicit.

26. Mulieres aut puellas quæ pravis moribus sint, seu in agris, seu habitatis in locis ferri non vult, sed, post editas monitiones, quicquid eædem possident, occupari, eumque qui scienter suam iis domum locaverit, pactum unius anni redditum loci præfecto solvere.

27. Et sequentia duo Judæorum usuras spectant; ibique quicquid ultra sortem est, usura appellatur.

30. Privatorum hominum equos adhiberi vetat, præter quam ad regis servitium, cum equi conductitii non sufficiunt; & in hac ipsa facti specie, mercatorum, transeuntium, pauperum equis parcendum, & ad divites tantum pergendum est.

31. Id quoad ipsum regem vetat, nisi ejus expressum mandatum adsit, siquidem equi ad ecclesiæ personas pertinent.

32. Declarat Regem, super his omnibus capitibus, explicandi, mutandi, corrigendi, addendi, adimendi quod e re fore judicaverit, potestatem sibi reservare. *Ibid.* & Balutius in Concil. Gall. Narbon.

Concilium Burdigalense, an. 1255.

Concilium hoc quod proprie non est nisi Burdigalensis cleri synodus, habitum fuit Aprilis die 13. an. 1255. a Gerardo de Malemort, ejus urbis archiepiscopo, qui in eo statuta edidit quæ sequuntur.

1. Clerici quibus ecclesiæ sunt, in iis residebunt, & se statis temporibus ad recipiendos ordines sistent, secus eam pœnam subituri, suis ut beneficiis priventur.

2. & 3. Parochi & presbyteri quempiam in ecclesiis stipem quæritare non sinent, sine archiepiscopi aut sanctæ Sedis mandato; neque vero exteros clericos, sine episcopi venia, recipient.

4. A sancta Sede missæ litteræ executioni non mandabuntur, cum magna fuerit præscripti temporis elapsa pars.

5. Non dabuntur hostiæ consecratæ infantibus die Paschatis, sed panis benedictus tantum.

6. Perscribent parochi suis in missalibus, bonorum quæ ad singulorum ecclesiam pertinent, inventarium, eaque sine episcopi consensu alienare non poterunt.

7. Presbyteri non dabunt laicis reliquias super quibus jurent, quibus temporibus super Evangeliis jurare veti-

vetitum est, præter quam pacis ergo. Jam vero tempora hæc quibus super Evangeliis jurare prohibitum, sunt a Septuagesima ad Pascha, ab Adventus initio ad Epiphaniæ octavam usque, in Rogationibus, omnibusque per annum Dominicis diebus.

8. Presbyteri nullam litem, nisi episcopo consentiente, apud laicos judices aggredientur.

9. Non amplius suis e capsis extrahentur reliquiæ, nec venales exponentur; novis honos sine Papæ approbatione non deferetur.

10. Clerici de criminalibus causis nec cognoscent, nec judicabunt.

11. Excommunicatis absolutio in mortis articulo non conferetur, quin fecerint adversariis satis, aut se facturos, dato sponsore, promittant. Qui eos aliter absolverint, ipsi obligationi suberunt.

12. Non agentur causæ in religiosarum claustris, in interdicti pœnam.

13. Laici qui possident tenentve decimas, excommunicatione plectentur & ecclesiastica sepultura privabuntur.

14. Statutum hoc & sequentia ad 25. usque, decimas, novales aut primitias & ipsa spectant; declaratur novales ad parochos pertinere. Vetatur, ne decimæ oppignerentur aut alienentur; &, præter decimas, statuitur, ut laici solvant etiam primitiarum jus, quæ pars est tricesima, quadragesima aut quinquagesima.

25. Privantur ecclesiastica sepultura laici qui nolunt debita jura parochis solvere.

26. Interdictio, ne quid ob sacramentorum administrationem, vel ob beneficiorum collationem exigatur.

27. Proscribent domini, sub excommunicationis pœna, laicorum excommunicatorum bona, qui, presbyterorum ingratiis, ecclesiam ingrediuntur, & divinum officium perturbant.

28. Qui, quadraginta dierum spatio, in excommunicatione perstant, novem librarum mulctam solvent.

29. Confratres, e quacunque confraternitate fuerint, neminem in societatem recipient, sine expresso capellani consensu.

30. Haud magis iidem nova statuta condent, nullumque sibi caput eligent, sine parochi consensu. *Ibidem.*

Concilium apud Pontem Audemari, seu, *Audomari, Audemarense, Audemarense, an.* 1257.

Concilium hoc quod Septembri mense habitum fuit, edidit, seu instauravit antecedentium conciliorum constitutiones viginti.

13. Monachos vetat solos ubi ubi degere.

14. Mandat, ut monachi qui in prioratibus non conventualibus commorantur, abstinentiam & jejunia secundum Papæ Gregorii constitutiones servent.

15. Eosdem vetat cum sæcularibus sine peculiari episcopi venia versari.

17. Declarat rurales decanos nullam nisi de scripto excommunicationem ferre posse.

20. Presbyteros ait nullam excommunicationem generatim & sine canonicis monitionibus pronuntiare posse, nisi cum de furto aut de amissis rebus agetur. Bessinius, in *Concil. Normann.*

Concilium Copriniacense, seu, *de Copriniaco, an.* 1258. seu, 1260.

Gerardus de Malemort, archiepiscopus Burdigalensis, habuit concilium hoc, in eoque edidit statuta viginti novem.

1. In parochos, excommunicationis statuta pœna, interdictio, ne aliorum parochorum subditos, dominicis festisque diebus, suas in ecclesias recipiant.

2. In eosdem parochos interdictio, ne aliarum parœciarum incolas suis in parœciis sepeliant.

3. Renovatur decimus nonus concilii an. 1238. apud Campinacum habiti canon.

4. Excommunicati, interdicti aut suspensi, quoad absolutionem susceperint, in censuræ locis manebunt, tametsi cum adversariis convenerint.

5. Renovatur concilii, an. 1238. apud Campinacum habiti, canon vicesimus, contra religiosorum peculium; & sequentia quoque statuta, ad 18. usque, canonum ejusdem concilii repetitiones sunt.

18. Presbyteri qui suspectas feminas suis in domibus, aut alibi, licet moniti, retinuerint, excommunicationem a Legato in ejusmodi presbyteros latam subibunt.

19. Servabuntur omnia præcepta jejunia, quadragesimalis in modum, exceptis hebdomadæ Pentecostes jejuniis in quibus, ob festi dignitatem, ova & caseum edi licebit. Per totam Ascensionis hebdomadam omnino a carnium usu abstinebitur, præter quam Ascensionis ejusdem die.

20. Vetabunt parochi, excommunicationis indicta pœna, ne carnes prima Quadragesimæ die dominica comedantur.

21. Fit præceptorum dierum festorum enumeratio, quos inter ponuntur hi: S. Lucæ, S. Marci, S. Martialis, S. Eutropii, S. Georgii, Conversionis S. Pauli, Cathedræ S. Petri, Transfigurationis, S. Nicolai, sanctæ Catharinæ, sanctæ Mariæ Magdalenæ, &c. statuitur etiam, ut dominica dies ab una ad aliam vesperam celebretur, hoc est, a sabbati vespere ad dominicæ ipsius vesperas.

22. Numerus Præfationum Missæ ita finitur, ut eæ non plures quam decem sint, quemadmodum in nostris Missalibus etiamnum sunt.

23. In laicos, sub excommnicationis pœna, interdictio, ne sibi locum una cum clero in choro sumant, divini officii tempore.

24. Feminæ quæ veutrem gerunt, ei legi suberunt, ut, cum erunt puerperio proximæ, confessionem edant & communionem suscipiant.

25. Publicos fornicatores parochi excommunicatos denuntiabunt.

26. Se perinde cum iis gerent qui mercatus & nundinas, dominicis festisque diebus, frequentant, aut qui per continuos tres dominicos dies a suis parœciis recedunt, aut qui boves diebus dominicis plaustro subdunt, quin vera necessitas subsit.

27. Excommunicatos etiam generatim parochi pronuntiabunt eos omnes qui Ecclesiæ, quacunque tandem ratione, injuriam inferunt.

28. Prohibetur, excommunicationis indicta pœna, ne quis baro, dominus, aliusve Ecclesiæ ædificia aut prædia usurpet, occupet, aut occupanda curet.

29. Solemnem in modum baptisma in Paschate tantum & Pentecoste conferri debet, nisi forte magnus puerorum qui baptizandi sunt, numerus postulet, ut iidem aliis temporibus baptizentur.

30. Præcipiuntur ob sacrum bellum preces.

31. In feminas, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne recens natos pueros secum in lecto teneant. Si quem puerum, in hac facti specie, perire contigerit, qui quæve ejus morti per suam negligentiam occasionem præbuerint, ad episcopum, vel ad episcopi confessarium (*vel ad suum confessorem*), hoc est, ad pœnitentiarium remittentur, suæ ut culpæ absolutionem obtineant.

32. Qui a sedis apostolicæ delegato jussi fuerint aliquem in jus accire, non id facient, quin authenticum suæ commissionis exemplar exhibeant.

33. In ebriosos clericos officii & beneficii privatio decernitur.

34. Traduntur regulæ quoad quæstiones quasdam quæ super luxuriæ peccato proponi debent.

35. Repetitur monachos abstinentiam servaturos esse.

36. Repetitur etiam in eos excommunicatio, qui mercatus & nundinas, dominicis festisque diebus, frequentant.

37. Negotiatio clericis interdicitur.

38. Clerici conjugati ecclesiasticam jurisdictionem exercere non poterunt.

39. Sepeliri non poterunt, sine episcopi venia, in ecclesiis alii quam fundatores, patroni & parochi. Prohibetur quisque sæcularis seu regularis sacerdos, sub excommunicationis pœna, sponsalia aut matrimonia, quin parochus unius contrahentium peculiarem facultatem concesserit, celebrare. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VII.*

Concilium Raffiacense, an. 1258.

Gerardus de Malemort, archiepiscopus Burdigalensis, una cum suæ provinciæ episcopis, concilium hoc, Augusti mensis die 21. celebravit, in quo decreta seu capitula decem condidit.

Horum priora quatuor in eos feruntur qui Ecclesiæ jurisdictionem turbant, qui ejus jura seu libertates violant; qui invadunt ejus bona, aut ejusdem censuras contemnunt.

5. Inhibet ecclesiasticorum cuique, ne agat aut respondeat in sæculari foro, quoad negotia quæ Ecclesiam spectant; atque id in excommunicationis ipso facto subeundæ pœnam in delinquentes, itemque in magistratus aliosve qui ad id eosdem adegerint.

6. Ab advocati munere, in sæcularibus curiis, omnem religiosum, omnem beneficiarium, & quemvis alium clericaturæ addictum arcet.

7. Inter episcopatus officia refert illud operam dandi, ut ultimæ defunctorum voluntates executioni mandentur; eaque mente, legitimi testamenti conditiones notat

notat in eo positas, ut illud coram parocho nonnullisque fide dignis testibus conficiatur.

8. Rationem statuit qua cum excommunicatis morti proximis agendum est, quibus nempe absolutio nisi post integram, siquidem ei pares sunt, satisfactionem conferri non debet.

9. Sanctæ Sedis commissarios docet, quid in suæ commissionis executione servare debeant.

10. & ultimum vetat in ecclesia locisve claustralibus ad civilia negotia & ad lites tribunalia, ne clamores & quicquid a forensibus contentionibus sejungi nequit, mentis avocationem inducant. *Ibid.*

Concilium Montis Pessulani, seu, *Monspelliense*, *an.* 1258.

Jacobus, archiepiscopus Narbonensis, ejusque suffraganei celebrarunt concilium hoc, in eoque edidere canones octo.

1. Eos communione privat qui ecclesiarum Ecclesiasticarumque personarum jura & libertates violant.

2. Prohibentur episcopi eos ad tonsuram recipere qui ex ipsorum diœcesi non sunt; jubenturque hanc iis tantum conferre qui viginti annos nati eam composito ad pietatem animo petunt, quibus id consilii est, ut Ecclesiæ deserviant, qui denique aliqua ex parte, clericali scientia imbuti sunt.

3. Clerici qui non vivunt, ut clericos decet, quique alicui negotio vacant, immunitates & privilegia quibus gaudent, amittunt.

4. Qui se sanctæ Sedis delegatos aut subdelegatos dicunt, suam commissionem ante probabunt quam ejus usum faciant.

5. Usuras exigere Judæi non poterunt.

6. Quæstuantibus litteras quibus ad eleemosynam quæritandam nitantur, episcopi dare non poterunt, nisi eas quæstuantes ipsi a metropolitano jam obtinuerint.

7. Jubentur Episcopi constitutiones has servandas curare, suisque in synodis enuntiare.

8. Mandatur, ut decretum in eos editum qui sibi sumunt Ecclesiæ bona, dominicis diebus singulis pro concione indicatur. *Ibid.*

Concilium Coloniense, *an.* 1260.

Conradus, archiepiscopus Coloniensis, suis cum suffraganeis, die 12. Martii, concilium hoc celebravit, in eoque, ad ecclesiasticorum quidem, quatuordecim, ad monachorum autem Benedictinorum reformationem, viginti octo canones edidit.

Ad ecclesiasticos spectantes canones.

1. Adigentur, per censuras, clerici concubinarii, suas ut concubinas ejiciant, & faciant Ecclesiæ satis, si Christi Domini patrimonium dissiparunt. Iidem vetantur adesse suorum filiorum nuptiis, iisque quicpiam legare.

2. Avaritia & negotiatio clericis interdicitur.

3. Iisdem mandatur, ut saltem legere Deique laudes canere sciant; qui vero nescierint, idoneis viris uti jubentur, qui eorum officio fungantur.

4. Iis commendatur, ut in vestibus modestiam præferant, & tonsuram deferant.

5. & 6. Mandatur Simoniacis quidem, ex veterum canonum mente, ut se abdicent beneficiis quæ per simoniam obtinuerunt; irregularibus autem clericis, ut ab omni obeundo officio abstineant.

7. Sua dormitoria canonici reparanda curabunt, ut ipsi in iisdem cubent, atque ita semper parati sint matutinis adsistere. Tabellam hebdomadis singulis ad chori statuendum ordinem legent. Canent defunctorum officium, etiamsi retributio nulla fuerit; Martyrologium legent; e choro ante Missæ finem non egredientur, extraque suas ædes raro comedent.

8. Qui altaris servitio addicti sunt, in ecclesia nunquam aderunt sine alba; *absque veste camisiali*, in textu legitur.

9. Omnes presbyteri obstructa indumenta gestabunt, ut se a laicis, per vestium formam perinde ac per sui status eminentiam, secernant.

10. Capellani regii, Episcopales aliique suis in ecclesiis residebunt, extra tempus illud quod eos in suorum dominorum suarumve ecclesiarum negotiis detinebit.

11. Suum cuique collegiatæ ecclesiæ pistrinum erit, ubi capituli panis singulis canonicis distribuetur.

12. Capitulorum præpositi seu præsides, pro sui muneris ratione, eo studium conferent, ut suis in capitulis perficiant, quicquid eorumdem jura, statuta, consuetudines, temporalia & spiritalia spectat; & capitula, quod in iis erit, operam dabunt, ut omnem iisdem debitum honorem deferant.

13. Interdicitur, ne canonici ad præbendas quæ nondum vacant, recipiantur.

14. Collegiatæ ecclesiæ exempta loca omnia quæ ad eas pertinent, aptis parietibus cingenda curabunt.

Canones qui ad Benedictinos monachos spectant.

1. Quæcunque monasteria ad nigros e S. Benedicti Ordine monachos pertinent, divinum officium, e sancti Patriarchæ regula, obibunt, omninoque ad altare & ecclesiastica ornamenta quod attinet, nitore potissimum & concinnitate eminebunt.

2. Monachi qui altari deserviunt, dominicis festisque diebus singulis, pro monasterii consuetudine, communicabunt.

3. Monachis proprii nihil erit, iisque quicquid necessarium fuerit, communitas suppeditabit.

4. Incontinentes severe punientur.

5. Ad omnem simplicitatem induti erunt calceatique.

6. Qui monachi graviter monachorum alium percusserint, absolutionem non nisi a sancta Sede, vel ab ejus subdelegato percipere poterunt.

7. Simoniaci punientur e regula.

8. Iis tantum quibus per regulam licet, alimentis utentur.

9. Non egredientur nisi raro, nunquam vero sine superioris venia.

10. Abbates omnibus communitatis actis, nisi legitime impediti fuerint, ut cæteri, intererunt.

11. Suos monachos proprietarios, in capitulo, semel annis singulis, sabbato ante dominicam *Lætare*, excommunicationi subdent.

12. Profugos & apostatas monachos revocabunt, nisi regula hoc genus hominum in monasterio ferri vetet.

13. Eos unus receptor hospitum suscipere poterit, nisi id etiam abbas monachorum alteri demandarit.

14. Magna cum alacritate ac fide erogabitur eleemosyna.

15. Monachi omnes & singuli, ægrotantibus aut infirmis exceptis, in uno eodemque triclinio comedent.

16. Ante primam, aut post completorium, extra magnæ necessitatis casum, monachis egredi non licebit.

17. Monachi qui ante vesperas egredientur, quamprimum redibunt, ut huic officio intersint.

18. Suus erit ad delinquentes e regula puniendos monasterio cuique carcer.

19. Qui feminam in monasterio cubare passus fuerit, severe punietur.

20. Coloniensis diœceseos monachi suum hac in urbe capitulum quotannis habebunt.

21. & 22. Abrasi tonsique, ut decet, erunt monachi, nec plumeis lectis utentur.

23. Monachus qui abfuerit, nihil eorum quæ absentiæ suæ tempore non percepit, sibi compensationis in modum petet.

24. Monachi jejunia per regulam præscripta servabunt.

25. Monasteriorum officiarii, saltem semel in anno, abbati & senioribus suæ administrationis rationem reddent.

26. Nuptiis nunquam monachi intererunt; at proximorum consanguineorum exequiis, cujusmodi fratres & sorores sunt, interesse poterunt.

27. Nullam ad altare oblationem edent.

28. Suas singuli regulas custodient quoad clausuram, silentium, divinum officium, &c. *Ibid.*

Concilium Arelatense, *an.* 1260.

Florentius, seu Florentinius, archiepiscopus Arelatensis, una cum suæ provinciæ Episcopis, habuit concilium hoc, ubinam, haud nobis constat; neque enim illud Arelate habitum; canones quidem septemdecim in eo editi.

Horum canonum præfatio de Joachimitarum doctrina fuse agit. In ejus exordio præclaris laudibus effertur examinis in fidei quæstionibus ineunda ratio, ut conciliare judicium conficiatur; „ examinis, inquam, „ in quo, e veterum patrum sanctorumque Episcopo- „ rum deliberatione, contra pseudo-sapientum frivo- „ las ratiocinationes, exquiritur definiturque, quæ „ demum doctrina sit fere e primi pastoris qui de cæ- „ lo descendit, sinu deprompta, perque terrarum or- „ bem ab ejus Apostolis disseminata. Sunt hæc nimi- „ rum conciliorum examina & judicia quibus traditio, „ seu potius immutabilis series traditionum Ecclesiæ „ con-

„ continetur. Usui fuit hactenus adjumentum hoc, „ quam sæpe impediri necesse fuit, ne coorta schismata & hæreses latius serperent; per hoc eorum detecta levitas atque adeo falsitas; damnatæque & proscriptæ novitates sanæ doctrinæ contrariæ."

Exponitur deinde Joachimitarum doctrina qui pro suis absonis notionibus ternaria plura somniabant. Primo & supremo sanctæ Trinitatis ternario addebant alia non aliunde quam ex eorum imaginationis deliramentis ducta; primum conjugatorum hominum, sub Patris regno; est hic veteris Testamenti status; alterum clericorum, sub Filio; tertium monachorum, sub Spiritu sancto. His addebant ternarium aliud, consecratum ex legibus tribus, Mosaica, Christiana, eaque quam *æterni Evangelii* legem vocabant. Dabant primum Patri, secundum Filio, tertium Spiritui sancto. Hoc tertium tempus quod *majoris gratiæ & revelatæ veritatis* tempus nuncupabant, ab an. 1260. incipere & ad mundi finem usque perdurare debebat. Hoc ipsum tertium tempus spiritui, veritati, seu unitati a sacramentorum umbra & velo solutæ prorsus addictum erat, ut proinde nulla amplius esset per Jesum Christum redemptio, nulla amplius sacramenta in Ecclesia, figuræ nullæ, signa denique omnino nulla. Doctrina est hæc a qua Christianus quisque abhorrere debet, inquit concilium, quandoquidem nos fides docet Sacramenta invisibilis gratiæ visibiles imagines esse; imagines, inquam, sub quibus Dei Filius constanter usque ad mundi finem se nobiscum remansurum promisit. Damnat deinde synodus *æterni Evangelii* librum in quo errores hi continentur, commentariosque & scripta omnia quæ super hac re in ejus manus inciderunt. Atque is quidem est concilii canon primus.

2. Parochis mandat, suos ut parochianos de baptismi necessitate moneant, iisque illius conferendi, in urgenti facti specie, rationem tradant.

3. Pronuntiat eos qui confirmationis sacramentum seu administrant, seu recipiunt, jejunos esse oportere, lactentibus exceptis infantibus, itemque excepto necessitatis casu.

4. Matrimonium absque Ecclesiæ auctoritate contrahi vetat.

5. Perpetuos saltem vicarios in parochialibus ecclesiis omnibus adesse jubet.

6. Trinitatis festum diei dominico Pentecostes adjicit.

7. Ligneas faces in ecclesiis adhiberi vetat, cereasque deinceps adhibitas vult.

8. Judæos prohibet cappis & tunicis indutos incedere, aut in vestitu quicpiam cum presbyteris habere commune, iisdemque mandat, ut se a Christianis per aliquas notas secernant.

9. Clericos beneficiarios vetat advocati officio in laicis tribunalibus fungi, præter quam in Ecclesiæ, pauperum, viduarum & orphanorum gratiam.

10. Monachis & canonicis regularibus interdicit, ne quid salarii pro prædicatione seu ab auditorio ipso, seu a magistratibus per urbes & vicos constitutis accipiant; & id quidem, suspensionis indicta pœna.

11. Regularibus canonicis commendat aliqua regularitatis capita, sui ut patris S. Augustini regulam ad apicem exequantur; exempli causa, an recte se gerant, cum in triclinio comedunt, Adventus tempore aliisque in textu notatis (qui hoc in loco mendosus est). Mandatum, ut iidem equitantes clausum habitum uniformem & regularem ferant; utanturque ephippio albo, textove xylino, sine stragulo. Refractarii arcebuntur a communi mensa per dies octo, ac tum quidem comedent, humi sedentes, id quod iis tribui libitum fuerit.

12. Abusum corrigit ad quem equites S. Joannis Hierosolymitani & equites Templi sua privilegia trahebant, dum amicis quos inter & præsules dissidia erant, ordinis S. Joannis aut Templi notas & insignia dabant, ut eos, hac ratione, ordinariorum correctioni subtraherent. Pronuntiat concilium signa hæc impedimento non fore, quominus prælati per commune jus eos arrogantes clericos punire possint.

13. In hospitalibus religiosas personas statui jubet, quibus eorum cura sit.

14. Fidem actis adhiberi non vult per quæ pecuniam episcopus mutuatur, nisi ejus sigillo firmata sint.

15. Religiosos vetat suas in ecclesias dominicis festisque diebus laicos admittere, & parochialium officiorum tempore concionari.

16. Pœnitentiarios in parœcias missos, ut a reservatis casibus absolvant, hos tantum causas in confessione audire vult, & ad parochos quoad alios remittere.

Is olim mos obtinebat, ut pœnitentiarii missionarii, nempe presbyteri quibus erat a casibus episcopis reservatis absolvendi potestas, in urbes & vicos, per Quadragesimam, mitterentur; quod bene multis occasionem præbebat, ut eam cui suberant, propriis parochis confitendi obligationem eluderent, ajentes iis se missionariis pœnitentiariis sua omnia peccata confessos esse. Ut huic incommodo occurreret, impediretque, ne annuæ apud proprium presbyterum, id est, parochum confessionis præceptum infringeretur, statuit Arelatense concilium, ut pœnitentiarii ad absolvendum a reservatis casibus in parœcias missi reservatos eos tantum, in confessione, casus audirent, ad parochos autem quoad alios remitterent: *Inhibemus*, inquit concilium, *ne confessores hujusmodi qui mittuntur solummodo ad prædicta* (casus reservatos), *per villas & parochias diœcesis discurrentes, generalibus parochianorum confessionibus audiendis se ecitupent . . . . sed eos ad proprios remittant sacerdotes, & casibus pro quibus mittuntur, pœnitentes absolvant; ne ipsi parochiani mandatum de confitendo saltem semel in anno propriis sacerdotibus, simulatorie & dolose se gaudeant evasisse*. At difficultatem, eamque haud levem exhibet statutum hoc, e quo nempe consequens fit confessionem posse bifariam dividi, peccatis scilicet partim uni sacerdoti, partim alteri declarandis; quod falsum est, tum quia lethalis unius peccati absolutio a nemine percipi potest, quin a cæteris quoque omnibus absolutus sit, cum fieri non possit, ut eodem tempore quispiam Dei amicus & inimicus sit, tum etiam quia confessarius qui peccatorum partem tantum audisset, absolutionis formam quæ omnium peccatorum veniam complectitur, pronuntiare non posset.

PP. Tontenojus & Brumojus, Jesuitæ, Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ continuatores difficultatem eludunt, ajentes „ pœnitentiarios missionarios non debuisse nisi „ eorum confessiones audire, qui in reservatos casus „ inciderant." At liquido constat versionem hanc infidelem ineptamque esse, quippe quæ textum non reddit qui disertis verbis pœnitentiarios jubet a reservatis casibus tantum absolvere, & quoad cæteros ad presbyteros proprios remittere. Apparet ergo non esse perfugio locum, quin fateamur ingenue Arelatensis concilii patres hallucinatos esse, nec satis animo reputasse confessionem dividi omnino non posse.

17. Interdicit, ut quis armata manu, aut facto ipso, jura quæ in beneficia sibi arrogat, prosequatur, antequam ecclesiasticus judex ad quem super iisdem cognitio pertinet, pronuntiaverit.

Ex ambitione & cupiditate quæ ad usurpanda aut retinenda beneficia trahebant, innumera scandala, violentiæ atque adeo homicidia derivabantur; quod mutationi occasionem præbuit, quæ quoad eos contigit ad quos arrogatorum jurium quæ super beneficiis existere possunt, cognitio pertinet. Laici judices quam ecclesiastici antevertendis facti incommodis aptiores visi; factum hinc, ut iis de beneficiorum possessorio cognitio tribueretur; atque ad laicos ergo & regios judices, præ Ecclesiæ dominorumque judicibus, hoc sane tempore in Gallia de beneficiorum possessorio cognitio pertinet. Secti tamen sunt Canonistæ super hac controversia, scilicet, regalium ne jurium vi, an vero ex pura putaque Romanorum Pontificum concessione de beneficiorum possessorio judicent Galliarum Reges. Rebuffus, Guy-papius, aliique canonistæ bene multi in posteriore sententia sunt, & Martini V. Bullam an. 1439. super Caroli VII. significationibus datam in probationem afferunt. Contra sentiunt Du-Moulinius, aliique plures, afferuntque Regem juris vi quod ejus coronæ inhæret, non autem ob ullum privilegium, de omni seu profano seu ecclesiastico possessorio cognoscere: *Quod quidam putant judices regios ex privilegio Papæ de possessorio hujusmodi beneficiorum cognoscere . . . . . nugamentum est; Rex enim in regno suo supremus dominus & judex est omnium possessionum & judiciorum possessoriorum . . . . . . Et sic jure suo proprio cognoscit, immo etiam quandoque de petitorio, ut in vacantibus in regalia, quorum collator & cognitor est ratione coronæ suæ, non autem ex alterius cujusvis, etiam Pontificum privilegio*. Molin. *in Edict. contr. parv. dat. art.* 1. *tit. & num.* 3. Addunt auctores hi Martini V. Bullam profiteri regios judices in Gallia ante omnem memoriam de beneficiorum possessorio cognovisse, nedum iis hujusmodi cognitionis privilegium concedere. *Hard. Tom. VIII.*

Concilium Copriniacense, *an.* 1260.

Petrus de Roscidavalle, qui an. 1259. Gerardo de Malemort in Burdigalensi archiepiscopatu successit, habuit concilium hoc in quo statuta quæ sequuntur, edita fuere.

1. Interdictio, ne in ecclesiis aut cœmeteriis habeantur

beantur cœtus qui *vigiliarum* nomine designantur, propterea quod in iis inhonesta quædam atque adeo homicidia contingunt, quorum causa episcopos ad ecclesiarum reconciliationem vocari necesse est; permittuntur tamen luminaria aliique pietatis usus qui servari consueverunt.

2. Mandatur, excommunicationis indicta pœna, ut aboleantur choreæ celebres & saltationes quæ Sanctorum Innocentium festo die in aliquibus ecclesiis peragebantur, abrogeturque in eo posita consuetudo, ut eodem die quidam homines eligerentur quibus nomen *episcopi* tribuebatur.

3. Mortuorum beneficiariorum successoribus reservabuntur vacantium ecclesiarum redditus.

4. Vacantium beneficiorum commendæ & collationes ad episcopum vel ad archiepiscopum pertinebunt.

5. Parochi suorum confratrum parochianos, sine eorum venia, in matrimonium non jungent.

6. Ad sanctorum mysteriorum celebrationem non admittentur alterius diœcesis presbyteri, & id quidem sub excommunicationis pœna tum inadmittentes, tum id admissos.

7. Prohibetur, anathematis indicta pœna, gallorum bellum quod erat ludi genus, cujus tunc usus in scholis & alibi.

8. Presbyteri & ecclesiasticorum alii quibus aliqua dignitas vel administratio est, clausas cappas deferent.

9. Sub anathematis pœna, interdictio, ne sanctum chrisma tribuatur exemptis qui diœcesano episcopo, quod debent, reddere nolunt, & ne iis sacramenta administrentur qui ex eorumdem jurisdictione sunt.

10. Beneficiarii qui absunt studiorum ergo, aut legitima alia de causa, cum proprii episcopi venia, suis in beneficiis vicarios ponent, iis designantes, ad sustentationem, pensionis satis.

11. Patroni parochis a se pendentibus congruas portiones relinquent.

12. Qui prioratus habent, detinebunt in singulis monachos duos.

13. Parochi alias sibi locatas ecclesias non tenebunt, sine peculiari episcopi venia.

14. Instauratur interdictio, ne novæ pensiones ecclesiis imponantur.

15. & 16. Interdictio, ne quis extra parœciam sepulturæ detur, sine parochi venia.

17. Sua singulis parochis peculiaris domus erit, in qua permaneant, ut semper, cum de eorum ministerii functionibus agetur, in promptu sint.

18. & 19. Renovantur præcedentium conciliorum super decimis constitutiones; injungiturque parochis, excommunicationis & beneficiis privationis indicta pœna, ut sibi novalium possessionem vindicent. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Lambethense, *an.* 1261.

Bonifacius, archiepiscopus Cantuariensis, hoc suæ provinciæ concilium, Majo mense ineunte, habuit, in quo super immunitatibus, privilegiis & libertatibus Ecclesiæ Anglicanæ edidit statuta plura. Quædam etiam occurrunt in eodem concilio statuta quæ super intrusis, excommunicatis, judiciis & officiariis ecclesiasticis, super clericis quos laici veneno necandos curant, super falsis delatoribus, super obstricta per jusjurandum fide fore, ut episcopo de diœcesanorum criminibus interroganti respondeatur, super ecclesiarum asylis, super testamentis, confessione, pœnitentia, tonsura & corona clericorum versantur. *Ibid. & Anglic. Tom. I.*

Concilium Copriniacense, *an.* 1262.

Petrus de Roscidavalle, Burdigalensis archiepiscopus, una cum suæ provinciæ episcopis, habuit concilium hoc, in eoque constitutiones septem edidit quæ sequuntur.

1. Loca in quibus ecclesiastici, vi facta, retinebuntur, interdicta erunt.

2. Quicunque ecclesiasticam jurisdictionem turbant, excommunicatione plectentur.

3. Barones, domini & judices per censuras ecclesiasticas adigentur, ut eos qui excommunicationes contemnunt, ad Ecclesiæ communionem redire cogant.

4. Excommunicatis absolutio, nisi satisfecerint & restituerint, non conferetur.

5. Parochiani ad officium in ecclesia interdicta, per omne interdicti tempus, pergere prohibebuntur.

6. Archidiaconi, archipresbyteri & decani suorum beneficiorum servitium vicariis demandare non poterunt.

7. Mandatur, ut hæ constitutiones quotannis in synodis enuntientur. *Ibidem.*

Concilium Burdigalense, *an.* 1262.

Celebravit idem archiepiscopus concilium hoc, in eoque edidit septem statuta hæc.

1. Excommunicati, quoad absolutionis litteras a proprio episcopo acceperint, in excommunicatione permanebunt.

2. Qui per anni spatium excommunicati perstiterint, hæretici censebuntur.

3. Parochus alterius parochianum sepulturæ non dabit.

4. Eos qui congruam ætatem habent, hortabuntur parochi, ut episcopo, visitationis tempore, ad confirmationem suscipiendam se sistant.

5. Eorum qui clandestina matrimonia contrahent, ministri & testes excommunicati erunt, suisque ab officiis & beneficiis suspensi. Matrimonia clandestina censentur, cum facta non sunt a viri aut feminæ proprio parocho seu pastore, ex alterius consensu.

6. Præsto erit in sua parœcia cuique parocho excommunicatorum catalogus.

7. Excommunicationis absolutio non nisi a judice qui excommunicationem ipsam tulerit, conferri poterit; ac si excommunicatum mori contigerit, ab hoc judice, post ejus mortem, absolutio petetur. *Ibidem.*

Concilium Nannetense, *an.* 1264.

Vincentius de Pilennes, archiepiscopus Turonensis, habuit concilium hoc in Nannetensi urbe cum suæ provinciæ episcopis, feria post festum Apostolorum Sancti Petri & Sancti Pauli. Edidit concilium sequentia statuta novem.

1. Patroni seu collatores non id recipient, ut ad beneficium præsentent, seu nominent quod nondum vacat, in nullitatis obstrictæ fidei, & canonicæ punitionis pœnam.

2. Monachorum numerus, qui in prioratibus existunt, non imminuetur.

3. Clerici, potissimum vero presbyteri & religiosi qui venationi se dedunt, suis ab episcopis punientur.

4. Novi vicariatus, præter quam in casibus a jure concessis, non instituentur.

5. Prælatis, dum visitationem peragent, duobus tantum ferculis instruetur mensa; quod præterea paratum fuerit, in pauperes distribuetur; quique id parandum curaverit, a superiore punietur.

6. Clerici qui beneficium possident quod animarum curam adjunctam habet, in eo residebunt; quod si ejusdem generis alterum obtinuerint, primum vacabit jure ipso.

7. Clerici ab omni portorio & ab omni exactione exempti erunt.

8. Ecclesiastici judices, cujusdam extra ordinem potestatis vi, mandare non poterunt, ut quispiam appelletur in parvi momenti loca, ubi idonei jurisconsulti inveniri non possunt. Nec magis jubere poterunt, ut ad ipsorum tribunal plures personæ quam quatuor in jus vocentur, vi clausulæ: *Et quidam alii.*

9. Si Clerici bona a laico capta aut detenta fuerint, dabitur in laicum clerico recredentia, ea tamen conditione, ut clericus, dato sponsore, recipiat se bona laico qui ea detinet, redditurum, siquidem is apud ecclesiæ judicem probet sibi iis potiendi jus fuisse.

Vocabulum hoc, *recredentia*, quo canon utitur, idem est, si generatim loquimur, ac *restitutio in integrum*, *missio in possessionem*, per quam jus rei possessionem, quæ litigio subest, ad judicii finem usque, contendentium uni concedit. Idem scilicet fere est quod Romani *vindicias* dicebant, cum hoc discrimine, quod *vindicia* non nisi in fiduciariarum rerum possessione locum habebant, rerum nempe quarum fruitio ea tantum conditione concedebatur, ut redderentur, at *recredentia* de rebus omnibus ademptis aut detentis pronuntiabatur, quarum restitutio seu iterata possessio comedebatur. In præsens *recredentia* vocabulum ad beneficiaria negotia redactum est, sumiturque pro judicio provisorio, quod, litis tempore, litigiosi beneficii fruitionem ei contendentium servat aut tribuit qui colorato & speciosiore jure seu titulo gaudet. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Cele-

Coloniense Concilium, an. 1266.

Engelbertus, archiepiscopus Coloniensis, promulgavit, die 12. Maji an. 1266. e suæ diœcesis universi cleri consensu, quadraginta quinque capitula seu statuta quæ ab Henrico, archiepiscopo Coloniensi, in concilio quod an. 1322. in hac ipsa urbe Colonia habuit, confirmata fuere, atque ita provincialia statuta evaserunt,

Priora octo eos omnes excommunicationi subdunt, qui in ecclesiasticos manum injicere audent, qui ecclesias aut monasteria flammis devovent aut expilant, qui ecclesiasticas immunitates violant, qui clericorum bona aut personas ipsas diripiunt, qui decimas non solvunt, qui in militaribus expeditionibus ecclesiasticos damno afficiunt, aut eorum, seu vitæ tempore, seu post mortem, se bonis immiscent, eosdemve tributo onerant, quodcunque fuerit.

9. Vetat laicis, sub excommunicationis pœna, ne clericos ad sæcularia tribunalia traducant; & 10. clericis mutuo collatis idem vetat.

11. Editum est & ipsum in laicos qui apud sæcularia tribunalia clericos in jus vocant; & 12. in eos qui occupant aut detinent eorumdem bona.

13. Ecclesiæ judicibus mandat, ut prompte laicis jus tribuant quibus aliquod cum clericis dissidium est.

14. Excommunicationis sententiam in eos pronuntiat qui synodorum cœtum impediunt, earumve pacem turbant.

15. Prælatis injungit qui jurisdictione pollent, suis ut juribus ad abusus corrigendos & reformandos mores utantur.

16. Ecclesiasticos judices communione privat, qui suis in judiciis injustitias perpetrant.

17. Eos vetat se causis immiscere quæ ad sæculare forum pertinent.

18. Excommunicationis sententiam in eos pronuntiat, qui Ecclesiæ jurisdictionem turbant, ejusque judiciorum executionem impediunt.

19. Eamdem pœnam in eos pronuntiat qui ecclesiasticos capiunt aut detinent.

Sequentes canones, ad 34. usque, versantur & ipsi super violentiis quas ecclesiasticis laici, quasve ecclesiastici sibi invicem inferunt; pœnasque in conciliis contra non unius generis ausa hæc identidem repetitas decernunt.

34. Canon litigiorum cognitionem, quæ inter duos aut plures ad eamdem præbendam contendentes suboriri possent, loci decano & capitulo tribuit.

35. Clericos vetat ulla ratione sacrilegis, usurariis & excommunicatis auxilium ferre.

36. Excommunicatorum dominorum capellanis mandat, ut ab iisdem recedant, siquidem eos permovere non possunt, ut, intra mensem, faciant Ecclesiæ satis.

37. Mandat, ut interdicto subdantur eorum terræ, qui excommunicationem contemnunt, &, per anni spatium, operam dare negligunt, ut ab ea liberentur.

38. Mandat, ut qui excommunicationem ita spernunt, in synodis accusentur.

39. Prælatos aliosque ecclesiasticos statuta hæc fideliter servare jubet.

40. Parochos aliosque ecclesiasticos qui suis in ecclesiis excommunicatos non denuntiaverint quos tamquam tales denuntiare tenentur, excommunicatos declarat.

41. Excommunicationem in presbyterum quemque pronuntiat, qui interdicto in loco celebraverit, nisi, intra dies quindecim, fecerit Ecclesiæ satis.

42. Mandat, ut ecclesiarum rectores, cum primum audierint spoliatum aut detentum clericum fuisse, eidemve illatam vim ex earum genere, quæ interdicto dignæ sunt, a divinis officiis statim desistant.

43. Oportere declarat, ut ecclesiasticæ personæ omnes, regulares seu sæculares, hæc statuta servent.

44. Mandat, ut, pluries in anno, statuta hæc in Coloniensis diœceseos ecclesiis omnibus enuntientur.

45. Mandat, ut in acta referantur, & sæpenumero publice recitentur omnium delinquentium nomina, de quibus in his statutis, ut perspiciatur in eosdem agendi ratio, delictorum qualitatis & circumstantiarum ratione habita. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Viennense in Austria, Vindebonense, an. 1267.

Guido, cardinalis legatus in Germania concilium hoc ex episcopis sex conflatum, die 10. Maji an. 1267. celebravit, in eoque undeviginti statuta edidit.

1. Studebunt ecclesiastici omnibus in rebus ea se ratione gerere quæ aliis exemplo sit, quæque eorum statui conveniat.

2. Prælati, quo tempore visitationes peragent, hospitibus graves non erunt.

3. Clerici caste vivent; concubinarii vero, nisi intra mensem concubinas dimiserint, beneficio privabuntur.

4. & 5. Qui ecclesiasticum percusserint, mutilaverint, interfecerint, non nisi a sancta sede absolvi poterunt.

6. Qui plura beneficia sine dispensatione possident, illud unum quod ultimum obtinuerint, retinebunt; sin animum obfirmaverint, ut sibi plura quam unum servent, omnibus privabuntur.

7. Qui non omnes usu statutas decimas accurate solverint, ecclesiæ aditu, quoad satisfecerint, prohibebuntur.

8. Usurarii qui noluerint se corrigere, excommunicationi subdentur; quod si ecclesiastici fuerint, beneficiis præterea destituentur.

9. Superioribus perduelles clerici deponentur & beneficiis spoliabuntur. Collatores iis curata beneficia non conferent qui decimum octavum ætatis annum non attigerunt, nisi dispensationem a sancta sede, vel ab ejus legatis obtinuerint.

10. Patroni, advocati & judices ecclesiarum, qui clericorum bonis, post horum mortem, potiti fuerint, excommunicationi suberunt, quoad restituerint.

11. Ordinarii tantum, cujusmodi sunt Episcopi, vel Archidiaconi, in beneficiis instituere poterunt; ac si propria auctoritate id aggredi ausi fuerint patroni laici, jus patronatus amittent.

12. Eos qui beneficia possident quæ animarum curam adjunctam habent, adigent Episcopi, ut suis in ecclesiis resideant ipsi per se; ita quidem, ut refractarios beneficiorum fructibus privent.

13. Episcopi, Pragensis & Salisburgensis, Cisterciensis ordinis abbatibus duobus comitantibus, omnia nigrorum monachorum monasteria, iis exceptis quæ sanctæ sedi proxime subsunt, reformationis ergo, visitabunt.

14. Abbates non consecrabunt seu calices seu patenas; non vestium benedictionem peragent; nullam denique episcopalem functionem obibunt, sine peculiari sanctæ sedis privilegio.

Postrema statuta quinque Judæos impetunt, quibus interdicitur omne cum Christianis commercium. *Ibidem.*

Concilium Londinense, an. 1268.

Ottobonus, cardinalis, sanctæ Sedis in Anglia legatus, concilium hoc, Aprilis die 23. an. 1268. celebravit, in quo ad ecclesiasticæ disciplinæ restitutionem quinquaginta quatuor canones edidit.

1. Solemne baptisma non nisi Paschatis & Pentecostes tempore conferetur; superque baptismatis forma parochi & vicarii, vernacula lingua, suos parochianos erudient.

2. Interdictio, ne quid ob sacramentorum administrationem exigatur.

3. Ea lex aderit, cum suspensionis pœna, ut intra annum ecclesiæ consecrentur; easque gratis episcopus consecrabit.

4. Clerici qui arma deferent, excommunicatione plectentur, suisque beneficiis privabuntur, ni resipuerint, satisque fecerint intra tempus quod episcopus iis præscribet.

5. Gestabunt clerici vestes quæ saltem sub medium crus usque descendent. Iis erit corona latior, & capilli ita cæsi, ut aures pateant. Non ferent *infulas quas vulgo coifas vocant*, inquit textus, capitis tegmina scilicet quæ caput ipsum totum obtegant, nisi iter agant.

6. Advocati officio in sæcularibus tribunalibus clerici non fungentur, nisi quibus in casibus per jus licet. Neque vero judices aut assessores erunt *in causa sanguinis*.

7. Sæcularem justitiam clerici non exercebunt.

8. Instauratur constitutio jam in Londinensi concilio an. 1237. ab Othone, sanctæ Sedis legato, edita quæ clericos concubinarios ab officio & beneficio suspendit, qui, intra mensem, concubinas suas non expulerint.

9. Nemo suscipietur, ut vicarius sit, nisi sit presbyter, aut saltem, primis quatuor Temporibus, diaconus ordinandus, & in sui vicariatus loco resideat, postquam curata, quæcumque tandem haberet, beneficia deseruerit. Qui vero nondum presbyteri jam vicarii

carii instituti fuerint, presbyteratum intra annum sumant.

10. Intrusi ab omni officio & beneficio suspensi erunt, adigenturque, ut damnis quæ beneficiorum, quibus potiti fuerint, titularibus attulerint, satisfaciant.

11. Institutio in beneficio nulla erit & invalida, nisi ex authenticis probationibus constet titularem mortuum esse, aut beneficium resignasse, aut denique quavis alia ratione eo se abdicasse.

12. Unum idemque beneficium non dividetur in plura, nec beneficia novis pensionibus onerabuntur.

13. Qui ecclesiarum asyla violant, excommunicationi subduntur.

14. Jubentur episcopi eos punire qui matrimoniorum celebrationem impediunt.

15. Prohibetur ordinarius testamentum sibi exhibitum approbare, quin prius testamentarium executorem adegerit, ut jure cedat quo gaudet, ut in ejus jurisdictione litem agat.

16. Vacantium beneficiorum fructus collatores retinere non poterunt, nisi jus titulo aut veteri consuetudine acquisitum iis præsto sit.

17. Capellarum quæ concessæ sunt, quin parochialium ecclesiarum juribus officeretur, capellani ei legi suberunt, ut oblationes quæ in his capellis cduntur, parochis tradant.

18. Operam dabunt beneficiarii, ut suorum beneficiorum ædificia sustentent & reparent; idque, si ipsi non fecerint, episcopi, horum negligentium beneficiariorum impensis, perficient.

19. Archidiaconi & prælati cæteri quibus est visitandi jus, procurationis jus non exigent, nisi reapse visitationem peragant, prout generale Lateranense concilium quartum super hac re statuit.

20. Archidiaconi aliique prælati qui canonicam pœnam ob peccata impositam in pecuniariam mulctam commutabunt, aut pecuniam sument, ut peccatis debitas pœnas remittant, ab episcopo, duplo plus quam acceperint, in pia opera conferre cogentur.

21. Interdictio, ne ecclesiasticæ dignitates, beneficia aut officia locentur.

22. Residentiæ per divinas & ecclesiasticas leges addicti episcopi declarantur.

23. In episcopos interdictio, ne suæ diœceseos ecclesiam alteri episcopo, aut monasterio tribuant, nisi id faciant ex charitate, vel ut pauperrimæ ecclesiæ solatium afferat.

24. Eorum bona qui intestati moriuntur, piis usibus addicentur.

Sequentes canones quatuor eo spectant, ut judiciarias formas in ordinem redigant.

29. Cum a censuris absolutio conferetur, opera dabitur, ut enuntietur.

30. Interdicitur, ne quis curata beneficia plura sine dispensatione possideat.

31. & 32. Prohibetur commendarum usus, nisi magna necessitas adsit; & beneficiorum collationes in eorum gratiam, qui jam alia residentiam postulantia possident, nullæ declarantur.

33. Ut collusio in beneficiorum resignatione impediatur, non reddetur ei beneficium qui illud resignavit.

34. Conventiones quæcunque ad beneficiorum collationes initæ fuerint, itemque pensiones recenter impositæ, nullæ & irritæ declarantur.

35. Interdictio, ne in ecclesiis mercatus habeantur, aliæve ibidem negotiationes agantur.

36. Processiones precesque solemnes ad regni & Terræ sanctæ pacem mandantur.

37. Jubetur id perfici, ut hæc statuta quotannis in provincialibus statutis legantur.

38. & 39. Religiosi & religiosæ, statim ac probationis annus elapsus fuerit, professionem edent.

40. Summorum Pontificum super religiosis constitutiones, in quoque monasterio, bis in anno, legentur; & novitiorum magistri operam dabunt, ut eos super regula quam amplecti volunt, instituant.

41. Monasteriorum superiores, bis in anno, diligenter incumbent, ut proprietarios detegant puniantque.

42. Qui præpositi sunt, ut religiosis indumenta & alia necessaria suppeditent, non iis hæc ex pecunia tribuent, ea, si id egerint, statuta pœna, ut officio priventur, & pro superioris arbitratu puniantur.

43. Monachi pariterque canonici regulares suis in ecclesiis seu domiciliis soli non degent; si vero adeo pauperes ecclesiæ fuerint, ut monachis seu canonicis duobus sustentandis impares sint, duo presbyteri sæculares earum servitio addicentur.

44. Rurale domicilium seu domus, ecclesia, possessio quæcunque fuerit, monacho non locabitur.

45. Cum carnis usus, præter quam quibusdam in casibus & quibusdam in locis per S. Benedicti regulam & per generale capitulum monachis nigris vetitus sit; eos qui hoc in capite deliquerint, superiores & episcopi punient.

46. Seu quoad dormitorii mobilia, seu quoad triclinii utensilia, nulla erit monachos inter & canonicos regulares distinctio.

47. Cum abbas monachorum aliquibus suo in cubiculo mensam instructam volet, semper duæ saltem communitatis tertiæ partes in triclinio remaneant, necesse erit.

48. Ægrotantes superior sæpenumero visitabit, perficietque, ut, qui valetudinario præfecti sunt, de iis magnopere solliciti sint.

49. In quemque abbatem, priorem, ecclesiarumque aut hospitalium rectorem interdictio, ne cui vendant jus exigendi, quotidie seu præscriptis quibusdam temporibus, statam summam qua ea sibi comparent quibus indigent, quod monasteria, ecclesias & hospitalia obærata reddit. In textu ita legitur: *Inhibemus, ne unquam personis aliquibus liberationes vendantur*. Sumitur *liberationis* vocabulum etiam pro *mercede*, *salario*, *voluntate*, *sententia*, *consilio*, *securitate*, *cautione*. Vide Ducangii Glossarium.

50. Veteres usus, quoad monachorum numerum, qui in monasteriis singulis esse debent, servabuntur.

51. Monasteriorum superiores, saltem semel in anno, suas generales rationes reddent, coram communitate seu universa seu ex parte.

52. Religiosorum nullus negotiabitur, sub pœna privationis officii.

53. Religiosæ nunquam cum sæcularibus personis solæ loquentur; & hæ personæ in regularia monasteriorum loca, extra necessitatis casum, non ingredientur.

54. Crebro monachi confitebuntur & celebrabunt. *Ibidem.*

Regis S. Ludovici, an. 1268. *Pragmatica Sanctio.*

Hujus Pragmaticæ, cujusmodi est in conciliis, hic tenor est.

Ludovicus, Dei gratia, Galliarum rex, ad perpetuam memoriam. Eo consilio, ut Ecclesiæ regni nostri tranquillitati, divini cultus incremento, fidelium animarum saluti consuleremus, eoque studio, ut omnipotentis Dei a quo uno semper regnum nostrum pendit, & sub cujus patrocinio illud ponimus, gratiam & subsidium obtineremus, per præsens perpetuum edictum statuimus & mandavimus.

I. Ut ecclesiarum per regnum nostrum prælati, patroni & collatores ordinarii beneficiorum suo gaudeant pleno jure, suamque jurisdictionem singuli sartam tectamque servent.

II. Ut ecclesiis cathedralibus aliisque electiones suæ liberæ sint, harumque electionum effectus sit suis omnibus numeris absolutus.

III. Volumus & mandamus, ut simoniæ crimen quod Ecclesiam corrumpit, e regno nostro penitus eliminetur.

IV. Volumus & mandamus, ut prælaturarum & aliorum beneficiorum officiorumque ecclesiasticorum quorumcumque promotiones, collationes, provisiones & dispositiones e communis juris, sacrorum conciliorum, veterumque per SS. Patres statutorum ordines fiant.

V. Vetamus, ne exactiones & onera gravissima a Romana curia regno nostro imposita aut imponenda quæ illud misere depauperarunt, percipiantur & colligantur, nisi ob religionis urgentissimam causam, in inevitabili necessitate, & e voluntario expressoque nostro & Ecclesiæ regni nostri consensu.

VI. Libertates, franchisias, prærogativas, jura, privilegia ecclesiis, monasteriis, piis locis, religiosis aut personis ecclesiasticis a felicis recordationis regibus Galliæ, prædecessoribus nostris, vel a Nobis concessa renovamus & approbamus.

Officiariis, loca tenentibus, omnibusque subditis nostris præsentibus & futuris, & eorum singulis, prout ad eos pertinuerit, præsentium custodiam & executionem mandamus, quas servandas & executioni mandandas curabunt, quin contrarii quicpiam attentent vel attentari sinant; transgressores ita punientes, ut eorum severa punitio deinceps exemplo sit. In cujus rei fidem, sigillum nostrum præsentibus apponi jussimus. Datum Parisiis, anno Domini Nostri 1268. mense Martio.

Sanctio hæc, cujusmodi in Bibliotheca Patrum impressa extat, quinque tantum statuta continet; illud autem

autem quod Romanæ curiæ exactiones spectat, in eadem desideratur. Sunt auctores qui hujus constitutionis veritatem in dubium vocarunt, injuria tamen & inconsulto. Eam perspicimus in articulis quos Ludovico XI. Parlamentum exhibuit, in Turonensi cœtu Ordinum regni, an. 1483. & in Actu Appellationis Universitatis Parisiensis, an. 1491. *Ibid.*

Concilium Gontheriense, seu, *apud Castrum Gontherii*, *an.* 1268.

Vincentius de Pilenes, archiepiscopus Turonensis, concilium hoc, feria secunda post Magdalenæ festum, cum suis suffraganeis celebravit, in eoque, per canones octo, renovavit præcedentium conciliorum leges in eos latas, qui usurpant Ecclesiæ bona; qui ecclesiasticam jurisdictionem impediunt; quique ultra annum in excommunicatione permanent, impediendi causa, ne vacantes prioratus spolientur, & ne monachi extra monasterium deposita ponant; super vestibus quas archidiaconi & decani ferre debent; superque potestate qua gaudet episcopus, ut ab excommunicationibus absolvat. *Ibid.*

Concilium Andegavense, *an.* 1269.

Concilium hoc duos tantum canones edidit, in eos primum, qui impediunt, ne quid ecclesiis legetur; alterum ad impediendum, ne clerici in sæcularibus causis advocati officio fungantur. *Ibid.*

Concilium Senonense, *an.* 1269.

Archiepiscopus Senonensis coegit provinciale concilium hoc, sabbato ante SS. Simonis & Judæ festum, in eoque edidit canones sex.

1. Clerici concubinarii qui se corrigere noluerint, excommunicati publice denuntiabuntur, eorumque beneficia occupabuntur.

2. Nullam syngrapham firmabunt clerici, quæ usuræ suspicioni subsit.

3. Vicarii impœnitentes communione & sepultura ecclesiastica privabuntur.

4. Servabitur Lateranensis concilii vicesimus primus canon qui mandat, ut suo quisque proprio presbytero, semel saltem in anno, confiteatur, & in Paschate communicet.

5. Clerici qui alios clericos apud sæculares judices in jus vocabunt, causa cadent, Ecclesiæque communione privabuntur.

6. Ut privilegiorum quibus exempti gaudent, abusibus occurratur, præcipitur, ut homines qui *oblatorum* nomine iis se dedunt, statumque censum iisdem solvunt, episcoporum jurisdictioni ut diœcesani cæteri subsint, quoad aliquas possessiones retinebunt, nec unum idemque cum exemptis corpus constituent. *Ibidem*.

Concilium Compendiense, *an.* 1270.

Joannes de Courtenai, Remensis archiepiscopus, una cum suæ provinciæ episcopis septem, feria secunda ante Ascensionis festum, Compendii, concilium habuit in quo gravissimum edidit in eos statutum qui occupant ecclesiarum bona, item in horum fautores, in eos denique qui hos ipsos, aut ab iisdem capta bona recipiunt. Omnes & singulos excommunicatione plectit, & divina officia, ubicunque raptores raptaque bona existere compertum fuerit, intermitti vult. *Ibidem*.

Concilium Avenionense, *an.* 1270.

Bertrandus de Malferrat, archiepiscopus Arelatensis, habuit provinciale concilium hoc, Julii die 15. in eoque edidit canones octo.

1. Qui ecclesiæ bona, sine diœcesani episcopi consensu, alienaverint, hujusmodi contractus abrogare, per ecclesiasticas censuras, cogentur.

2. Pecunia legata, ut, prout executores testamentarii expedire judicaverint, impendatur, piis operibus, ex episcoporum tamen sententia consensuque, addicetur.

3. Archiepiscopus ejusque suffraganei mutuam sibi opem ferent, sua ut statuta indicant, & executioni mandanda curent.

4. Qui beneficia quibus animarum cura conjuncta est, obtinuerint, presbyteratum intra annum suscipient, archidiaconis exceptis quos diaconos esse sat est.

5. Expensæ ad recipiendos Papæ legatos & nuntios editæ, communi sumptu, ab omnibus diœcesis ecclesiis solvendæ sunt.

6. Ecclesiasticis qui in personatibus aut dignitatibus constituti sunt, episcopi & capitula dabunt redituum satis.

7. Clerici qui contra proprium episcopum ad sæcularem auctoritatem confugerint, excommunicatione plectentur; quod si excommunicationem contempserint, beneficiis quæ possident, privabuntur.

8. Clerici qui verbis aut aliter episcopum, præpositum, aut quamvis aliam personam in dignitate constitutam percusserint, nullum beneficium in eorum ecclesia obtinere poterunt, nisi postquam fecerint iisdem satis. *Ibid.*

Concilium, *apud sanctum Quintinum*, *an.* 1271.

Vacante Remensis ecclesiæ sede, Milo, Suessionensis episcopus hoc provinciale concilium indixit. Habitum fuit in Dominicanorum cœnobio, ubi ejusmodi cœtus haberi consueverant, in eoque editi canones quinque.

1. Abbates aliique inferiores prælati non plus mutuabuntur quam quod iis necessarium fuerit, ut suis suarumque ecclesiarum negotiis consulant.

2. Quicumque ecclesiarum asylum violaverit, quempiam extrahens qui eo se receperat, ecclesiæ aditu ad annum prohibebitur.

3. Qui in ecclesia quempiam occiderit, ecclesiæ ingressu per omne vitæ tempus privabitur, nisi provinciale concilium breviores huic pœnæ fines statuerit.

4. Cogentur abbates, occupatis eorumdem bonis, consuetum monachorum numerum in prioratibus ponere qui ab iisdem pendent.

5. Clericos, inconsulto episcopo, laici magistratus non adigent, ut Judæis, quæ repetunt, debita solvant. *Ibid.*

Concilium Redonense, *an.* 1273.

Secunda post Ascensionem feria, an. 1273. Joannes de Monthorcau, Turonensis episcopus, habuit concilium hoc in quo septem qui sequuntur, editi canones.

1. Excommunicatione plectitur, quicumque male episcopum, abbatem, aut abbatissam exceperit, quique ecclesiasticum occiderit aut mutilaverit. Si clericus his se criminibus obstrinxerit, præter excommunicationem, omni obtento obtinendoque beneficio privabitur; sin laicus, ejus filii & nepotes, ad tertiam generationem usque, a clericatura excludentur.

2. Nulla parochialis ecclesia locabitur, nisi ex episcopi consensu, eaque conditione, ut redditum pars, ad hospitalitatem exercendam, locatario relinquatur.

3. Renovatur Gontheriensis concilii canon quartus qui prioratus quos per priorum mortem, cessionem, aut translationem vacare contigerit, spoliari vetat, mandatque, ut monachis qui in his prioratibus permanent, relinquatur, unde subsistant ad proximam messem usque.

4. Qui potiuntur ecclesiæ bonis, excommunicationi; loca vero, ubi ejusmodi bona deponentur, interdicto suberunt.

5. Per ecclesiæ bona, veniunt non solum bona quæ proprietatis titulo ad clericos pertinent, sed ea etiam quæ deposita tenerent, quæve ipsi mutuati essent.

6. Quos provinciale concilium excommunicatione perculit, episcopus quisque, in sua diœcesi, postquam, ut par est, satisfecerint, absolvere potest.

7. Antecedentia omnia provinciæ concilia approbantur & confirmantur. *Ibid.*

Concilium II. generale Lugdunense, *an.* 1274.

Concilium hoc quod totius Ecclesiæ generale decimum quartum est, indixit Gregorius Papa X. ob causas omnino tres quæ in indictionis Bulla notantur; 1. ad græcæ Ecclesiæ redintegrationem; 2. ad Terræ sanctæ subsidium; 3. ad ecclesiasticæ disciplinæ, vitæque clericorum reformationem. Ei præfuit Papa ipse per se; adfuere quingenti episcopi, aut etiam plures, abbates septuaginta, aliique inferiores prælati numero mille, quin numerentur latini patriarchæ Constantinopolis & Antiochiæ, Cardinales quos inter S. Bonaventura eminebat, Jacobus, Aragoniæ rex, oratores Imperatoris Michaelis Paleologi, regumque Galliæ, Germaniæ, Angliæ, Siciliæ, aliorumque principum plurium; e quibus universis & singulis omnium quos unquam vidit Ecclesia, cœtuum frequentissimus conflatus fuit.

SES-

SESSIO PRIMA.

Post trium dierum jejunium, Rogationum feria secunda, Maji die 7. summus Pontifex concilium aperuit in metropolitana S. Joannis ecclesia, per sermonem in quo præcipuas causas tres quibus permotus concilium indixerat, cœtui proposuit, & sessionem secundam in 18. ejusdem mensis diem remisit.

SESSIO SECUNDA.

In hac sessione alterum Papa sermonem habuit; in eaque nonnullæ super Fide constitutiones editæ.

SESSIO TERTIA.

In septimam Junii diem incidit tertia sessio cui initium dedit sermo Petri de Tarentasia, ita dicti a patria, Sabaudiæ urbe, qui Dominicanus fuerat, Parisiis professor, & S. Thomæ collega, tunc autem Cardinalis episcopus Ostiensis erat, ac deinde Papa fuit, *Innocentii V.* nomine. Post sermonem Papa enuntiari jussit nonnullas concilii constitutiones, numero duodecim, dixitque ad sessionem quartam expectari Græcorum adventum; qui Junii die 24. pervenerunt. obtuleruntque Imperatoris litteras, aureo sigillo obsignatas, itemque præsulum, numero triginta octo qui in redintegrationem consenserant. Dixere Papæ se venire obedientiam Romanæ Ecclesiæ debitam præstituros, fidem professuros quam ea profitetur, facturosque capita tria quibus major inter græcos episcopos difficultas continebatur, videlicet, Papæ primatum, ejus nominis in precibus recitationem, & ad sanctam Sedem appellationem. Scripta erat in hanc formam epistola: „ Ad sanctissimum & beatissimum, primum & supremum Pontificem Sedis Apostolicæ, Papam universalem, communem Patrem Christianorum omnium, Patrem venerabilem Imperii nostri, Dominum Gregorium, Michael, fidelis Imperator in Jesu Christo, ejusque populorum Moderator, Angelus Comnenus Paleologus, Vestræ sanctitatis Filius spiritalis. "

SS. Petri & Pauli die, 29. Junii, Papa solemnem in modum Missam in magna ecclesia, coram Græcis totoque concilio, celebravit. Lecta est epistola latine & græce, itemque evangelium; deinde vero, cum S. Bonaventura concionatus esset, cantatum est symbolum, primo quidem latine, cum additione, Filioque, illudque patriarcha Germanus græce postea cecinit, cum archiepiscopis græcis Calabriæ qui repetierunt, ter, *Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere*.

SESSIO QUARTA.

Quarta sessio quæ Julii die 6. habita, potissimum super Græcorum cum sancta Sede conciliatione versatur. In hac lectæ græce epistolæ tres latine redditæ, scilicet, Imperatoris Michaelis prima, Andronici ejus filii natu majoris altera, Græcorumque prelatorum tertia. Continebat prima professionem Fidei, quam Clemens Papa V. ad Michaelem, ante annos septem, miserat. Ajebat deinde Imperator: „ agnoscimus hanc fidem tamquam veram, catholicam & orthodoxam; eam corde & ore confitemur, eamdemque nos inviolate servaturos promittimus. " Epistolarum trium lectione absoluta, Georgius Acropolita, magnus Logotheta, hoc est, magnus cancellarius, Imperatoris personam exhibens, pronuntiavit, ejus nomine, jusjurandum in hæc verba: „ Abjuro schisma, mei Domini meoque nomine; catholicam, orthodoxam & Romanam fidem quæ modo lecta est, corde credo & ore profiteor; eam me semper secuturum recipio, quin ab eadem unquam recedam. Romanæ Ecclesiæ primatum, quæque ei debetur, obedientiam agnosco profiteorque; & hæc omnia, super domini mei meaque anima, per jusjurandum, confirmo. " Cantatum deinde *Te Deum*, & symbolum latine. Tum Germanus, Constantinopolitanus Patriarcha, & Theophanes, Nicænus metropolitanus, græce illud cecinerunt, & bis additionem, *qui ex Patre Filioque procedit*, repetierunt. Epistolam Cami Tartarorum qui oratores sexdecim ad concilium miserat, fœderis in Musulmanos cum Christianis ineundi gratia, Papa lectam voluit, & ad Julii diem nonam, quæ in feriam secundam incidebat, sequentem sessionem indixit.

SESSIO QUINTA.

Sessionem quintam quæ in Julii diem decimam sextam dilata fuerat, antecessit solemnis baptismus unius e Cami Tartarorum oratoribus qui cum aliis duobus christianam fidem amplexus erat. In hac lectæ constitutiones quatuordecim quarum, ut cæterarum quæ in concilio editæ, compendium mox exhibebimus. Lectione peracta, omnes christiani orbis sacerdotes Papa jussit sacrum facere ad requiem animæ fratris Bonaventuræ qui pridie hujus sessionis, Julii die decima quinta, mortem obierat, eademque die in Cordigerorum Lugdunensium ecclesia sepulturæ datus fuerat. Tum vero ad decimam septimam Julii diem Papa sextam eamque postremam sessionem indixit.

SESSIO SEXTA.

Legi jussit initio statim Papa constitutiones duas quarum una coarctat immodicum non approbatarum religionum numerum, altera incipit ita, *Cum sacrosancta*, & in collectione non extat. Tres deinde causas repetens quæ eum ad concilium habendum impulerant, retulit Terræ Sanctæ, schismatisque Græcorum negotia duo cum successu finita esse, tertioque, morum scilicet reformationi manum admovit. Finem fecit pollicitus id se suppleturum, quod in concilio pertractari non potuerat; editæque consuetæ preces. Hic exitus concilii fuit; ex eo decreta numero triginta & unum, quæ Kal. Novembr. an. 1274. in publicam lucem emissa, & Decretalium textui inserta fuere.

1. Est sub titulo, *De Trinitate & fide catholica*; in eo declaratur Spiritum Sanctum ex Patre Filioque, tamquam ex uno principio, & per unam spirationem procedere; damnanturque qui negant Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, quique audent proponere eum a Patre & Filio, tamquam a duobus principiis procedere.

Decreta quæ sequuntur, ad decimum quintum usque, titulo subsunt: *De electione & electi potestate*.

Decretum alterum est ipsa Papæ Gregorii X. constitutio, super electione Romanorum Pontificum, his verbis concepta: „ Cardinales qui in urbe in qua Papa morietur, existent, absentes ad octo tantum dies expectabunt; quibus elapsis, seu advenerint, seu non, præsentes in Pontificis palatium convenient, singulisque ad servitium unus tantum clericus laicusve aderit, ac si evidens necessitas ita postulet, ut summum, duo. In eadem omnes aula in commune degent, quin ulla per parietes aliudve præter quam ad vestiarium, sejunctio fit. Ita omnis erit obstructus locus, ut ne quis ingredi aut egredi possit. Cardinales invisere vel in aurem alloqui licebit nemini. Quicumque acciti fuerint, non nisi ad electionis negotium, omnibusque consentientibus admittentur. Interdictum, ut cursores aut litteræ ad universos eorumve quempiam mittantur, excommunicationis in refractarios indicta pœna. Non relinquetur in conclavi nisi simplex foramen, quin per illud aditus pateat, ad necessaria tamen alimenta inducenda accommodatum. Si, triduo post ingressum, Ecclesiæ de pastore provisum non fuerit, proximis diebus quinque, unum tantum ferculum, tum mane tum vespere, Cardinalibus afferetur; deinceps vero, panis, vinum & aqua, nihilque prætera, ad peractam electionem usque. Conclavis tempore, Cardinales a camera apostolica nihil recipient; nec de alio, nisi maxime urgeat, negotio agent. Si Cardinalis, in urbe præsens, non statim ingrediatur, aut sine causa, vel haud reapse ægrotans exierit, procedetur ad electionem, nec amplius is admittetur; ac ne ejus quidem suffragium, si satis gravis fuerit egressus causa, expectari necesse erit; ægrotus tamen in pristinam valetudinem restitutus, absentesque qui sero pervenerint, ad electionem suscipi, & negotii, prout se tunc habebit, participes esse poterunt. " Cæterum Papa Cardinales, per quicquid sanctius existit, & sub divinæ ultionis pœna, obtestatur, ut ad magnum opus hoc, nulla temporalium rerum ratione habita, sibique tantum proposito Ecclesiæ emolumento, deveniant. Abrogat in antecessum conventiones & jurejurando obstricta promissa, quæcumque inter eos præcessissent. Denique prælatis omnibus superioribus & inferioribus mandat, ut, statim ac de supremi Pontificis decessu constiterit, ad electionis felicem exitum, publicas per universum Christianum orbem preces indicant.

Decretum 3. eorum qui beneficiorum collationi obluctantur, abusus corrigit. Debent hi, per publicum actum, aut per jusjurandum, apud viros auctoritate pollentes, suas omnes oppositionis aut appellationis causas exprimere, quia novas deinceps proponere possint; nisi jurent de novis notitiis agi quas probare parati sint, quasque satis idoneas putent.

4. Electos vetat, quavis obducta causa, seu œconoma-

nomatus seu alio titulo, antequam electio confirmata fuerit, ecclesiasticae dignitatis administrationi se ingerere.

5. Electoribus eam legem imponit, ut electionem suam, nulla interjecta mora, electo significent; electoque, suum ut assensum, intra mensem, praebeat, suamque, intra menses tres, confirmationem petat; omnino sub nullitatis poena.

6. Eos qui indigno suffragium tribuunt, quamvis eorum actum maxime criminosum sit, eligendi potestate quae electionem consecuta est, haud privandos pronuntiat.

7. Eum qui suffragium in aliquem contulit, in ejusve electionem consensit, opponentem deinceps recipi vetat, nisi in eo defectum vitiumve detegat quod prius latebat.

8. Cum duae tertiae suffragiorum partes in eamdem personam coeunt, alia tertia pars recipi nequit, ut electoribus & electo quicpiam opponat.

9. Quamvis Alexander Papa IV. super episcoporum electionibus causas in majorum causarum numero jure posuerit; si tamen contigerit, ut extra judicium ob causam manifeste frivolam appelletur, ejusmodi appellationes ad sanctam sedem non deferentur; at proxima ad eam appellatio nitatur, oportet, causa probabili, quaeque, siquidem probata esset, legitima compereretur. Caeterum partibus licet ab hoc appellatione desistere, modo in hac ipsa cessatione nullus sit fraudi locus; si quid enim judices quorum est de re cognoscere, dolose factum compererint, partibus mandare debent, ut intra congruum tempus sanctae Sedi se sistant.

10. Si quis tamquam ob inscitiam incapax arguatur, eumque exitus idoneum ostendat, nulla amplius habebitur eorum ratio quae contra adversarius attulerit.

11. Quicumque acerbe electores exceperit, quia sibi commendatis suffragium tribuere noluerint, excommunicationi suberunt ipso facto.

12. Idem in eos anathema, qui rursus regalia, custodiam titulumque advocati aut defensoris ecclesiarum & monasteriorum usurpare voluerint, iisve faverint qui id faciunt. His vero qui seu per fundationis titulum, seu per veterem consuetudinem gaudent, non abutentur, seu vacationis tempore ex ecclesiae bonis quae fructuum seu redditnum partem non conficerent, eorum aliquod exigentes, seu sinentes ecclesiarum bona dissipari. Ea ergo sarta tecta servare debent.

Animadversione dignum est decretum hoc, pro ut regaliae juri favet. Suam jam mentem pro usu Regum Galliae super hoc capite aperuerat Gregorius X. per Brevia duo, an. 1271. quorum primum, undecima Julii die datum provisiones confirmat quas S. Ludovicus Girardo de Rampillonio ad Senonensem archidiaconatum contulerat, quamvis de eo Clemens IV. alteri providisset; alterum, die 23. Decembris datum Guidonis de Pratis electionem spectat, qui Noviduni canonicus cum esset, ejusdem urbis episcopus, Gregorii pontificatus anno primo, evasit.

13. & 14. Servabitur Alexandri Papae III. canon super eorum necessaria scientia, moribus & aetate quibus parochialium ecclesiarum cura concreditur. Nati erunt annos viginti quinque, intraque annum a nominatione presbyteri fient; secus, collatio nulla erit. Residentiam quod spectat, ea quidem in obligatione est; a qua tamen episcopus, ob justam congruamque causam, dispensare ad tempus potest. Parœciarum commendae, quoad eos quibus nec requisita aetas, nec presbyteratus est, non poterunt nisi semestres esse; aliter, nullae sunt ipso jure.

15. Decretum extat sub titulo, *De ordinationum temporibus, & de ordinandorum qualitate*. In eo suspenduntur ab ordinum collatione, ad annum, episcopi qui alienae diœcesis clericum ordinaverint.

16. Occurrit sub titulo, *De bigamis*. In eo pronuntiatur clericaturae privilegiis bigamos excidisse, & saeculari foro subesse, contraria quavis consuetudine nihil obstante. In eos, sub anathemate, interdictio, ne tonsuram & vestes clericales deferant.

17. & 18. Existunt sub titulo, *De judicum ordinariorum officio*.

17. Si capitula divinum officium intermittere volunt, quemadmodum ecclesiarum nonnullae id sibi juris esse contendunt, hujus rei causas singillatim referre debent in actum publicum qui partibus significabitur in quas hujus suscipiendae intermissionis auctoritas subesse videbitur. At ea ipsa, si desit conditio haec, aut rationum momenta haud canonica comperta fuerint, proventus, intermissionis tempore perceptos, restituent; ad ecclesiam redibunt eorum stipendia, eademque laesae partis damnis & satisfactioni suberunt. E converso se res habebit, si causae cessationis officii canonicae judicentur. Caeterum, reprobamus vetamusque in posterum, sub poena tam dura, ut reis terrorem inspirare valeat, eorum enormem abusum horrendamque impietatem, qui ad onerandam officii cessationem, perficiunt, ut in terram, sub spinis urticisque, cruces, & beatae Virginis imagines projiciantur.

18. Qui plura beneficia, seu dignitates, seu alia quibus animarum cura conjuncta sit, obtinuerint, debebunt stato tempore suas dispensationes ordinariis exponere, ut, an canonicae sint, expendant, quod si dispensationes haud canonicae compertae fuerint, cum illicita possessio sit, collatores in idoneorum favorem de beneficiis statuere poterunt. Si dubia videatur dispensatio, ad sanctam Sedem confugietur. Dispensatio evidenti satisque gravi fundamento nitatur, oportet.

19. Ut affectatae tarditates in actis forensibus contrahantur, renovantur, non sine aliqua mutatione, super advocatis & procuratoribus ecclesiasticis statuta vetera. Super Evangelio jurabunt eas tantum causas se defensuros, quas, bona fide, justas aequasque crediderint; ac jusjurandum hoc annis singulis renovabitur; quicumque vero renuerit id facere, privabitur officio suo. Qui ex horum & conciliariorum numero injustitiae faverint, non ante absolventur, quam stipendia in duplum reddiderint; haec autem, pro majoribus causis, quoad advocatos quidem, ad viginti, ut summum, turonenses libras, quoad procuratores vero, ad duodecim rediguntur. Extat decretum hoc sub titulo, *De Postulatione*.

20. Omnis a censuris absolutio, per vim aut metum extorta, nulla erit; quique his rationibus eam perceperit, novae excommunicationi subdetur. Subest decretum hoc titulo: *De his quae vi metusve causa fiunt*.

21. Modus additur Clementinae de beneficiis vacantibus *in curia*, quorum collatio ad Papam pertinet, haec intra mensem conferendi libertate ordinariis relicta.

22. Sub titulo, *id alienari non debere quod ad Ecclesiam pertinet*; vetantur praelati cum laicis agere, ut iis, absque capituli consensu, & sanctae Sedis nutu, ecclesiarum bona & jura vendant; secus, erunt contractus nulli, praelati suspensi & laici excommunicati.

23. Sub titulo, *religiosas domos episcopo subesse oportere*; interdicitur, ne novus ordo excogitetur, ejusve habitus suscipiatur. Supprimuntur omnes mendicantes ordines, post generale Lateranense concilium, sub Innocentio III. an. 1215. habitum, excogitati, & a sancta Sede non confirmati. Ad confirmatos autem quod attinet, prohibetur, ne novi professi recipiantur, ne qua domus acquiratur, aut jam acquisita alienetur, sine peculiari sanctae Sedis venia, cui hae religiosae domus ad Terrae sanctae pauperumve subsidium, vel ad bona alia opera reservantur; omnino, excommunicationis indicta poena. Iisdem ordinibus interdictae praedicatio, confessio, extraneorum sepultura. Fratres Praedicatores & Minores quod spectat, quorum approbationem firmat evidens emolumentum quod Ecclesia ex iisdem percipit, hanc sane constitutionem ad eos usque protendi nolumus, inquiunt concilii Patres. Religiosis quos constitutio complectitur, ea generatim data facultas, ut ad approbatas religiones caeteras migrent, non autem totum aliquem ordinem ad alium, aut totum aliquod cœnobium ad aliud transferant. Fratres de Jesu Christi Pœnitentia dictos, seu Saccolos, omnium primos mendicantium ordinum suppressio complexa est.

24. Sub titulo, *de censibus & procurationibus*; confirmatur Innocentii IV. constitutio quae vetat, ne quis praelatus pecuniam in visitationibus ob procurationem aut nocturni diversorii jus, vel hoc titulo dona exigat accipiatque. Additur poena restitutionis in duplum, cum privatione ingressus in ecclesiam, quoad praelatos superiores; & quoad inferiores, suspensio ab officio & beneficio, ad usque integram completamque in duplum satisfactionem, quamvis personae laesae ab ea dispensarent.

25. Sub titulo, *de ecclesiarum immunitate*; interdicitur quicquid reverentiam in ecclesiis laedere potest, divinumque officium turbare, nempe, cœtus, nundinae circum, litium agitationes, clamores, &c.

26. Sub titulo, *de usuris*; instauratur Lateranensis concilii in usuram constitutio. Prohibetur, ne domus publicis usurariis locetur, iisve concedatur ejusdem usus; neve iisdem absolutio & sepultura tribuatur, nisi, quoad fieri potest, restituerint.

28. Sub titulo, *de injuriis & damnis*; damnatur plus quam unquam direptionum arrogatum jus, eoque generatim utendi permissio, praesertim quoad ecclesiasticos in quos lubebat proscriptos hos usus trahi.

29. 30.

29. 30. & 31. Sub titulo, *de sententia excommunicationis*; ut super Innocentii IV. statutis, quoad excommunicatorum socios, omnis ambiguitas tollatur, in monitionibus tribus quæ, servato dierum aliquot intervallo, deinceps fient, eorum nomina, quos excommunicatione plecti contenditur, concilium expressa vult. Declaratur beneficium absolutionis *ad cautelam*, non habere locum in interdictis latis in stata loca, ut, urbes, oppida, &c. Denique, excommunicatione plectitur pleno jure quicunque passus fuerit occidi, capi, molestia affici ecclesiasticum judicem, propterea quod in reges, principes & proceres censuras tulerit. *Reg. Tom. XXVIII. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.* Martenne, *Collect. Tom. VII.*

Concilium Saltzburgense, seu, *Salisburgense*, *an.* 1274.

Fridericus, archiepiscopus Salisburgensis, & sanctæ Sedis legatus, provinciale concilium hoc in sua metropoli celebravit. Indixit in eo secundi Lugdunensis generalis concilii canones, & quas Guido, cardinalis & sanctæ Sedis legatus, in concilio Viennæ in Austria an. 1267. habito ediderat, relegi jussit, quibus addidit sequentia capitula viginti quatuor.

1. Abbates ordinis S. Benedicti, quotannis, habebunt provincialia capitula ad monasticæ disciplinæ reformationem, quæ ex eorumdem capitulorum intermissione detrimenti multum perpessa est.

2. Profugi monachi revocabuntur. Inemendabiles, quique enormia crimina perpetrant, in carcerem conjicientur. Abbates non poterunt ab obedientia monachos dispensare, qui ad strictiorem ordinem migrant.

3. Damnatur pravus abbatum mos qui monachos in alia monasteria leves ob culpas mittunt, quos potius in iis ipsis monasteriis punire debent, in quibus eas culpas patrarunt. Quod si abbas monachum in aliud monasterium mittere coactus fuerit, non id faciet sine Episcopi consensu, qui de mutationis causis ipse ac de reditus tempore judicabit.

4. Abbates nec pontificalibus vestibus uti, nec indumenta & vasa sacra benedicere, nec indulgentias concedere, nec cæteras pontificales functiones obire poterunt, nisi sua privilegia in proximo provinciali concilio demonstraverint.

5. Eadem in regulares canonicos interdictio.

6. Revocantur facultates religiosis collatæ, ut confessiones exciperent, indulgentias concederent aliasve sacerdotales functiones peragerent.

7. Qui beneficia plura possident, eo contenti erunt quod ultimum obtinuerunt, & cæteris privabuntur, nisi, ante proximi provincialis concilii celebrationem, ea possidendi facultatem se a superiore affecutos probent, qui eam tribuendi jure gaudet.

8. Quicunque e clericis beneficia possident quibus animarum cura conjuncta est, residentiæ legi subeunt, ea, secus, indicta pœna, ut temporalium beneficii bonorum fructu & administratione priventur.

9. Eidem pœnæ subduntur qui intra tempus a canonibus præscriptum ordines non suscipiunt.

10. Quibus in beneficiis vicarii sint, oportet, his congruam portionem episcopus, ad sustentationem, super eorumdem beneficiorum redditibus designabit; aliter, iis ipse, post menses tres, providere necesse habebit.

11. Clerici & imprimis presbyteri ita decurtatos capillos deferent, ut aures pateant; gerent obstructas vestes, argenteisve aut alio metallo ornatis cingulis non utentur.

12. Clericus qui in sacris ordinibus constitutus, in cauponam, bibendi aut edendi animo, pedem intulerit, nisi forte iter agat, ab officio suspendetur, quoad diei spatio ex pane & aqua jejunaverit. Si se non corrigit, suasve functiones, licet suspensus, obire pergit, beneficio per judicis sententiam privabitur.

13. Perficiet episcopus, ut in carcerem trudatur presbyter, quicunque in suspensione aut excommunicatione celebraverit. Perinde se geret quoad clericum vel religiosum qui in furto aliove enormi crimine deprehensus fuerit.

14. Quicunque carcerem fregerit, ut clericus aut monachus, Episcopi jussu detentus evadat, excommunicationi subdetur.

15. Nullus prælatus cuipiam, seu viro seu feminæ, capillos amputare, eive religiosum habitum conferre poterit, aut pati, ut eum deferat, quin is regulam in approbato ordine profiteatur, aut alicui monasterio se addicat.

16. Erronibus qui e schola sunt, eleemosyna non tribuetur.

17. Interdicitur quidam ludus qui *episcopatus infantium* dicitur, in ecclesiis inter ecclesiasticos in more positus.

18. Operam dabunt episcopi, ut censuræ ab aliis episcopis latæ serventur.

19. Celebrabuntur, in tota provincia, sanctorum Ruperti, Virgilii & Augustini festa, qui Salisburgi patroni sunt.

20. Religiosorum nullus sibi confessarium extra suum ordinem, nisi annuente episcopo, eligere poterit.

21. Trudentur in carcerem monachi aut religiosi quæ sæcularium potestatum opera utentur, ut sui superioris correctioni se subtrahant, nullumque sua in ecclesia aut monasterio beneficium aut officium possidere poterunt.

22. Præcipitur generale in universa provincia interdictum, ut puniatur Episcopi in carcerem conjectio, aut persecutio quæ ejus ecclesiæ inferretur; ab eo tamen Principum persona & dominium excipitur, nisi forte, quæcunque iis super hac re darentur, monita contemnerent, injuriasque quas attulissent, intra mensem reparare renuerent.

Interdictum censura est per quam ecclesia fideles privat sanctarum quarumdam rerum usu, cujusmodi sunt sacramenta, divina officia, in ecclesiam aditus, ecclesiastica sepultura. Cum interdictum proxime personam afficit quam sanctarum rerum, ubicunque tandem extiterit, usu privat, *personale* nuncupatur; at si proxime locum afficit, impediens, ne ibi divinum officium fiat, sacramenta administrentur, &c. *locale* appellatur. Interdictum locale vel generale est vel particulare. Generale est, cum in urbem cadit, in provinciam, in regnum universum. Particulare est, cum in peculiarem locum, ut in aliquam ecclesiam incidit. Admodum incerta est interdictorum origo. Sunt qui sibi videantur localis interdicti exemplum primum perspicere in 244. S. Basilii Epistola in qua S. Pater eum qui puellam rapuit, ejusque socios excommunicatos, locique incolas in quem raptor cum puella rapta receptus fuit, fidelium communione privatos vult. Putant alii per hæc S. Basilii verba veri nominis edictum seu formale non designari, sed localis interdicti exemplum primum illud esse quod affert Gregorius Turonensis, cum Leudowallum, Rothomagi archiepiscopum ait omnes ejus urbis ecclesias claudi jussisse, quod S. Prætextati, ejusdem urbis archiepiscopi qui sua in ecclesia ipsa an. 589. proditus fuerat, interfector detegeretur. Non ergo cœpere localia interdicta nisi sexto labente sæculo; ac nono quidem ipso, generalia interdicta nondum innotescebant; quæ tamen sæculo undecimo, Gregorio præsertim VII. ecclesiam regente, adeo communia evaserunt, ut crederent auctorum quidam Papam hunc hujusmodi censuræ inventorem fuisse, quam sane censuram Yvo Carnutensis qui an. 1115. e vivis excessit, *remedium insolitum, ob suam nimirum novitatem*, *Epist.* 94. appellabat. Subsecutis temporibus, summi ipsi Pontifices coacti fuere severitatem moderari qua localia interdicta servari jubebantur, ob turbas & scandala quæ inde derivabantur. Primo quidem ea data venia, ut baptismus & communio morientibus conferretur; deinde vero, ut in interdictis ecclesiis prædicaretur, & confirmationis sacramentum administraretur; tum, ut semel, hebdomadis singulis, privata missa diceretur, sine sonitu, & clausis ecclesiæ foribus; tandem, ut quotidie, sine cantu, & quin pateret ecclesia, sacrum fieret; pulsarentur æra campana, servitiumque, januis ipsis apertis, anni solemnibus quatuor festis diebus, concineretur. Postrema hæc Papæ Bonifacii VIII. constitutio est. Ex eo tempore, Basileense concilium, *Sess.* 20. *art.* 3. hos huic censuræ adhibitos modos latius patere voluit, proscribens, per suum celebre decretum, *quoniam ex indiscreta interdictorum multitudine*, &c. generalia super universis locis aliquibus interdicta, præterquam ob gravem culpam quæ iisdem locis, eorumve dominis, administratoribus, publicis officiariis communis esset, non autem ob privatæ personæ culpam, nisi hæc persona publice in ecclesia denuntiata esset, locorumque rectores, a judice rogati, ut excommunicatum hominem pellerent, intra biduum obsequi renuissent; ita porro, ut, cum excommunicatus ejectus esset, aliamve congruam satisfactionem subiisset, sublatum interdictum, ipso elapso biduo, censeratur. Pragmatica Sanctio, *tit.* 21. & Concordatum, *tit.* 15. eamdem dispositionem continent.

Quamvis porro hæc omnia temperamenta locali interdicto adhibita fuerint, quia tamen illud malis pluribus, ut perturbationi, scandalo, licentiæ, impietati, &c. occasionem præbet, proinde jam prope nullibi in usu ponitur; atque in Gallia quidem ejus enuntiationem

tionem Parlamenta non paterentur, Dominique Procuratores generales ab eo tamquam ab abusu appellationem interponerent, propterea quod Principes, dum Christianam religionem amplexi sunt, nullum e suæ supremæ dignitatis juribus amiserunt; ad eosque proinde pertinet de iis rebus omnibus quæ dissidium & perturbationem in eorumdem ditiones inferre possunt, cognoscere, easque cohibere. Cæterum, confundi non debet interdictum cum simplici cessatione *a divinis*, quæ nullam censuram continet, quæque instituta fuit, cum ecclesia, cœmeterium, aliusve sanctus locus ob aliquod crimen polluta sunt.

23. Interdictio, sub excommunicationis pœna, ne quis parœciam aut prælaturam e laicorum manu suscipiat, antequam ejus investitura eidem ab episcopo collata fuerit.

24. In ecclesiarum advocatos interdictio, ne eas vexent, ab iisve ultra sua jura quicpiam exigant. *Ibidem.*

Concilium Arelatense, an. 1276.

Bertrandus de sancto Martino, Arelatensis archiepiscopus, habuit concilium hoc, in quo canones edidit viginti duos.

Horum primi quatuor periere. Qui sequuntur, ad decimum secundum usque, non alio spectant, quam ut præcedentium canones renovent, super obligatione qua episcopi obstricti sunt, ut sententias servandas curent quas eorum confratres tulerunt, super bonorum quæ ad ecclesias & hospitalia pertinent, inventario, super interdictione, ne ecclesiæ suppellex vendatur aut oppigneretur, sine episcopi facultate, aut quispiam adigatur, ut se jubeat extra parœciam sepulturæ dari, superque mandato, ut testamenta coram parochis edantur, & hi quidem piorum legatorum executores fiant.

12. Capita continet Papæ reservata quæ sunt: hæresis, simonia, excommunicationis aut interdicti contemptus, ordinatio *per saltum*, aut sine proprii episcopi venia; incendium, eucharistiæ aut sancti chrismatis ad pravum usum contractus; homicidium, sacrilegium, incestus cum matre, sorore, consanguinea, fratris sorore, religiosa; puellæ violatio, luxuriæ peccatum in ecclesia perpetratum, peccatum contra naturam, infantis suppositio aut abortus.

13. Casus continet Episcopis eorumve pœnitentiariis reservatos qui sunt: falsum testimonium, matrimonium ab eo initum qui, per jusjurandum, aliam se ducturum recepit; adsistentia, parochi monitis non obstantibus, ab eo divinis officiis præstita, qui nondum ab excommunicationis aut interdicti quod subierat, sententia absolutus fuit; officii in loco interdicto celebratio, sepultura excommunicatis, aut in cœmeterio interdicto concessa; decimarum rerumve quæ per testamentum relictæ sunt, usurpatio & retentio. Vetantur presbyteri his in casibus absolutionem tribuere, nisi forte ii quorum confessiones audiunt, in mortis periculo versentur, episcopumve aut ejus pœnitentiarium adire non possint.

14. & 15. In clericos interdictio, ne triticum aut vinum emant, eo animo, ut ex iisdem revenditis lucrum percipiant.

16. Mandat, ut in ecclesiis singulis argentei calices adsint.

17. Ut reficiantur rurales ecclesiæ, domusque quæ ab iisdem pendent.

18. Ut excommunicati, dominicis diebus singulis, itemque usurarii & adulteri denuntientur.

19. Ut parochi referant in peculiarem codicem eorum nomina qui per Quadragesimam ad pœnitentiæ sacramentum accedunt; & post Pascha, eos qui confessi non sunt, ad episcopum deferant; ac religiosi, si qui sunt qui in parœcia a confessionibus sint, parochis exhibeant eorum nomina quorum confessiones audierint.

20. Ut ne in terra sancta ponantur qui mortui fuerint, quin propriis parochis intra annum confitentur.

21. Ut ægrotantium confessiones audiant parochi, easve audiendi facultatem presbyteris sæcularibus aut religiosis conferant.

22. Prohibentur parochi suas ecclesias deserere, ut ad alias migrent, antequam episcopo suæ administrationis rationem reddiderint. *Lab. in Append. & Hard. Tom. VIII.*

Concilium Salmuriense, an. 1276.

Joannes de Moutsoreau, Turonensis archiepiscopus, provinciale concilium hoc, feria secunda post S. Joannis festum diem, celebravit, in eoque quatuordecim super ecclesiastica & monastica disciplina canones seu articulos edidit.

1. Omnibus in ecclesiis luminare diu noctuque accensum aderit, secundum utrumque jus quod ecclesiam erigi non patitur, nisi ea conditione, ut, ad divini cultus honorem, fundator redditaum satis ad luminaris & deservientium sustentationem relinquat.

2. Interdictio, ne capsæ, dolii, aliæve profanæ res in ecclesiis ponantur; id enim pugnat cum reverentia debita Dei domui quæ precum domus est.

3. Ecclesiastici curata beneficia plura non possidebunt, nisi satis graves episcopo causæ subsint, quamobrem hac in re cum nonnullis dispenset.

4. Monachi & canonici regulares non deferent versicolores pellitas vestes; & canonici regulares ipsi non gestabunt patentes calceos, nisi tres saltem nodi cuique sint.

5. Monachi nec apertos calceos, nec ocreas seu has ipsas leviores in laicorum modum striatas, nec cingula aut marsupia serica, nec cultros, cultellos, utensilia denique quibus aurum aut argentum insit, gerent.

6. Abbatissæ, cum aliquam personam in cœnobio quod ab eis pendeat, collocandas recipient, bona quæ ab ea afferri contigerit, ipsæ sibi non retinebunt; sed ea omnino domui addicentur in qua perpetua erit ejusdem personæ mansio.

7. Monachis nec locus in pluribus monasteriis, nec in eodem monasterio officium aut administratio multiplex erit.

8. Religiosi juniores in prioratibus non ponentur qui conventuales non sunt.

9. In abbates, priores & administratores qui vacantes prioratus expoliant, renovatur suspensionis sententia.

10. Interdictio, ne sæcularibus clericis prioratus dentur qui duobus sustentandis monachis pares sunt.

11. Judices, sub excommunicationis pœna, ei legi subeunt, ut ecclesiasticis jus tribuant.

12. Excommunicati nec actionem apud judicem intentare, nec causam agere, nec testimonium reddere poterunt.

13. Potestas erit episcopo a casibus absolvendi, in quibus concilium suspensionis aut excommunicationis sententiam pronuntiat.

14. Mandatur, ut antecedentium conciliorum leges serventur. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Bituricense, an. 1276.

Simon, Cardinalis, titulo S. Cæciliæ, sanctæ Sedis legatus, habuit concilium hoc quod edidit sequentia statuta sexdecim, ut Ecclesiæ disciplinam & libertatem redintegraret.

1. Qui electionum libertatem turbant, excommunicati sunt *ipso facto*; si clerici sæculares aut regulares, amittent præterea beneficia, dignitates, officia, aliisque quibuslibet in perpetuum inepti erunt; si laici, eorum familia ipsa interdicto suberit, posteritas vero omni præbendæ, dignitati, personatui, beneficio ecclesiastico impar erit, ad quartam generationem usque, & eam ipsam.

2. Judices delegati, suis in citationibus, formas a Romana curia præscriptas servabunt.

3. Iidem delegati ob absolutionem a censuris nihil exigent aut accipient; idque in excommunicationis *ipso facto* subeundæ pœnam.

4. Monachorum in abbates querelis faciles aures episcopi non præbebunt, præsertim cum agitur de monastica correctione, quoniam hi queruli monachi sæpe nihil aliud in animo habent, quam ut oberrent, & regularem disciplinam enervent.

5. Laici qui ecclesiasticam jurisdictionem turbant, Ecclesiæ censuris subdentur.

6. Denuntiabuntur publice excommunicati qui, per vim aut minas, ecclesiasticos judices adigent, ut eos a censuris absolvant in quas inciderint.

7. Eadem in sæculares magistratus pœna, qui ecclesiasticos cogunt ad eorum tribunal ob mere personales causas accedere.

7. In decimarum negotio nulla est admittenda præscriptio; eosque episcopi excommunicatione plectent qui personas quibus decima debetur, impedient, ne eam percipiant.

9. Qui testamenti secundum sanctos canones editi executionem impediunt, nisi diebus octo postquam moniti fuere, destiterint, excommunicationi subdentur.

10. Eadem in eos pœna qui imponunt nova jura, vel augent vetera super ecclesiasticis superque bonis quæ ad eos pertinent.

11. Ea-

11. Eadem pariter in eos pœna qui Ecclesiæ libertatibus veteribusque approbatis consuetudinibus contrarias sanctiones edunt.

12. Qui Ecclesiæ immunitates violant, eosque lædunt aut interficiunt qui in asyli loca confugerunt, aliamve iisdem vim inferunt, excommunicati erunt privatique beneficiis & feudis quæ eos ab Ecclesia tenere contigerit.

13. Qui ecclesiasticam jurisdictionem utcunque turbaverit, excommunicatione percelletur.

14. Quia aliquorum Christianorum simplicitate abutuntur Judæi, ut eos seducant & in errorem pertrahant, hi proinde non alibi quam in urbibus, oppidis præcipuisque locis degere poterunt.

15. In exemptos seu privilegiatos interdictio, ne, scientes, ad sacramenta publicos excommunicatos & usurarios admittant, iisdemque sepulturam concedant.

16. Qui judiciaria acta ecclesiastica sibi sumere volunt, aut acerbe cum iis agunt qui ea executioni mandant, excommunicationi suberunt *ipso facto*. *Ibid.*

Concilium Langesiense, ann. 1278.

Joannes de Montfereau, Turonensis archiepiscopus, una cum suis suffraganeis, habuit concilium hoc, in eoque edidit sequentia statuta sexdecim.

1. Procurationis jus exigere prælati non poterunt, cum ecclesias non visitabunt; ac tum quoque, cum eas visitabunt, non ex pecunia, sed ex cibariis, iisque moderatis, exigent jura hæc, nisi forte vetus obtineat mos, ut ea ex numerata pecunia dentur, aut in visitationis loco prælatus honeste cubare non possit.

2. Renovantur Goutheriensis. an. 1231. & Turonensis, an. 1239. conciliorum canones qui archidiaconos, archipresbyteros & decanos vetant officiales extra urbes habere.

3. Jubentur episcopi clandestina matrimonia impedire.

4. Prohibentur presbyteri apud se filios habere quos ex concubinis susceperé, iisque quicpiam legare.

5. In testamentarios executores eorumque procuratores interdictio, ne quod emant e bonis quæ in testamento continentur, ea indicta pœna, ut contractus nullus sit, ipsique hæredibus ex testamento duplum emptæ rei pretium reddant.

6. Qui per anni spatium, ad Ecclesiæ clavium contemptum, in excommunicationis vinculis remanserunt, nullum legatum percipere, nec absolvi poterunt, nisi gravem & publicam pœnitentiam subierint.

7. Qui apostolicis litteris abutuntur, Ecclesiæ censuris suberunt.

8. Parœciæ locari non poterunt, sine diœcesani episcopi expresso consensu.

9. Non omnes generatim excommunicatione plectentur qui cum excommunicatis communicant, nisi gravibus de causis episcopus ita expedire judicaverit.

10. Qui jura habent quæ alter cessit, affirmabunt, antequam actionem intentent, cessionem hanc dolosam non esse.

11. Nullus monachus in prioratus mittetur, quin annos saltem octodecim natus sit.

12. Non recipientur religiosi, aut religiosæ plures quam monasteria alere possint.

13. Superiores unum tantum monachum in prioratu nunquam relinquent.

14. Vacantes prioratus non spoliabuntur.

15. Cum advocati recipientur, jurare jubebuntur se pravas causas non suscepturos, suosque clientes pro viribus defensuros. Eorum nullus in ecclesiastica tribunalia admittetur, quin operam, triennii spatio, canonico & civili juri navaverit, aut se in agendis causis exercuerit.

16. Jurare officiales aliique officiarii ecclesiastici jubebuntur se munera non accepturos, & rite ac recte jus reddituros. *Labb. Tom. XI. Hard. Tom VIII.*

Concilium apud Pontem Audemari, an. 1279.

Guillelmus *de Flavacur*, archiepiscopus Rothomagensis, hoc suæ provinciæ concilium, feria quinta ante Ascensionem habuit, in eoque sequentes viginti quatuor constitutiones edidit.

1. Clerici juste excommunicati suorum beneficiorum proventus amittent, ac si per annum excommunicati permanserint, amittent beneficia ipsa.

2. Capellani vel parochi qui, ut debent, missam non celebrant, beneficiis quæ possident, privabuntur, & pro non residentibus habebuntur, nisi se corrigant post canonicam monitionem, postquam scilicet juridice ter moniti fuerint.

3. Renovantur in ecclesiasticæ jurisdictionis perturbatores Bituricensis, an. 1276. & Lugdunensis, an. 1274. conciliorum statuta.

4. Qui excommunicati sunt (per decimum quintum secundi Lateranensis consilii canonem), quia male clericos habuerunt, denuntiabuntur & punientur tamquam excommunicati, nisi se intra tempus quod iis ordinarius designaverit, absolvendos curent.

5. Lateranensis concilii quarti canon 21. super annua apud proprium parochum confessione & paschali communione, fideliter servabitur.

6. Domini aut judices qui clericos contra ecclesiasticorum judicum requisitionem retinent, primo quidem generatim, deinde vero peculiariter, cum probe de re constiterit, excommunicationi subdentur.

7. Causas quæ ad Ecclesiam pertinent, ac potissimum personales ad laica tribunalia ecclesiastici non deferent. Id jam vetuerant concilia, Epaonense an. 517. Aurelianense an. 541. Matisconense an. 585. Parisiense an. 615. Remense an. 630. denique Bituricense an. 1276.

8. Grossi decimatores suberunt ecclesiarum, librorum & ornamentorum reparationi, pro redditu quem ex iisdem ecclesiis percipiunt.

9. Christiani Judæis non servient, ac ne apud eos quidem commorabuntur; ac Judæi ipsi ei legi suberunt, ut externas aliquas notas deferant quæ eos a Christianis secernant.

10. Nec vigiliæ omnino nec choreæ in ecclesiis vel in cœmeteriis agentur.

11. Ad venationem clerici non incumbent.

12. In abbatiis & prioratibus quorum redditus non decreverunt, ponetur vetus monachorum numerus.

13. Monachi qui in prioratibus sunt, Gregorii Papæ, super abstinentia a carnibus, super confessionibus, superque jejuniis, constitutiones servabunt; ac per censuras ad id adigentur.

14. Regulares cum sæcularibus, absque ordinarii venia, non degent.

15. Servabitur quinquagesimus nonus quarti Lateranensis concilii canon, qui regulares vetat ultra statam summam, sine expresso abbatis consensu, mutuari.

16. Decani rurales qui jurisdictionem exercent, nullam suspensionis aut excommunicationis sententiam nisi de scripto pronuntiabunt.

17. Excommunicati, quoad se absolvendos curaverint, denuntiabuntur.

18. Non pronuntiabitur excommunicatio generatim, nisi ob furta jacturasque, & quidem post congruam monitionem, canonicam monitionem scilicet quæ ter repetenda.

19. Capellani qui ecclesiarum servitio ad tempus addicentur, subdentur examini super ingenio, super vitæ ratione, super ordinatione denique ipsa.

20. & 21. Clerici, seu conjugati, seu non, qui post juridicas monitiones tres, a sæcularibus negotiis non abstinuerint, tonsuram & habitum clericalem non deferent, clericorum more non vivent, eosque nec defendent, nec vindicabunt ecclesiæ judices.

Vicesimus canon qui conjugatos clericos ab iis distinguit qui conjugati non sunt, sequitur Lateranensis concilii quarti quod an. 1215. habitum fuit, decimum quartum canonem in quo legitur: *Qui autem secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam conjugalem, si lapsi fuerint, gravius puniantur, cum legitime matrimonio possint uti*. Urbanus tamen Papa II. jam inde ab an. 1089. mandaverat, ut omnes ad unum clerici qui, post subdiaconatum, matrimonio uti voluisset, omni officio & beneficio ecclesiastico privarentur; quamobrem dicendum est hujus Papæ mandatum non ubique viguisse, ac vel in Occidente ipso regiones extitisse in quibus subdiaconos ante ordinationem conjugatos matrimonio deinde uti liceret. Constat etiam, in aliquibus Occidentis ecclesiis, matrimonium subdiaconis concessum fuisse qui in ordinatione ipsa declarabant se nolle cœlibatui se subdere, quemadmodum illud diaconis ipsis in græca ecclesia concedebatur.

22. Presbyteri ob non solutam decimam excommunicatione perculsi se ante Dominicum Natale absolvendos curabunt, eam, secus, pœnam subituri, suis ut beneficiis priventur, si ita expedire episcopo visum fuerit.

23. Clerici qui sacræ militiæ nomen dederunt, privilegiis quæ cruce signatis summi Pontifices eorumve legati concesserunt, non abutentur.

24. Canonici regulares in parochorum album referri non poterunt, nisi prius examini episcopus eos subdiderit; eosque, sine episcopi consensu, superiores revocare non poterunt. Si superiores regulares, quadraginta post diebus quam parœciæ vacare cœperint, idoneos viros qui eas repleant, non præsentaverint, iis epi-

episcopi providebunt, in iisdemque sæculares presbyteros, si par esse crediderint, collocare poterunt.

Concinit canon hic tam veteri quam novo juri cujus vi collatores episcopis inferiores non possunt parœcias conferre, quin it quibus eas conferunt, se episcopo præsentare debeant, ut approbationem seu cum auctoritate institutionem suscipiant, quæ secum animarum curam, easque regendi facultatem trahit, quam unus episcopus dare potest. Si quis abbates & abbatissæ sunt, qui parœcias conferunt, quin parochi necesse habeant se ab episcopo approbandos curare, id eo fit, quod, ob singulare privilegium, hi collatores jurisdictione quasi episcopali gaudent, &, hoc ex capite, episcoporum, quoad eas parœcias, prope dixerim, locum tenent. Quod attinet ad tempus collatoribus & patronis concessum, ut exerceant suum collationis aut præsentationis jus, patronis ecclesiasticis quidem menses sex, laicis vero menses tantum quatuor suppetunt, a die numerandi qua vacationis notitia ad eos pervenit; quibus elapsis, ad patroni seu collatoris proximum superiorem devoluta collatio est. *Ibid.* & *Bessinus, in Concil. Normann.*

Concilium Avenionense, *an.* 1279.

Bertrandus de sancto Martino, archiepiscopus Arelatensis, qui deinde Cardinalis-Episcopus Portuensis fuit, habuit concilium hoc Maji die 17. in eoque constitutiones quindecim ad disciplinam spectantes edidit.

1. & 2. Censuras in eos ferunt qui ecclesiasticis bonis potiuntur.

3. Episcopos qui contumeliam aliquam passi sunt, sinit, vel extra suum territorium, sententias in eos ferre a quibus probro affecti sunt; omnibusque Arelatensis provinciæ ecclesiasticis mandat, ut ejusmodi sententias servent, quia, in hac facti specie, inquiunt concilii Patres, Arelatensis provincia universa e singulorum ad eam spectantium episcoporum territorio est, usque eo dum reus congruam satisfactionem persolverit.

4. Eos communione spoliari jubet, qui clericos quorum potiti sunt, ad ecclesiasticam jurisdictionem remittere nolunt; quod si, per monitiones tres publice denuntiati, parere noluerint, urbs & loca cætera in quibus hi clerici detenti fuerint, interdicto subdentur.

5. Sub excommunicationis *ipso facto* subeundæ pœna, vetat omnibus seu ecclesiasticis seu sæcularibus, ne ipsi per se, vel per alium cuipiam persuadeant, ut se suam extra parœciam sepultum velit.

6. Servari jubet canones plures aliis temporibus in Judæos editos, cujusmodi sunt qui iis præscribunt, ut notas ferant per quas dignoscantur, ut a carne publice comedenda Quadragesimæ tempore abstineant, ut sanctum Sacramentum, cum obvium habent, cum observantia salutent, &c.

7. & 8. Bituricensis concilii, an. 1226. in eos qui ecclesiastici jurisdictionis libertatem turbant, canones renovant.

9. Regularibus & sæcularibus exemptis vetat, ne excommunicatos, nominatim interdictos & publicos usurarios ad sacramenta vel ad sepulturam recipiant.

10. Valentini concilii, an. 1248. decretum instaurat, quod excommunicatos a publicis officiis arcet.

11. Excommunicationem in eos pronuntiat qui ad aliquod publicum munus excommunicatos eligunt recipiuntve.

12. & 13. Clericos vetat se mercaturæ & negotiis sæcularibus immiscere.

14. Sub excommunicationis pœna, interdicit, ne testamenta supprimantur.

15. Mandat, ut, intra menses duos, statuta hæc in Arelatensis provinciæ ecclesiis omnibus enuntientur. *Ibid.*

Concilium Redingense, in Anglia, *an.* 1279.

Joannes Peckamus, archiepiscopus Cantuariensis, cum suffraganeos episcopos, an. 1279. Redingi, congregasset, Ottoboni constitutiones renovavit, quibus alias super beneficiorum collationibus, super excommunicationis sententiis, superque clericis concubinariis nonnullas addidit. Extat etiam hoc in concilio de infantium baptismo decretum, ut nempe qui diebus octo ante Pascha, itemque ante Pentecosten lucem aspiciunt, his duobus festis diebus solemnem in modum baptizandi reserventur. Extant & alia plura ad religiosos & religiosas spectantia quæ fuse quicquid ordinem ac disciplinam in monasteriis servandam afficit, persequuntur. Commendatur, inter alia, ut religiosi & religiosæ secessum, modestiam & simplicitatem custodiant; iisque alte animo infigitur ridiculum fore eos *dominos*, hasve *dominas* appellari.

Concilium Budense, seu, *Heracliense*, *an.* 1279.

Philippus, Firmensis episcopus, & in Pannonia, Polonia, Croatia, Servia, &c. sanctæ Sedis legatus magnum ex earum regionum præsulibus, Budæ, seu Heracliæ, concilium habuit cui Septembris mensis dies 14. an. 1279. finem attulit, & in quo editæ constitutiones sexaginta novem super Ecclesiæ disciplina, cujus compendium veluti quoddam sunt.

1. Quoniam prælati inferioribus morum puritate, agendique ad regulas exacta ratione præstare debent, quemadmodum dignitatis eminentia & auctoritatis amplitudine eos antecedunt; magnam proinde circularem coronam deferent quæ aures omnino patentes relinquat, pro communi religiosorum consuetudine, cum alia religio major non adsit quam pontificalis religio.

2. Nunquam seu equo insidentes, seu pedibus incedentes se in conspectum dabunt, quin albam aut rofeam sub cappa seu lacerna tunicam gerant.

3. Prælati aliive presbyteri nec lacinias, nec externas apertas vestes, nec globulos, nec fibulas aureas argenteasve, nec demum ullum super indumentis ornamentum ferent cui aurum aut argentum admixtum sit. Vestes huic decreto contrariæ proscribentur a superioribus, in pauperum subsidium; contraque facientes, quoad resipuerint, beneficiis, si qua possident, privabuntur.

4. Annulum prælati tantum gestare poterunt; quem si quis alius ex ecclesiasticis deferet, abstrahet episcopus, eumque adiget eodem tempore, ut annuli valorem pauperibus det, secus, ecclesiæ ingressu privandus.

5. Eadem in clericos pœna qui suis in ædibus antisve cauponam tenere ausi fuerint.

6. In religiosos pœna eadem qui episcopi renuntiati non deferent sui ordinis habitum tum publice, tum privatim.

7. Nulli hostili facinori se immiscebunt clerici, nisi forte suas ut ecclesias aut patriam tueantur, ac ne tum quidem pugnabunt ipsi per se.

8. Clerici nec commercium nec officium publicum exercebunt; non ad spectacula nec ad cauponas se conferent; aleis non ludent, ac ne adsint quidem, ut alios ludentes spectent; tonsuram & coronam regularem deferent, utilibusque studiis animum applicabunt.

9. Clericorum nullus in sanguinis sententia partem vel minimam sibi sumet, aut chirurgiam profitebitur, quatenus adustionem seu incisionem propositam habet; seu denique cæremoniam purgationis per aquam frigidam aut calidam, aut per ferrum candens sua benedictione firmabit.

10. Vicariatus laicis aut clericis conjugatis archidiaconi perinde ac parochi non committent, sub pœna privationis officii & beneficii quoad committentes, & excommunicationis quoad commissos.

11. Arma non ferent clerici, sine episcoporum venia, & hac ipsa justo & evidenti metu nixa.

12. Feminas apud se clerici non detinebunt, & excommunicationi suberunt *ipso facto*, si minus, quas detinent, intra tres menses a concilii postremo die numerandos expulerint.

13. Genua flectent clerici se cum reverentia inclinantes, quoties Mariæ nomen, divini officii tempore, pronuntiatum audient. Nudis pedibus in choro non aderunt; presbyteri vero semper ibi rotundis cappis aut superpelliceis induti erunt.

Est in textu presbyteros officio nunquam adfore *sine cappis rotundis vel superpelliciis*. *Superpellicium* erat linea vestis cum manicis, ita dicta, quia tunicis seu vestibus pelliceis imponebatur, inquit Durandus, in *Ration. Lib. II. cap.* 1. *n.* 10. & 11.

14. Prælati qui ecclesias visitant, ea moderatione se gerent, ut iis nulla prorsus ratione onerosi sint.

15. Nullum beneficium e laicorum manu accipietur; & episcopi aut alii ad quos pertinet instituere, confirmare aut providere, nil horum facient, nisi postquam iis certo constiterit eorum qui præsentantur, electionem canonicam esse, salvis tamen patronorum legitimis juribus.

16. Quicumque ex clericis beneficia possident quæ animarum curam adjunctam habent, in iis residebunt, iisdemque deservient ipsi per se, quin vicarios ibidem statuere possint absque ordinariorum consensu, secus, eam pœnam subituri, ut beneficii proventu ad annum priventur.

17. Clerici qui fœdera seu conspirationes inierint, excommunicationem *ipso facto* subibunt, beneficiis quæ possident, ad tempus vel in perpetuum privabuntur, itaque

itaque præterea punientur, ut exemplo cæteris esse possint.

18. Parochi, antequam ad synodum pergant, suis in parœciis ægrotantes invisent.

19. Omnes ad unum clerici seu sæculares seu regulares in dignitatibus constituti se ad provinciæ synodum conferent; quod si legitime impediti fuerint, eo clericum mittent qui eorum excusationes afferet, quique eorum procuratione munitus erit, ut, quicquid in synodo præscribetur, acceptet. Archiepiscopi, episcopi, abbates & quicumque mitræ privilegio gaudent, se synodo sistent induti mitris, superpelliceis, stolis, cappis seu pluvialibus; inferiores prælati, superpelliceis & stolis, ac, si voluerint, cappis seu pluvialibus; simplices presbyteri, *cottis* seu superpelliceis & stolis; denique inferiores clerici, *cottis* tantum.

Cotta, *cottus*, seu, *cota* erat linea vestis clericorum propria, seu superpellicei genus quoddam. *Clerici induti vestimentis sericis, aut superpelliceis, sive cotis vadant processionaliter*, Alexander IV. pap. Lib. VI. Epistol. 156. *Canonici teneantur ire bini & bini, cum superpelliceis sive cottis lineis, &c.* Stat. Eccl. S. Laur. Rom. MSS.

20. Quicumque beneficia possidebit quibus animarum cura est, se intra annum presbyteratu initiandos curabunt, secus, eam pœnam subituri, suorum ut beneficiorum jacturam faciant.

21. Eucharistiæ sanctisque oleis apponetur clavis.

22. Nemo altari deserviet, aut epistolam leget sine superpelliceo ac talari veste. Distincte & devote presbyteri divinum diei & noctis officium recitabunt.

23. Qui in beneficia intrusi fuerint, excommunicationi subdentur, & ad fructuum restitutionem adigentur.

24. & 25. Clerici sæcularibus judicibus haud se sistent nisi forte ob sæcularia negotia ad laicum, non autem ad ecclesiasticum forum pertinentia.

26. Filios quos in sacris ordinibus constituti susceperunt, apud se clerici non retinebunt; eruntque hi sane pueri majoris ecclesiæ mancipia. Nec magis clerici ipsi habebunt apud se talos, aut alia ad aleas instrumenta.

27. Reliquiæ suas extra capsas non ostendentur, nisi præcipuis diebus festis, aut frequenti præsente populo, pro aliquarum ecclesiarum consuetudine. Neque vero eædem vendentur, aut præstabitur novis honos absque Papæ venia.

28. Ii tantum poterunt divinum verbum nuntiare, quos Papa aut episcopus approbaverint; nec tolerabuntur quæstuantes alii quam qui Papæ ejusve legatorum, vel episcopi litteras exhibuerint.

29. Non oppignerabuntur ornamenta ecclesiæ, nisi ejusdem ecclesiæ necessitas ita postulet, & quidem episcopo veniam dante & parochianis consentientibus.

30. Ecclesiarum rectores nihil de suarum ecclesiarum bonis, supellectile, juribus, libris, ornamentis, dum vivent, donare poterunt, aut in mortis articulo de iisdem testari, nisi quibus in casibus per jus licet.

31. Clericorum nullus id sibi sumet, ut extra regnum, suamve extra provinciam iter instituat, sine proprii episcopi eorumve nutu, qui ei sunt ordinariorum loco, ea, secus, statuta pœna, ut beneficiis quæ possidet, ad annum privetur.

32. Ad sanctorum ordinum obeunda munia nullus ignotus clericus admittetur, nisi ostendat ordinarii sui litteras quæ fidem faciant ordines quorum functiones peragere vult, eum suscepisse. Qui aliter eum admiserint, ipsi sanctarum rerum receptione, & ecclesiæ aditu privabuntur.

33. In propriis parœciis & non in aliis, ac ne in religiosis quidem domibus fideles divinis officiis intererunt. Parochis suis tantum parochianis, & quidem sub suspensionis pœna, sacramenta administrabunt; exceptis tamen clericis, peregrinis, iisve qui ad aliquam ecclesiam, cum Papæ venia, se conferunt.

34. Ecclesiæ bonorum administratores, bis in anno, suæ administrationis rationem reddent.

35. Abbates, priores & parochi mutuas dare aut accipere non poterunt nisi duas tresve pecuniæ marcas, cæteri vero clerici, nisi unam tantum, sine capituli & diœcesani episcopi consensu.

Marca, *marcus*, & *marcha* erat auri aut argenti pondus quod semilibram æquabat, eratque usui in commercio, ante quam cusa pecunia adhiberetur.

36. Suarum ecclesiarum suorumve monasteriorum bona immobilia aut jura nec inferiores prælati sine episcoporum, nec episcopi sine metropolitanorum, nec metropolitani sine sanctæ Sedis venia, præter quam in casibus a jure concessis, alienare poterunt.

37. Nova ecclesiis tributa non imponentur.

38. Archidiaconi non instituentur, quin triennium canonico juri studuerint; quique jam instituti sunt, ei legi suberunt, ut hoc studii triennium peragant, idoneis vicariis per hoc totum studii tempus in eorum locum positis.

39. Matrimonialium causarum cognitio prudentibus, circumspectis & in hoc rerum genere expertis viris reservabitur.

40. Abrogantur omnes excommunicationis sententiæ, omne jusjurandum, cæteræque rationes omnes quas adhibent tam sæculares quam regulares prælati quidam, ut impediant, ne inferiores suarum ecclesiarum suorumve monasteriorum statum superioribus majoribus pate faciant.

41. Nullæ mobiles profanæ res in ecclesiis ponentur, nisi ut sartæ tectæ quæ ab hostium incursionibus, vel a flammarum furore serventur.

42. Manualis cæterique ecclesiastici libri parochis singulis præsto erunt.

43. Interdictio, sub excommunicationis pœna, ne choreæ ducantur, aut lites intententur in cœmeteriis vel in ecclesiis. Nec magis ædificabitur in cœmeteriis, aut stercus aliæve sordes ibidem ponentur.

44. Laicos parochi non sinent in ecclesiis vigilias agere, nisi vetus iis faveat mos, in iisdemque nihil non ex pietatis legibus fiat.

45. Canonici qui horis canonicis non intererunt, distributionibus privabuntur; & capitula nominabunt canonicorum quempiam qui notet absentium nomina.

46. Interdictio, ne archidiaconi bessem romanum seu selibram francicam exigant ad eos sepeliendos quos aliquo casu, ut gladio, veneno, naufragio, &c. mori contigerit.

47. Laicos prohibebunt parochi, ne concubinas habeant, ea in refractarios statuta pœna, ut priventur ecclesiæ aditu.

48. Suis in domibus suisve in terris nemo pravæ vitæ feminas feret, secus, eam pœnam subiturus, ut ecclesiæ ingressu privetur.

49. Laici qui defunctorum ecclesiasticorum bona, quavis obducta causa, usurpaverint, excommunicatione plectentur.

50. Eadem in eos pœna qui ecclesiæ bona aut jura alienaverint.

51. Qui patronatuum juribus gaudent, ea donare vel in alios transferre sine diœcesani episcopi consensu non poterunt.

52. & 53. Quicumque sibi vindicant ecclesiarum aut monasteriorum bona, excommunicationi subdentur.

54. Ecclesiastici judices qui se favore aut pecunia corrumpi sinunt, ad annum ab officio suspensi erunt.

55. Excommunicati carebunt agendi apud judicem, litis intentandæ, aut testimonii ferendi jure.

Ut excommunicationem consequerentur effecta hæc, eam denuntiatam esse oportebat; at in præsentia, tum quoque cum ea denuntiata est, si necessitas adsit, cum excommunicato communicari, in eum causam agi, aut cum eodem contractum iniri licet. In Gallia, potest etiam excommunicatus testari, succedere, apud judicem petere, se testem præbere, gentilitiæ aut feudalis redhibitionis jure uti, &c. Gibertus, *Instit. eccles. & benef. Tom. II.* edit. an. 1750. *p.* 496.

56. Ecclesiastici & civiles judices exceptiones admittent a partibus allatas, ne ad eorum tribunal respondeant.

57. Sæculares judices operam dabunt, ut ecclesiasticorum judicum sententias executio consequatur; & ecclesiastici judices utentur & ipsi Ecclesiæ censuris, ut laicorum judicum sententiis refractarios subdant.

58. Prohibentur ecclesiæ aditu Reges & Reginæ, qui impediunt, ne ad sanctam Sedem appelletur; inferiores autem potestates quæ in eadem facti specie versantur, excommunicationi subduntur *ipso facto*, nisi ejusmodi impedimenta tollant, triduo postquam reclamatum fuerit.

Celebris & gravissima quæstio est, 1. an Ecclesia supremos Principes eorumve ministros ob ipsam suorum munerum exercitationem excommunicare possit; an etiam, quibusdam in casibus, debeat. Ad primam controversiam quod attinet, Fleurius, in suo super Gallicanæ Ecclesiæ Libertatibus sermone, tamquam excessum quemdam eorum opinionem spectat, qui Ecclesiam in Principes excommunicationem pronuntiare non posse contendunt, & auctor ipse Monumenti super Gallicanæ Ecclesiæ Libertatibus, impressi Amstelodami an. 1755. a Fleurio, super hoc capite, non dissentit; „ Excommunicatum esse, inquit auctor hic, „ p. 169. est a fidelium societate sejunctum esse, nec „ amplius quicquam juris ad sanctarum rerum parti- „ cipationem habere. Fidelis quisque, quæcumque „ tandem sit ejusdem conditio, hanc abscissionem & „ has privationes mereri potest; easque, statim ac me- „ retur,

„ retur, ut reapse ferat, perficere potest Ecclesia; „ verum hanc Ecclesiæ potestatem prudentia moderari „ debet. “ Constat ergo Gallos, eos ipsos qui maxime de suis libertatibus solliciti sunt, in ea esse sententia, Ecclesiam posse, absolute loquendo, supremos Principes eorumque ministros seu officiarios excommunicare; asserunt iidem tamen id eam facere non debere, propterea quod ea quidem a Deo spiritalis gladii jus ad ædificationem solummodo, non item ad destructionem accepit; eum autem in Potestates earumque ministros educens, non minus ad suum ipsius quam ad ditionum excidium incumberet, per turbas, perturbationes, schismata, perduelliones, & alia mala tam multa quæ dubio procul ejusmodi excommunicationes non secum trahere non possent. „ Novum equidem aut singulare aliqnid non propouam, ajebat, „ S. Augustinus, (*Lib. 3. contr. Epist. Parm.*) sed quod „ usui penes universam Ecclesiam est. Cum fratrum, „ hoc est, Christianorum qui in Ecclesiæ communione sunt, aliquis in culpam labitur quæ anathemate „ digna est, hoc tum solum in eum pronuntiatur, cum „ nullum inde schisma timendum est; correctio enim „ salutaris esse non potest, nisi cum peccator multitu„ dinem baud sibi consortem sociamque habet. Cum „ morbus plures occupavit, nihil aliud bonis superest „ quam dolor & gemitus. “ Ex his principiis rejiciuntur in Gallia Bullæ Romanorum Pontificum aliorumque quorumvis in reges, judicesque seu officiarios regios, ob eorumdem muuerum functionem editæ; rejiciuntur etiam in Gallia excommunicationes ob civilia debita in ecclesiasticos aut laicos latæ.

59. & 60. Ecclesiæ aditu & sacramentorum perceptione privantur qui personarum bonorumve ecclesiasticorum, quoad tributa, portoria, aliasque impositiones, immunitatem violant.

61. Monachi & canonici regulares deferent omnes & singuli vestes suis regulis suorumque monasteriorum usui consentaneas quarum color albus, niger aut cinereus, non alius sit.

62. Canonici regulares superpellicea vestesque talares, seu extra, seu intra; monachi vero cappas seu cucullos, & scapularia semper gerent.

63. Canonici regulares quadragesimalibus cibis utentur secunda quaque & quarta feria, nisi forte de trium lectionum festo iis diebus fiat.

64. Monachi itemque canonici regulares, sine necessitate, sine facultate, sine comite, e monasterio non egredientur.

65. Ecclesias non conducent.

66. Religiosi haud venatum ibunt, nec ultra dies octo secularibus parœciis deservient; nec magis ad seculares scholas se conferent, nisi superioribus annuentibus; in iisque non nisi grammaticæ, theologiæ aut logicæ studere poterunt.

67. Renovantur prohibitiones, ne cum excommunicatis communicetur; commendaturque, ut interdicta serventur.

68. Excommunicatione plectuntur qui agros diripiunt.

69. Damnantur eorum ausa qui Ecclesiæ bona aut jura invadunt, quique eam quacunque demum ratione turbant aut opprimunt. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Andegavense, an. 1279.

Joannes de Montforeau, archiepiscopus Turonensis, concilium hoc, die dominica post Sanctæ Lucæ festum, habuit, in eoque edidit capitula quinque.

1. Eos communione privat, qui ecclesiasticos, ob personalia negotia, apud seculares judices in jus vocant.

2. Episcoporum officiarios vetat ad ordinationis obsignandas litteras quicquam petere atque adeo accipere; & id quidem in pœnam suspensionis quoad clericos qui in sacris ordinibus constituti sunt, aut excommunicationis quoad laicos & quoad clericos qui minores tantum ordines habent.

3. Eos excommunicationi subdit qui in terra sancta ponunt corpora quæ ibi Ecclesia poni vetat, eorumque fautores.

4. Beneficiarios excommunicatos suorum beneficiorum reditu privat per excommunicationis tempus, mandatque, ut beneficiis ipsis spolientur, si ultra annum excommunicati permanserint.

5. Eam episcopis potestatem esse declarat, ut hoc in concilio latas censuras tollant. *Ibidem.*

Concilium Colonense, an. 1280.

Sifriddus, archiepiscopus Colouiensis, habuit, in sua metropoli, provinciale concilium hoc, in eoque octodecim qui sequuntur, canones edidit.

1. Puram castamque vitam agent clerici; crapulam & vinolentiam vitabunt; apud se non habebunt nisi consanguineas, & has ipsas extra omnem suspicionem positas; seculare nullum officium negotiumve seu per se seu per alios obibunt; cauponas non adibunt nisi per iter, ac ne tamquam puri putique spectatores quidem ejusmodi ludis aderunt; coronam & tonsuras congruas deferent; non utentur rubri aut viridis coloris pannis, nou manicis, aut chirotecis & calceis vanitatem olentibus; in ecclesia superpelliceo semper induti erunt, nisi eos ibidem ad manuale opus incumbere necesse sit; non fibulas gerent, non arma, nisi in necessitate, ac non sine prælatorum peculiari venia; præter canonicum, B. Virginis officium quotidie recitabunt; & in utroque ita se gerent, ut ædificationi & exemplo sint; unam tantum in dies singulos missam dicent quæ diei officio respondeat, exceptis casibus a jure concessis.

2. Presbyteri qui concubinas non intra dies decem expulerint, excommunicationi suberunt.

3. Monachi in oratorio, in dormitorio & in triclinio silentium custodient. Carnibus non vescentur, seu intra seu extra, nisi ægroti sint, & in valetudinario. Nullum iis prorsus peculium erit.

4. Qui baptizat, infantem in aquam immerget, inquiens: *Petre, vel Joannes, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Baptizabuntur sub conditione infantes quorum dubius baptismus erit. Feminæ quæ in puerperio mortem obierit, nec sepultura, nec Christianæ religionis jura cætera negabuntur. Baptisterii aqua saltem in Paschate & Pentecoste renovabitur; conclusa servabuntur, apposita clave & metallicis in vasibus chrisma, sanctum oleum & infirmorum oleum.

5. Baptizatorum infantium parentes monebunt presbyteri, ut eos, cum septimum ætatis annum attigerint, ad episcopum ducant a quo confirmationem suscipiant. His pueris in promptu erunt ex tela fasciæ, candidæ aptæque quibus frons, ubi confirmati fuerint, iisdem cingatur. Has fascias confirmati pueri per dies tres retinebunt; tertiaque die, ad ecclesiam ductis eas presbyter detrahet, frontemque terget. Fascias deinde comburet presbyter, earumque cineres in piscinam cum aqua injiciet qua confirmatis frontem laverit.

6. Pœnitentiæ psalmos presbyter, extremam unctionem deferens recitabit; iisque, si via longior fuerit, litanias & in id præscriptas preces addet. Ob hujus sacramenti administrationem nihil petet; poterit tamen id accipere quod ei gratis oblatum fuerit.

7. Omnes presbyteri Missam dicent benedictis albis induti, confessique, si commode possint; non poterunt eam dicere, nisi postquam matutinum & primam diei recitaverint, & id quidem, sub excommunicationis pœna. Apta & nitida tenebuntur altaria, itemque quicquid eadem ambit. Secernentur vasa quæ vinum & aquam ad Missam continent, duæque tantum tresve aquæ guttæ in calicem infundentur. Cum presbyter debebit duas missas dicere, vini & aquæ ablutionem non sumet in prima, sed eam in altera sumendam servabit, aut honestæ personæ quæ jejuna sit & ad id comparata, sumendam dabit. Ex auro, argento, ebore, aut ære perpolito erit pixis in qua Domini Nostri Corpus servabitur, aut in qua ad infirmos feretur; eique inerit album linteolum cui erit Domini Nostri Corpus impositum. Cum ad infirmos sanctum viaticum deferetur, fideles qui illud obvium habebunt, genua flectent, sibi pectus percutient, jungent extollentque manus illud adoraturi. Sanctæ bostiæ singulis, post, diebus quindecim renovabuntur. Vinum & aquam in calice ad bibendum fidelibus qui communicaverint, presbyter exhibebit.

8. Parochianis commendabunt pastores, ut sæpe confiteantur, eosque audient modeste æque atque attente solliciteque, in ecclesia tantum, excepto necessitatis aut morbi casu, & in ecclesiæ loco e quo ab omnibus videri possint; idque, sub excommunicationis pœna. Presbyteri nec ante solis ortum, nec post solis occasum confessiones audient, nisi magna urgente necessitate, in loco cui lumen insit, nonnullisque præsentibus. Confessarius qui feminæ quæ sola in ecclesia fuerit, confessionem audiet, excommunicationi subdetur, triduoque ex pane & aqua jejunabit. Confessarii super peccatorum qualitate, numero, circumstantiis pœnitentes interrogabunt, iisque non prius absolutionem conferent, quam contritos, humiles, itaque comparatos viderint, ut non amplius peccare, suis facera peccatis fatis, & pœnitentias iisdem congruas agere velint. Confessarii qui personas aliquibus restitutionibus obnoxias jubebunt, pœnitentiæ loco, capellas, ecclesias aut monasteria construere, excommunicationem subibunt. Eadem in eos pœna qui Missas ipsi dicent qua-

quarum celebrationem in pœnitentiam mandaverint; itemque in eos qui ex pœnitentibus seu viris seu feminis quærunt eorum earumve nomina, quibuscum peccarunt.

9. Quicunque voluerint ad sacros ordines suscipiendos se sistere, confitebuntur, eruntque jejuni; nec nisi post missæ finem recedent, suspensionis & excommunicationis indicta pœna.

10. Qui clandestina matrimonia contraxerint, aut iisdem adstiterint, excommunicationem subibunt. Eadem in eos pœna, qui, ne matrimonii impedimenta patefiant, aliquid dant aut accipiunt, eademve quocunque tandem consilio celant. Bannorum proclamationem festis diebus tribus, post solemnis Missæ Evangelium edet parochus, antequam ad matrimonii celebrationem procedat.

11. Si quo in cœmeterio excommunicatus denuntiatus humo detur, cæmeterium hoc interdictum erit ad excommunicati exhumationem usque; quique ejus sepulturæ adstiterint, excommunicationem subibunt. Septa erunt cœmeteria, ita quidem, ut ne belluis pateat in eadem aditus. Mortuorum ossa in peculiari loco ponentur. Ejus corpus qui sibi in religiosa domo sepulturam elegerit, ad parochialem ecclesiam statim feretur, ubi Missa dicetur, ac deinde transferetur ad sepulturæ locum; omnino, excommunicationis indicta pœna.

12. Communione privantur qui alienant Ecclesiæ bona, qui ea usurpant aut retinent, qui indebitas servitutes ex iisdem exigunt.

13. Instaurantur, super ecclesiarum libertatibus, immunitatibus & asyli jure, statuta vetera.

14. In usurarios antiqui canones renovantur.

15. Quicunque Sacerdos, sine episcopi aut archidiaconi, vel alterius cujusque venia, cujus est eam dare, in parochiali ecclesia, seu in capella sacrum fecerit, excommunicationem subibit, quin, ulla ratione, facultate uti possit, quam in id ejus ecclesiæ, seu capellæ patroni eidem concesserint.

16. Horum decretorum, cæterorumque quæ Colonienses archiepiscopi eorumque archidiaconi hactenus ediderunt, executio, sub excommunicationis pœna, præcipitur. Mandatur etiam, sub eadem pœna, omnibus parochis eorumque vicariis, ut sibi propria & peculiaria sigilla habeant.

17. Uniuscujusque archidiaconatus executores testamentarii, apud personas duas quæ in unoquoque archidiaconatu in hunc finem ab archiepiscopo designabuntur, testamentorum executionis quæ iis demandata est, rationem reddent.

18. Cum locus interdictus erit, ecclesiastica sepultura, extrema unctio & sacramenta cætera nemini non negabuntur, exceptis baptismate quoad pueros, pœnitentiaque & viatico quoad morti proximos. Sepeliri tamen in cœmeterio, at servato silentio & absque ulla cæremonia, clerici poterunt qui nullam interdicto causam præbuerint, ejusque legibus fideliter obsecuti fuerint. Poterunt etiam ecclesiarum rectores, semel in hebdomada, interdicti tempore, sacrum facere, at submissa voce, januis clausis, sine æris campani sono ac sine ulla solemni forma, & quin eorum quempiam qui interdicti sunt, eo admittere possint. Parochi interdictis locis proximi ei legi suberunt, ut, antequam Missam dominicis festis diebus inchoare possint, quærant, an in eorum ecclesia quispiam ex interdictis locis adsit; quod si quis ejusmodi adfuerit, eum jubebunt ex ecclesia statim egredi. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Saltzurgense, Salisburgense, *an.* 1281.

Fridericus, archiepiscopus Salisburgensis, habuit concilium hoc quod ex quatuordecim prælatis conflatum fuit, & octodecim canones edidit.

1. Interdictio, ne monasterii bona, sine diœcesani episcopi venia & sine communitatis consensu alienentur.

2. Monasteriorum superiores, semel in anno, coram episcopo, alioque quem is designaverit, communitati suorum redditaum rationem reddent.

3. Omnes religiosi a S. Martini die ad usque Natale Domini jejunabunt, & quadragesimale jejunium a quinquagesima incipient.

4. Religiosi notorie proprietarii in carcerem conjicientur.

5. Religiosi, tum intra, tum extra monasterium, sui ordinis habitum deferent.

6. Quicunque superior suum religiosum profugum aut expulsum, ab episcopo vel ab ordinis visitatoribus rogatus, recipere renuerit, temporalis administrationis suspensionem subibit, quoad postulatis annuerit.

7. Abbates ordinis Sancti Benedicti, tertio quoque anno, suum generale capitulum celebrabunt.

8. Abbates, visitatores, & qui ad generale capitulum pergent, equos plures quam octo ad comitatum habere non poterunt.

9. Religiosæ communem omnes & singulæ vitam agent, eique legi suberunt abbatissæ, ut una cum monialibus cæteris in eodem dormitorio cubent, & in eodem triclinio comedant, ab Adventu ad Natale Dominicum, & a septuagesima ad Paschatis octavam usque.

10. Qui beneficia plura possident quæ cum animarum cura conjuncta sunt, eo contenti erunt quod postremum obtinuerunt, & se cæteris abdicabunt.

11. Archiepiscopo reservatur ea cura, ut in parochorum ecclesiis, qui ibidem residere non poterunt, vicarios ponant.

12. Ecclesiarum advocati qui non ante S. Joannis festum, ad tribunal ordinarii loci, sua jura firmaverint, super iis quæ sibi arrogant, non amplius audientur.

13. Qui clericis vim intulerint, pœnas a canonibus latas subibunt.

14. Qui in causa sunt, ut ecclesia aut cœmeterium polluatur, effuso ibidem humano sanguine, reconciliationis expensas solvent.

15. Patroni aut judices qui defunctorum clericorum bonis & beneficiis potiti fuerint, excommunicationem subibunt quam jus infligit.

16. Mandantur ad pacem preces.

17. Clerici & laici falsarii excommunicatione plectentur.

18. Eadem in clericos pœna, qui ecclesias e laicorum manu suscipiunt. *Reg. Tom. XXVIII. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Lambethense (in Anglia), *an.* 1281.

Joannes Pekamus, archiepiscopus Cantuariensis, habuit concilium hoc, Octobris mensis die 10. In eo primum mandata executio tum decretorum quæ postremum Lugdunense concilium ediderat, tum constitutionum Ottoboni, tum canonum Lambethensiis concilii sub archiepiscopo Bonifacio celebrati; deinde vero viginti septem capitula seu statuta quæ sequuntur, enuntiata.

1. Presbyteri, saltem semel in hebdomada, antequam celebrent, confessionem edent. In aptissima pixide, congruo linteo intus tecta, Domini Nostri Corpus servabitur, & dominicis diebus singulis renovabitur. Pulsabuntur ad elevationem æra campana, ut qui Missæ quotidie interesse non possunt, genua flectant ubicunque fuerint, domi vel in agris, atque ita indulgentias ab episcopis concessas lucrentur.

2. Presbyteri, quas receperint, Missas fideliter ipsi persolvent, aut persolvendas curabunt, nec se posse credent per unam & unicam Missam pluribus satisfacere, quibus integram singulis Missam se dicturos promiserunt.

3. Eos iterum baptizari prohibetur, qui præscripta forma, licet a laicis, baptizati sunt; mandaturque, ut, sub conditione, denuo ii baptizentur, quorum dubium baptisma est.

4. Ad communionem nemo admittetur, quin confirmatus sit, præter quam in mortis periculo.

5. Sacrorum ordinum unus cum minoribus quatuor non conferetur.

6. Pertinacibus peccatoribus, aut clericis beneficia plura quæ dimittere nolunt, possidentibus absolutio non tribuetur.

7. Presbyteri qui sine positiva aut saltem præsumpta ordinarii approbatione confessiones audient, prætexentes sibi satis ad id firma apostolicæ Sedis privilegia suppetere, excommunicationem subibunt, nisi eorum privilegium expressis verbis enuntiet eos ab episcopi & metropolitani jurisdictione, confessiones audiendi facultatem quod spectat, exemptos esse.

Ejusmodi privilegia nunc temporis haud reciperentur in Gallia; sed tamquam ordinariorum juribus contraria rejicerentur.

8. Ob publica & scandalo obnoxia crimina imponetur publica pœnitentia quam canones nimirum præscribunt.

9. In quoque decanatu generalis confessarius clericis aderit.

10. Explicabunt pastores omnes, quater in anno, suis parochianis, vel ipsi per se, vel per alios, quatuordecim fidei articulos, Decalogi præcepta decem, præcepta evangelica, misericordiæ opera septem, capitalia peccata septem, præcipuas septem virtutes & septem sacramenta.

11. Erga pauperes & potissimum divini verbi præcones hospitalitas exercebitur.

12. In judicium nemo vocabitur, quin eidem indictum jus, ejusque, statis die & loco, subeundi tempus significetur.

13. In decanos, archidiaconos & officiales interdictio, ne suum sigillum apponant cujusquam actui qui se absentis procuratorem constitutum dicerent.

14. Damnantur odiosa clericorum molimina, qui, ut beneficiorum legitimos possessores supplantarent, se a patronis ad ea præsentandos curabant, atque ita legitimos possessores iisdem spoliabant.

15. Renovatur Oxoniensis concilii canon qui ecclesias locari vetat, præter quam ob causas, episcopi judicio, necessarias; ac tum quidem, non laicis, sed sanctæ vitæ clericis, designata pauperibus, super locationis contractu, portione quæ ad eos pertinet, quæque a parœciæ incolis quatuor, in id delectis, in eos distribuetur.

16. Omnes regularium canonicorum familiæ ad generale capitulum pergent.

17. Qui religiosas corrumpunt, excommunicationem episcopo reservatam subeunt, præter quam in mortis articulo.

18. Religiosæ nunquam solæ egredientur; &, quamvis socias secum habeant, apud consanguineos tamen aliosve, non ultra dies tres, ad solatium, neque ultra sex, ad negotia, remanere poterunt, nisi diuturniorem commorationem episcopus necessariam judicaverit.

19. Religiosi & religiosæ qui suum probationis annum in monasterio transegerint, professi censebuntur, &, siquidem ad mundi societatem redierint, pro apostatis habebuntur.

Non agnoscuntur in Gallia professiones tacitæ; ibi requiritur, ut solemnem in modum, & coram laicis testibus fiant.

20. Adigentur apostatæ monachi, ut ad suum ordinem regrediantur, aut mitiorem amplectantur.

21. Religiosi testamentorum executores esse non poterunt.

22. Clerici qui sæcularium in modum induti incedent, primum ecclesia, deinde vero, si correctionis impotes sint, beneficiis quæ possident, privabuntur.

23. Episcopi non conferent clericorum filiis beneficia quæ ab eorum patribus possessa fuerunt, nisi iis ad id faveat sedis apostolicæ dispensatio.

24. Cum episcopus clericum ad peculiarem ecclesiam recipit, exprimere debet suis in litteris ordinem quo is clericus insignitus est, titulumque quo idem ad illud beneficium admittitur.

25. Qui curata plura beneficia possident, intra sex menses in episcopi manus ea remittere, sub canonicis pœnis, debebunt.

26. Advocatus nemo suscipietur, quin per annos tres canonico & civili juri studuerit.

27. Sacerdotes omnes, sæculares & regulares, semel, pro defuncto episcopo Missam dicent. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII. Anglic. Tom. I.*

Concilium Avenionense, an. 1282.

Bertrandus de Sancto Martino, archiepiscopus Arelatensis, habuit cum suis suffraganeis concilium hoc, in eoque edidit canones undecim.

1. Excommunicationis sententiam pronuntiat in usurarios qui suas res seu merces carius vendunt, prætexentes eas se fide vendere.

2. Pro Ecclesia preces mandat.

3. Ecclesiæ bona sine episcopi consensu alienari vetat.

4. Mandat, ut omnes Arelatensis provinciæ prælati & beneficiarii communibus impensis procuratores constituant, ut defendant propugnentque ecclesiasticorum causas, qui defatigantur, dum apud varios judices traducuntur.

5. Omnes parochianos ei legi subdit, ut singulis diebus dominicis festisque solemnibus intersint parochiali Missæ, in eaque, e parochorum suorum manu, eucharistiæ viaticum, saltem in Paschate & Pentecoste, suscipiant.

6. Privilegiatos exemptosque vetat ordinariorum censuras infringere.

7. Eos communione privat, qui spiritalia & ecclesiastica negotia ad sæcularia tribunalia detulerint.

8. Associationes & confraternitates quæ solum civilium legum approbatione nituntur, quæque a canonibus rejiciuntur, nullas declarat.

9. Pronuntiat privilegiatos posse extra suæ exemptionis locum excommunicatione percelli, nisi sua eos privilegia ab hac excommunicatione disertis verbis eximant.

10. Neminem, quin ejus parochus adsit, testari vult, ut justitiæ regulas testator servare possit, & restitutiones, si quibus esset obnoxius, ante pia vel alia legata, notandas curare.

11. Postremusque servari jubet alterius Avenionensis concilii statutum quoddam, quod tamen ignoratur, propterea quod canon hic imperfectus mancusque est. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Turonense, an. 1282.

Joannes de Monthereau, archiepiscopus Turonensis celebravit, an. 1282. feria quarta post festum S. Petri ad vincula, in sua metropolitana urbe, suæ provinciæ concilium in quo edidit statuta tredecim.

1. Qui, animi causa, alicui litem intentant, ut ab eo, quo hanc vexationem redimat, aliquid trahant, præter damnationem ad damna & lucra, excommunicationi subdentur.

2. Eadem in eos pœna qui litigia aut rixas excitant.

3. Clerici & religiosi cauponam, nisi iter agentes, non ingredientur.

4. Qui ecclesiarum libros & ornamenta diripiunt aut lacerant, excommunicatione plectentur.

5. Processiones dominicis festisque diebus in more positas parochi peragent, secus, episcopi judicio, censuræ subdendi.

6. Dominicis diebus singulis, in omnibus Turonensis provinciæ cathedralibus, collegiatis & parochialibus ecclesiis enuntiabitur, ad proximum provinciale concilium usque, Gregorii Papæ X. qui Lugdunensi concilio præfuit, constitutio quæ mandat, ut usurarii notorii ex omnibus Christianis regionibus expellantur, nec domus iisdem locentur.

7. Quicunque ecclesiasticos opprimunt, quique eorumdem jurisdictionem turbant, excommunicationi subdentur.

8. Eadem in eos pœna qui super his aliisque ejusmodi flagitiis suspecti, ad episcopi jussum, haud ab hac suspicione se purgant.

9. In eos item qui in religiosorum aut clericorum domibus pro arbitratu personas ponunt.

10. Eadem in præsides aliosque sæcularis justitiæ ministros pœna, qui in alios transferre, aut ipsi sibi retinere audent Ecclesiæ bona pro quibus parochi aliique beneficiarii possessoriam querelam apud eos ediderunt, aut contra petentem se defenderunt, singuli dantes suo nomine fidejussores in pignora, vel, ut in textu legitur, *se applegiaverunt, vel contraplegiaverunt coram eis.*

Applegiare, est apud judicem *querelam instituere*, aliquid obtinendi aut recuperandi animo, dato fidejussore aut pignore pro re ipsa, si forte petens causa cadat. *Contraplegiare*, est se contra petentem defendere, dato pariter fidejussore aut pignore, *contraplegiamenti* nomine, designato.

11. Qui suos subditos aut inferiores impediunt, ne quod civile commercium cum ecclesiasticis ineant, excommunicationem subeunt.

12. Eadem in eos pœna qui ecclesiasticos impediunt, ne decimas percipiant, quæ ipsis debentur.

13. Omnes constitutiones in præcedentibus provinciæ conciliis editæ servabuntur. *Ibid.*

Concilium Ravennatense, an. 1286.

Bonifacius, archiepiscopus Ravennatensis, una cum suæ provinciæ episcopis, habuit, Julii mensis die 8. concilium hoc, in eoque canones novem edidit.

1. In clericos interdictio, ne recipiant alantve histriones aut saltatores qui ad eos mittuntur, vel etiam qui solum transeunt, in pœnam solvendi pro ecclesia seu pro pauperibus ejus duplum quod iis dederint.

Obtinebat olim mos, ut laici, cum militare cingulum suscipiebant, aut conjugium inibant, ad se mutuo, atque adeo ad clericos mitterent histriones & saltatores quos alerent & stipendio donarent ad statum tempus. Ejusmodi abusum, quoad clericos, hoc loco concilium damnat.

2. Ecclesiasticos hortatur synodus, ut in pauperes eleemosynam erogent; conceditque unius anni indulgentias episcopis qui pauperes quatuor, abbatibus qui duos, cæterisque prælatis, ut decanis, archidiaconis qui unum, dato semel in die cibo, singulis hebdomadæ diebus alent.

3. Clerici qui sine justa necessitate ac sine episcopi nutu, arma deferent, præter excommunicationem, ad mulctæ

mulctæ solidos quadraginta pro armis singulis quæ detulerint, damnabuntur; qui vero clericalem habitum, coronam & tonsuram non gerent, solidos quinquaginta pro quaque, quoad caput hoc, omissione solvent.

4. Qui de beneficiis provisi sunt quibus est animarum cura, se intra annum sacerdotio initiandos curabunt, eam, si secus egerint, pœnam subituri, ut iisdem beneficiis priventur, ex decimo tertio generalis secundi Lugdunensis concilii canone.

5. Præcipiuntur manuales distributiones iis tantum canonicis dandæ qui officio interfuerint, ab initio ad finem usque.

6. Notarii non recipient usurariorum testamenta, nisi præsente parocho.

7. Eos prælati communione privabunt qui renuent decimas solvere; quod si excommunicati neglexerint operam dare, ut ab excommunicatione liberentur, ad sæculare brachium confugietur.

8. Episcopis reservati casus hi sunt: absolutio excommunicationis majoris *ab homine*, vel, *a jure*; absolutio incendiariis, blasphemis, suorum filiorum interfectoribus concedenda; votorum dispensatio; absolutio homicidarum, sacrilegorum, falsariorum, eorumque qui ecclesiasticas immunitates & libertates impetunt; veneficorum, eorumque qui criminis, quæ bestialitas dicitur, rei sunt; incestuosorum, corruptorumque religiosarum; quæstiones de furto, cum ignoratur, cui restituendum; perjuriorum & clandestinorum matrimoniorum absolutio.

9. Quicunque, consuetudinem & privilegium prætexentes, Ecclesiæ immunitates & libertates impetunt, majorem excommunicationem subibunt. *Reg. To. XXVIII. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Bituricense, an. 1286.

Simon Bellocensis, archiepiscopus Bituricensis, provinciale concilium hoc, die 17. Septembris, habuit, in eoque suorum decessorum constitutiones per articulos triginta quinque instauravit.

1. Ecclesiastici judices in matrimonialium causarum judiciis cum omni circumspectione & prudentia procedent. Nulla humana ratione habita, matrimonia quæ nulla sunt, abrogabunt; dabuntque operam parochi, ut episcopos eorumve officiales de vetitis matrimoniis certiores faciant, quæ suis in parœciis inita noverint.

2. Matrimonium non nisi in facie Ecclesiæ, post editas enuntiationes, ac legitimæ solum ætatis tempore, iniri poterit.

3. Ecclesiastici judices de matrimonialibus aliisve majoribus causis, cujusmodi sacrilegium est, extra suæ jurisdictionis fines, non cognoscent, nisi veteri consuetudine, legitime præscripta riteque approbata iis suffragante, eove mandante, penes quem id juris est.

4. Officiales extra urbes archidiaconi non habebunt.

5. Suarum parœciarum redditibus carebunt parochi, quoad presbyteratu initiati fuerint.

6. Extraneus clericus, nisi ab ordinario approbatus fuerit, ad confessiones audiendas, ad Evangelium nuntiandum, ad Sacramenta administranda non admittetur.

7. Archipresbyteri, quam late patent eorum archipresbyteratus, omnes suspectas feminas quæ apud ecclesiasticos degunt, eliminare debebunt.

8. Clerici beneficiarii aut presbyteri qui suos spurios apud se detinebunt, episcopi arbitrio punientur, itemque qui publice negotiantur, aut qui cauponas frequentant, aut qui aleis ludunt.

9. Qui per anni spatium in excommunicatione perstiterint, beneficiis quæ possident, privabuntur.

10. Parochis in promptu erunt excommunicatorum nomina, quos iidem, dominicis festisque diebus singulis, publice suis in ecclesiis denuntiabunt, quoad evidenter eos absolutos fuisse constiterit.

11. Præ manibus erit omnibus parochis in vulgarem linguam conversa Gregorii X. Constitutio, *Quicunque*, in Lugdunensi concilio edita; itemque alia, *Cum juris utilitas*, a Simone, sanctæ Sedis legato, in Bituricensi concilio enuntiata, super ecclesiastica jurisdictione. Hi quidem, semel saltem in mense, constitutiones has duas legent, populoque explicabunt.

12. Servabitur Gregorii X. Decretalis quæ incipit, *Quia nonnulli*, extr. *De Rescriptis*, quæque eos damnat, qui apostolicas litteras quas suo ipsorum nomine obtinuerunt, aliis idem nomen gerentibus cedunt, quique iis abutuntur, ut, quoscunque voluerint, fatigent & in jus vocant.

13. Omnes fideles, saltem semel in anno, confessionem edent, & viaticum in Paschate suscipient, secus, eam pœnam subituri, ut ecclesiastica sepultura ad mortem priventur.

14. Parochis, excommunicationis indicta pœna, mandatur, ut habeant præ manibus & exequantur Innocentii, in Lateranensis concilio quarto, Constitutionem, *Omnis utriusque sexus*, itemque, Clementis IV. *Quidam temere sentientes*, denique, Martini IV. *Ad fructus uberes*, quæ Fratribus Minoribus prædicandi & confessiones audiendi potestatem tribuit.

15. Eos parochi perspicient qui cum excommunicatis communicant, eorumdemque nomina ad episcopum vel ad officialem mittent.

16. Interdictio, ne quis a proprio episcopo excommunicatus absolvatur, aut in terra sancta sepulturæ detur.

17. Eadem quoad usurarios publicos interdictio, qui & ipsi excommunicati sunt. Parochi, dominicis diebus singulis, publice declarabunt hos usurarios non posse testamenta conficere, nisi restituerint, aut in id sponsionem dederint.

18. & 19. Suam singuli regulam religiosi servabunt, & proprii nihil habebunt, vel cum abbatis venia quæ in hac facti specie nulla esset.

20. Prior, absque abbatis nutu, haud plus quam turonenses solidos sexaginta mutuari poterit.

21. & 22. Tollentur ex ecclesia arcæ aliæque profanæ res, nullusque ibidem erit choreis locus.

23. In rurales prioratus monachi non nisi post vicesimum ætatis annum mittentur.

24. Feminæ religiosis in domibus non morabuntur.

25. Religiosi qui decimas e laicorum manu percipient, & laici qui eas sine justa congruaque causa iisdem dabunt, excommunicationi subdentur.

26. Punientur ab episcopis abbates & priores conventuales qui, vacationis tempore, prioratus exspoliant, nisi in iis relinquant quicquid necessarium ad servitium est, ad proximam messem usque.

27. Renovatur turonensis concilii, an. 1133. habiti septimus in eos canon, qui testamenta celant.

28. Executores testamentarii de testatoris bonis nihil emere aut retinere poterunt, nisi quod iis testator expresse legaverit, dummodo judices assentiantur.

29. Operam dabunt episcopi, ut testamenta executioni mandentur, siquidem executores hac in re negligentes fuerint.

30. Testamenta a parocho recipientur.

31. In eos agetur, e canonum vi, qui negligunt in id incumbere, ut ab excommunicatione liberentur; & ad eos adigendos, ad sæculare brachium confugietur.

32. Eos episcopi punient qui festa non servant.

33. Suffraganei eorumque judices appellationibus humiliter deferent, nec partes ab eorum judiciis appellantes molestia afficient.

34. Officialis Bituricensis, itemque hujus archiepiscopatus judices cæteri suffraganeorum episcoporum aliorumve ecclesiæ judicum jurisdictionem non impedient; id si fecerint, ei pœnæ suberunt, ut, ad mensem, ecclesiæ aditu prohibeantur.

35. Omnes episcopi, eorum officiales & reliqui ex ordine judices perficient, rogati quidem, ut sententiæ in eos latæ qui ecclesiasticam jurisdictionem lædunt, executionem sortiantur. *Ibid.*

Concilium Wirtzburgense, Herbipolense, Herbipolitanum, an. 1287.

Joannes, episcopus Tusculani, Papæ in Germania legatus, habuit provinciale concilium hoc cum Moguntiæ, Coloniæ, Salisburgi & Viennæ, in Austria, archiepiscopis, episcopisque & abbatibus numero pluribus. In eo editi canones quadraginta duo.

Priores quinque ad clericos spectant, iisque mandant, ut in eum modum induti sint, qui cum eorum statu congruit, & cauponas, ludos, religiosarum frequentationem, ludicra certamina, armorum gestationem, feminas demum evitent.

6. Qui beneficia usurpant aut injuste retinent, eorumve redditus sibi vindicant, excommunicationem subeunt *ipso facto*.

7. Episcopi presbyteros severe punient qui, extra casus a jure concessos, plures eadem die missas dicent.

Episcoporum tantum est eam presbytero veniam dare, ut binas eadem die missas dicat, seu, bis sacrum faciat; hæc autem ab iis tum solum concedi debet, cum ecclesiæ duæ non habent redditutum satis, ut presbyterum utraque suum sustentet. Presbyteris ergo non amplius licet hoc tempore duas missas dicere vel quibus in casibus id olim per jus iisdem licebat, causa exempli, re ita ferente, unam mortuorum missam

ſam pro defuncto, & diei alteram. *Diſt. 2. de Conſecr. can.* 53.

8. Cum presbyter ſanctiſſimum Chriſti Domini Corpus ad ægrotantes, & ad mulieres partui proximas deferet, ſuperpelliceo cum ſtola indutus erit, eumque clericus accenſum cereum & tintinnabulum ferens præcedet. Tranſeuntes genua flectent, &, ſiquidem eos vere pœnitet, dierum decem, quoad injunctas pœnitentias, indulgentiam lucrabuntur.

9. Qui eccleſias regunt, earum bona, ſine ſuperiorum venia, extraque caſus a jure conceſſos, non alienabunt.

Superiores quorum venia, ſecundum canones, ad eccleſiæ bonorum alienationem requiritur, epiſcopi ſunt; caſuſque in quibus eam jus patitur, ſunt neceſſitatis vel utilitatis Eccleſiæ, pietatiſque aut charitatis caſus. Alienationum igitur cauſæ in duplici genere ſunt. Aliæ ſunt ex ordine cauſæ, nempe propria eccleſiarum negotia & neceſſitates, itemque fabricarum, hoſpitalium, capitulorum, monaſteriorum; aliæ extra ordinem cauſæ ſunt, ut, ſubventiones, urgentibus rei publicæ rationibus, Principibus debitæ, pauperumque levamen in publicis calamitatibus; peſte, bello, fame.

Ad alienationum formas quod attinet, hæ quoque duorum generum ſunt; aliæ a civilibus ſanctionibus ſimulque a canonicis conſtitutionibus præſcriptæ ſunt; aliæ a civilibus tantum ſanctionibus requiruntur.

Primi generis formæ ſunt, conſenſus epiſcopi cui ſubeſt eccleſia quæ alienationem peragit; tametſi bonum in aliena diœceſi ſitum ſit, cauſarumque alienationis examen ſeu diſcuſſio. Secundi generis formæ ſunt, 1. Principis conceſſio, *Declar.* an. 1661. 2. actorum alienationis in hominum manus mortuæ publicas tabulas relatio; *Edictum menſis Octobris an.* 1703. *art.* 8. 3. libelli publice affixi; 4. proclamationes ſeu licitationes. Harum formarum ſi qua deſit, alienatio nulla eſt, aut ſaltem abrogari poteſt. *Van-Eſpen, Jur. eccleſ. univ. Tom. II. p.* 111. & Gibertus, in *Supplem. ad Jus Eccl.* Vaneſpenii, *cap. IV. de Cauſis & Formis ad Alienationes requiſitis.*

10. Parochi qui parœcias duas obtinent, privabuntur prima *ipſo facto*, itemque ſecundæ proventibus, ſi animum obfirmaverint, ut ambas retineant.

11. & 12. Patroni aut collatores nullam cuipiam, infra viceſimum quintum ætatis annum, curam tribuent; nullam quoque niſi idoneis viris conferent, & quidem intra tempus a jure præſcriptum; ut proinde, ſi ultra tempus hoc eccleſias, quin iis provideant, integri menſis ſpatio retinuerint, excommunicationem ſubeant, &, hac ſane vice, præſentationis jure priventur.

13. In ſæculares & regulares clericos interdictio, ne interdictis in locis divinum officium publice concinant aut celebrent, ibique æra campana pulſent, niſi iis privilegium aut indultum ad id ſuppetat.

14. Quicumque clericus e laici aut cujuſvis manu qui collationis jure caret, beneficium acceperit, excommunicationem ſubibit, quoad beneficium hoc ei reſignaverit penes quem ejuſdem conferendi poteſtas eſt.

15. In presbyteros interdictio, ne de matrimoniali benedictione ac de ſepulturis paciſcantur. Poterunt iidem tamen id accipere quod iis ultro ex locorum conſuetudine oblatum fuerit.

16. Parochi quibus matrices eccleſiæ ſunt a quibus capellæ pendent, operam dabunt, ut his in capellis vicarios ſtatuant ad ſervitium, ſiquidem eædem ad id habeant redditiuum ſatis.

17. Abbates aut priores monaſteriorum quibus parœciæ ſubſunt, ab officio ſuſpenſi erunt, niſi ibidem ad ſervitium idoneos vicarios ponant, ſaltem poſtquam eæ vacare cœperunt.

18. Abbates & priores regularem habitum deferent, ſuoſque religioſos egredi ſine juſta congruaque cauſa non ſinent.

19. Quæ in religioſarum monaſteriis abbatiſſæ & prioriſſæ ſunt, ſedulo perficient, ut eæ velum ferant, eas impedient, ne ſine cauſa evidenter juſta egrediantur, iiſdemque neceſſaria comparabunt.

20. & 21. Laicos communione privat qui uſurpant aut retinent Eccleſiæ bona, exceptis Rege & regia familia.

22. Excommunicationi ſubduntur Eccleſiarum advocati qui eas expilant vaſtantque, nedum defendunt, ut debent; jubenturque juribus contenti eſſe quæ eorum majoribus conceſſa fuere.

23. 24. 25. & 26. Inſtaurantur eccleſiaſticæ leges in uſurarios eoſque qui acerbe clericos & præſertim Papæ nuntios excipiunt, in eoſque qui vacantium eccleſiarum bonis potiuntur.

27. Epiſcopi & archiepiſcopi, ſemel ſaltem intra biennium, vel ipſi per ſe vel per alios diœceſes ſuas viſitabunt, aut confirmationem conferant, & id corrigant quod correctione indigebit.

28. Eos communione privat qui muniunt eccleſias, turres campanarias aut domos quæ ab iis pendent, ut ibi, tamquam in caſtris quibus firma oppida præſidio ſint, ſe contra adverſarios defendant.

29. Interdictio, ne uxores ob virorum, aut matres ob filiorum mortuorum debita excommunicationi ſubdantur, niſi forte uxores ipſæ virorum & matres filiorum hæredes ſint.

30. Excommunicati declarantur *ipſo facto* latrones publici, quique iiſdem receptum præbent.

31. 32. & 33. Eadem in eos pœna qui, abſque neceſſariis facultatibus, Eccleſiæ bona vendunt aut emunt, vel ea ſibi ſumunt, prætexentes ſibi aliquid ab eccleſiæ quopiam deberi, ſibive cum ejus eccleſiæ advocato bellum eſſe.

34. Prohibiti clerici falſos apoſtolos erroneſque ſcholares recipere aut alere.

35. Excommunicatione plectuntur *ipſo facto* laici qui ædium reparationem prætexentes, ſe immiſcent adminiſtrationi bonorum Eccleſiæ, epiſcoporum & capitulorum ingratiis.

36. Excommunicatione plectuntur privati homines, & communitates aut univerſitates interdicuntur quæ impediunt, ne querelæ apud eccleſiaſticos judices deferantur, aut ſtatuta clero ejuſque libertatibus contraria conficiunt.

37. Apoſtolicarum litterarum falſarii eorumque fautores communione privantur.

38. Epiſcopi finitimi ſervanda curabunt interdicta juſtas ob cauſas ab eorum confratribus lata.

39. Conſervatores religioſis domibus a Papa dati non ſe rebus immiſcebunt quæ in eorum commiſſione non continentur.

40. Eos omnes qui portorii nova jura exigent, aut vetera augebunt, locorum ordinarii, quotannis, die Cœnæ Domini, coram populo, excommunicatos denuntiabunt.

41. Hæ conſtitutiones, annis ſingulis, in cathedralibus eccleſiis enuntiabuntur.

42. Renovantur ſummorum Pontificum Alexandri IV. & Clementis IV. conſtitutiones quæ privilegia privatis hominibus, ſeu laicis ſeu eccleſiaſticis conceſſa revocant, ut nempe nec interdici, nec ſuſpendi, nec excommunicari poſſint. *Ibid.*

Concilium Inſulanum, apud Inſulam, in Provincia, an. 1288.

Roſtangius, archiepiſcopus Arelatenſis, ejuſque provinciæ epiſcopi, cum Inſulam, Cabellionenſis, in Comitatu Vindaſcinenſi, diœceſis parvam urbem conveniſſent, octodecim canones ediderunt.

Priores tredecim ducti ſunt e ſuperioribus provinciæ conciliis, ſuper excommunicatorum abſolutione, legatis piis, vicariis perpetuis, direptoribus bonorum Eccleſiæ, vel ejuſdem libertatum oppreſſoribus, &c.

14. Pronuntiat in eos anathema, qui venenum aut pharmaca ad mortem alicui inferendam, vel ad abortum ſollicitandum vendunt; in eos quoque qui his venenariis auxilium aut conſilium præbent, eoſve, cum norint, ordinariis non indicant.

15. Vetat, ne ſegetes ante decerptam decimam transferantur.

16. Temporales dominos vetat eccleſias adigere, ut bannum, mulctam ſcilicet, pro ipſarum clero, famulis aut animalibus ſolvant.

Bannum erat pecuniaria mulcta quam is ſolvere jubebatur quem conſtitiſſet principis aut domini civilem legem violaſſe: *Bannum, pœna & mulcta pecuniaria qua quis banni ſeu legis infractor punitur.*

17. Mandat, ut infantibus baptizatis nihil aliud quam candida veſtis detur.

Ad infantium baptiſma quod attinet, abuſus irrepſerat. Patrinos qui eos ad fontes tenebant, adigebat abuſus hic, ut in ipſos, eorumque matrem haud levis momenti dona conferrent; ex quo illud conſequebatur, ut patrinos inveniendi difficultas in cauſa eſſet, ut infantium plures ſine baptiſmate morerentur. Hunc ergo abuſum ſynodus hoc loco damnat, mandans, ut patrini candidam ſolum veſtem infantibus dent quos ad baptiſmi fontes tenuerint.

18. Superiorum conciliorum ſtatuta ſervari jubet. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Nugariolenſe, an. 1290.

Amaneus de Armeniaco, archiepiſcopus Auſcienſis, habuit, ſabbato poſt feſtum Aſſumptionis B. Virginis an. 1290. Nugariolæ in Armeniacenſi regione, hoc ſuæ

suæ provinciæ episcoporum concilium, qui in eo canones duodecim ediderunt.

1. Rogerium Bernardum, Fuxiensem comitem, damnat, excommunicationis indicta pœna, ut Lescariensi ecclesiæ Lescariam urbem, oppida & loca reddat, quæ ab ea pendent.

2. Confirmat excommunicationis sententiam in eos latam, qui ejus provinciæ ecclesiarum bona retinent.

3. Eamdem sententiam in eos pronuntiat qui apostolicis litteris abutuntur, seu falsas supponentes, seu cedentes eas aliis quas suo ipsi nomine vere acceperunt.

4. Veneficos excommunicatione plectit.

5. Eos anathemati subdit qui clericos apud sæculares judices in jus vocant. Eorumdem jurisdictioni leprosos eximit, & his quidem mandat, ut notam gerant qua dignoscantur, in pœnam mulctæ solidorum quinque.

Reliqui septem renovant vel augent pœnas plures in eos latas qui ecclesiasticorum personas, aut bona & jura impetunt. *Ibid.*

Concilium Salmuriense, apud Salmurum, an. 1294.

Renaudus de Montbasonio, archiepiscopus Turonensis, habuit Octobri mense concilium hoc, una cum suæ provinciæ episcopis, in eoque constitutiones quinque edidit quæ sequuntur.

1. Clericis & monachis mandat, ut, prout eorum status postulat, induti sint, eosdemque festas colorata indumenta ferre.

2. Excommunicato in mortis periculo versanti absolutionem tum solum conferri vult, cum fecerit, si potest, satis, aut ad id sponsorem dederit, si tum quidem facere non potest satis.

3. Archidiaconos, decanos & archipresbyteros prohibet, ad enormium criminum punitionem, cujusmodi sunt adulterium, incestus, &c. pecuniariam pœnam imponere.

4. Iisdem omnibusque qui ecclesiasticam jurisdictionem exercent, interdicit, ne presbyteros mittant qui, confessiones audiendi causa, diœcesin percurrant.

5. Eos communione privat qui impediunt, ne ecclesiastici decimas percipiant. *Ibid.*

Concilium Rothomagense, an. 1299.

Guillelmus de Flavacourt, archiepiscopus Rothomagensis, habuit cum suis suffraganeis concilium hoc, quinta post Pentecostes octavam feria, in ecclesia sanctæ Mariæ de Pratis, hodie Boni-Nuntii. In eo statuta seu capitula septem edita.

1. Instaurantur decreta vetera quæ suis clericos beneficiis privant qui, postquam moniti fuere, pergunt, anni spatio militum instar, ensem, brevem habitum parumque regularem tonsuram ferre; eos quoque qui suis in domibus aut apud alios concubinas detinent; eos denique qui sæcularis justitiæ aliquod officium obeunt, quique usurariis aliisve illicitis contractibus obeundis se immiscent.

2. Qui dominicis festisque diebus ad lites incumbunt, excommunicatione plectuntur.

3. 4. & 5. Eadem in clericos pœna, qui se civili justitiæ in personalibus causis subdunt; eadem in judices laicos qui super factis ad ecclesiasticos spectantibus examen instituunt; & in eos omnes qui Ecclesiæ jurisdictionem turbant.

6. A reservatis casibus absolvendi potestatem regularibus episcopi non tribuent, quibusdam exceptis quorum prudentiam & mentis idoneam vim norunt; & quidem ea conditione, ut concessa facultas ad confessionem quam suo quisque parocho edere debent, nisi hoc ipso consentiente, non protendatur.

7. Mandatur præcedentium statutorum enuntiatio & executio. *Ibidem.*

Concilium Melodunense, an. 1300.

Stephanus Becardus, archiepiscopus Senonensis, ejusque suffraganei Melodunum Januario mense an. 1300. convenerunt, ibique vulgarunt, super disciplina, statuta sex seu sanctiones Romanorum Pontificum Decretalibus, eorumque legatorum constitutionibus consentaneas.

1. Mandat, ut, ex Bonifacii VIII. decretali, apostolicarum litterarum executio non nisi viris in dignitate constitutis, aut personatus habentibus, aut qui cathedralium ecclesiarum canonici sint, committatur; & hos quidem satis suæ commissioni non alibi facere vult quam in urbibus vel insignibus locis, ubi idonei homines commode inveniri possint.

2. Neminem pronuntiat ei legi subesse, ut apostolicas litteras exequatur quæ mandant, ut quispiam vocetur in jus, aut excommunicatione plectatur, nisi certus sit eas veras esse.

3. In eos fertur excommunicationis sententia, qui ecclesiasticæ jurisdictionis usum impediunt aut turbant.

4. Eum tamquam hæreticum damnat, qui, cum accitus fuit tamquam hæreseos suspicione laborans, haud comparuit, quique per annum totum, quin absolutionem peteret, obtineretque, in excommunicatione permansit.

5. Prohibet ecclesiæ aditu, quoad fecerint satis, regulares & sæculares qui hominibus notorie excommunicatis aut interdictis sacramenta vel sepulturam concedunt.

6. Renovat Simonis, sanctæ Sedis legati, constitutionem, in Bituricensi concilio contra eos editam, qui ecclesiasticorum judiciorum executionem impediunt. *Ibid*

Concilium Auscitanum, Ausciense, an. 1300.

Habitum est in Ausciensi provincia concilium quoddam; at in quo peculiariter loco celebratum sit, ignoratur; ejus nobis suppetunt canones tredecim.

1. In eos excommunicationem fert, qui electionum & postulationum libertatem impediunt.

2. & 3. Vetant, ne quis defunctorum ecclesiasticorum bona invadant; neve episcopi aliique penes quos vacantium ecclesiarum custodia est, ullam redituum partem retineant; iisque mandat, ut, in eorum gratiam qui ad eas nominabunt, eosdem reservent.

4. & 5. Intrusos pronuntiat eo jure excidisse quod habere poterant ad beneficia quæ per vim occuparunt.

6. Patronos qui aliquid ab iis exigunt quos ad beneficium præsentant, excommunicatos declarat.

7. Mandat, ut congrua portio solvatur parochis aliisve qui parœciis deserviunt.

8. Communione personas privat quæ in causa sunt, ut super beneficiorum, quibus adjuncta est animarum cura, possessione impedimenta suboriantur.

9. Eos quibus de beneficiis provisum est, studiis per annos septem vacare sinit.

10. Eum qui non ita animo comparatus est, ut se intra annum presbyteratu initiandum curet, vetat parœciam suscipere.

11. Beneficiorum cum animarum cura pluralitatem prohibet.

12. Vetat, ne Episcopi tonsuram conferant pueris, conjugatis, iis qui legere nesciunt, iisve qui ex alia diœcesi sunt, sine diœcesani episcopi venia.

13. Conferri vetat parœciam iis qui vicesimum quintum ætatis annum non attigerunt. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

CON-

CONCILIA
SÆCULI DECIMIQUARTI.

Concilium Nogariolense, an. 1303.

Feria secunda post S. Andreæ festum an. 1303. Amaneus, Auscienfis archiepiscopus, una cum suæ provinciæ episcopis habuit Nogarii concilium in quo undeviginti qui sequuntur, editi canones.

1. & 2. Vetant, excommunicationis indicta pœna, ne exteri clerici recipiantur, aut sacramenta administrare sinantur; nisi iis sui episcopi commendatitiæ litteræ præsto sint.

3. Laicos, sub excommunicationis, clericosque & religiosos, sub interdicti pœna vetat ecclesiasticorum judicum & inquisitorum functionem turbare.

4. Eos qui episcopi delegatos impediunt, ne ejus mandata exequantur, excommunicatos denuntiat.

5. Eamdem in dominos & judices sæculares pœnam decernit, qui ecclesiasticam jurisdictionem usurpant, & id sibi sumunt, ut de censuris judicent.

6. Eos, excommunicationis indicta pœna, capi aut molestiâ affici vetat, qui se in ecclesias recipiunt.

7. Excommunicatos, infames & testandi impotes eos declarat, qui perjuri sunt.

8. Laicos in ecclesiis, sine episcopi & parochi venia, sepeliri vetat.

9. Mandat, ut eorum corpora qui sepulturæ locum extra parœciam sibi elegerunt, ad parochialem ecclesiam deferantur, eique jura solvantur, in interdicti pœnam.

10. Eos communione privatos vult qui decimas retinent; eosdem arcet a sepultura, ac tum eos tum eorum posteros, ad quartam generationem usque, sacris ordinibus suscipiendis & beneficiis possidendis impares fore pronuntiat.

11. Mandat, ut archidiaconi qui in suarum visitationum cursu donum aliquod acceperint, suspensi, quique iis a comitatu sunt, excommunicati, *ipso facto*, declarentur, jubeanturque ejus duplum reddere quod sumpserunt.

12. Ecclesiam quæ nondum consecrata est, si per sanguinis effusionem, aut per excommunicati vel interdicti sepulturam polluta fuerit, per aquæ benedictæ aspersionem, ab episcopo peractam purgari jubet.

13. Temporales, multoque magis criminales causas in ecclesia agi vetat, excommunicationis & sententiarum nullitatis indicta pœna.

14. & 15. Concubinarios, adulteros publicos, eosque qui solutarum rerum schedulas conficiunt aut retinent, excommunicatos declarant.

16. Interdicto subdit loca in quæ res ecclesiis, ecclesiasticis & religiosis surreptæ inferuntur.

17. Magistratus, consules & barones qui conclusis leprosis vectigal imponunt, excommunicatione plectuntur.

18. Eamdem statuit in eos pœnam qui bona aut personas ecclesiasticas pro aliis oppignerant.

19. Ad eamdem pœnam eos damnat qui res in ecclesiis depositas occupabunt. *Ibidem*.

Concilium Compendiense, an. 1304.

Ineunte an. 1304. vel ex nova computandi ratione, an. 1305. Robertus de Courtenay, Remensis archiepiscopus, cum suis suffraganeis, Compendii, concilium habuit in quo edita quæ sequuntur, statuta quinque.

1. Eos, *ipso facto*, excommunicatos declarat, qui ad divinum officium admittunt, aut ecclesiastica sepultura donant excommunicatos, eosque qui clandestina matrimonia contraxerint, aut operam ad ea contulerint, aut iisdem adstiterint.

2. Eamdem pœnam in sæculares judices statuit qui clericis tributa vel alia onera imponunt.

3. Eos ecclesiastica sepultura privat qui per annos duos in excommunicatione perstiterunt, nisi satis fecerint & pœnitentiam egerint ad vitæ finem.

4. Mandat, ut, qui ad synodum in jus acciti fuere, nec comparuerunt, contumaces declarentur, jubeanturque apud diœcesanos episcopos canonice se purgare.

5. Omnes ecclesiasticos jubet jusculo & ferculis duobus contentos esse, nisi spectatus quispiam advenerit, in cujus gratiam aliqua extra ordinem expensa fiet.

Concilium Ausciense, seu, Augustæ Ausciorum, an. 1308.

Novembris die 26. an. 1308. Amaneus, archiepiscopus Auscienfis, habuit, Auscis, seu, Augustæ Ausciorum, e suæ provinciæ episcopis, concilium alterum in quo sex editi canones.

1. Ecclesiasticis mandat, suorum ut officiorum & beneficiorum jura pro viribus tueantur.

2. Cathedralium ecclesiarum canonicos, in vices, tota singulos hebdomada, officium peragere jubet.

3. Usurarios excommunicatione plectit.

4. Abbates vetat, ne inter se suosque monachos bona partiantur quæ communia esse debent, neve pensiones iisdem tribuant; omnesque monachos in eodem triclinio cibum sumere, & in eodem dormitorio cubare vult.

5. Prohibet, ne religiosis, & potissimum mendicantibus qui ad alios ordines migrant, pensiones dentur.

Postremus præcedentia statuta confirmat. *Ibidem*.

Concilium Posoniense, an. 1309.

An. 1309. 10. Novembris die, Cardinalis Gentilis de Montesiore, qui e Chordigeris fuerat, quemque Clemens V. in Pannoniam legatum miserat, Posoniæ, concilium habuit, in quo novem editi canones, ut remedium ejus regni incommodis afferretur.

1. Sua anathemata in eos jacit, qui sanctæ Sedis legatos, vicarios missosve impetit.

2. Ecclesiasticos vetat subsidii aut concilii quicquam in eos præbere qui ex ecclesia sunt.

3. Sub pœnis toties per canones latis, beneficium e laici manu suscipi vetat.

4. Canones in eos renovat qui usurpant aut retinent ecclesiæ bona.

5. Benedicti XI. in clericos concubinarios constitutionem renovat, clericosque quarta suorum proventuum parte privat, qui eam non servabunt.

6. Bellum & direptiones prohibet.

7. In eos qui ad annum in excommunicatione permanent tamquam in hæreticos agi vult.

8. Vetat Christianas feminas infidelibus nubere.

9. Isque postremus commendat omnibus & singulis, ut Papæ ejusque legatorum decretis pareant. *Ibidem*.

Concilium Coloniense, an. 1310.

An. 1310. Henricus, archiepiscopus Coloniensis, ejusque suffraganei episcopi qui Coloniam convenerant, hac in urbe concilium habuerunt, in quo viginti octo canones ediderunt.

1. Mandat, excommunicationis indicta pœna, ut omnes constitutiones & consuetudines, Ecclesiæ libertatibus contrariæ revocentur & abrogentur.

2. De pœnis agit quas subeunt qui clericos morte afficiunt, mutilant aut in carcerem trudunt; & circumspectiones sumit, ut impediat, ne qua vis iis inferatur.

3. Ecclesiarum advocatos vetat ob sua munia quicquam exigere.

4. & 5. Pœnas renovant ab Engilberto, Coloniensi olim archiepiscopo in eos latas qui bonis potiuntur quæ ad ecclesias pertinent, iisve legata sunt.

6. Mandat, ut Siffriddi, quondam archiepiscopi Coloniensis, statuta, super clericorum vita & moribus, in executione ponantur.

7. Cathedralium ecclesiarum vicarios sinit, absentibus canonicis, officium peragere.

Presbyteratus ordinem iis tantum collatum vult, qui vicesimum quintum ætatis annum attigerint.

9. Pœ-

9. Pœnas in presbyteros concubinarios & in religiosarum corruptores a canonibus latas renovat.
10. Vetat, ne clerici publicas pœnitentias quæ eos infames reddunt, agere jubeantur.
11. Mandat, ut epistolas & evangelia non alii legere sinantur quam qui Sacris ordininibus insigniti sunt.
12. Neminem, sub excommunicationis pœna, beneficium curatum acceptare vult, quin ab Episcopo ejusve archidiacono installatus, seu, possessione donatus sit.
13. Eos qui Papæ provisiones habent ad beneficia, se intra statum tempus ordinariis præsentare vult, ut sibi de iis providendum curent, secus, eorum beneficia vacabunt.
14. Statuit, ut fructus anni gratiæ ad canonicos qui suspensi occubuere, spectantes, ad ecclesiam, non ad eorum successores pertineant.
Annus gratiæ erat canonicorum, post eorum mortem proventus.
15. Declarat beneficiarios suis filiis spuriis annum gratiæ legare non posse; ecclesiarumque vicarios residere & deservire debere.
16. Campanarum pulsatores vult scire legere, ut sacerdoti respondeant; eosdemque, divini officii tempore, albis indutos esse.
17. Decanos rurales & parochos operam dare jubet, ut ecclesiis congrua ornamenta comparentur.
18. Suspensorum canonicorum redditus ad capitulum pertinere vult.
19. Mandat, ut nulla ecclesia nullumve cœmeterium fundentur, quin dos iisdem statuta sit.
20. Mandat, ut parochiani communionem a suo tantum parocho accipiant, & abstineant a communione, quoad fecerint contemptui satis quem in eumdem testati sunt.
21. Vetat, ne qua in quempiam imprecatio aut declamatio in ecclesiis fiat, quin episcopus annuat.
22. Vetat, excommunicationis indicta pœna, ne quis clandestinis matrimoniis adsistat, mandatque, sub eadem pœna, ut nullum non matrimonium enuntiationes præcedant.
23. Annum deinceps, ex Romanæ Ecclesiæ consuetudine, a Dominici Natalis festo inchoari jubet.
24. Super constitutionibus versatur quæ Notarios afficiunt.
25. Mandat, ut Siffriddi, super sacramentorum administratione, statutum accurate servetur.
26. Parochis sanctum chrisma & sancta olea negari vetat, ea obducta causa, quod synodalia jura non solverint.
27. Conradi, olim Coloniensis archiepiscopi, super monachorum capitulis, decreta renovat.
28. Mandat, sub pœna excommunicationis *ipso facto*, ut monachi & moniales peculium, si quod habent, intra mensem remittant, & clausuram servent ex Bonifacii VIII. Constitutione quæ incipit: *Periculoso*, &c. *Ibid.*

Concilium Viennense in Delphinatu, seu, *Vienna Allobrogum*, *an.* 1311.

Concilium hoc quod generale decimum quintum est, coactum fuit a Papa Clemente V. an. 1311. ob præcipuas causas quatuor quæ fuere: negotium militaris Templariorum Ordinis qui hoc in concilio abrogatus fuit; Fraticellorum, Dulcinistarum, Beguardorum & Beguinarum errores; Terræ Sanctæ subsidium; denique ecclesiasticæ disciplinæ restitutio; ut constat ex Clementinis, & ex convocationis Bulla, cujus initium: *Regnans in cælis*, &c.
Habita est prima sessio, 16. Octobris die. Eam Papa per sermonem aperuit cui propositus textus erat: „ Magna sunt opera Domini in justorum cœtu; “ & in quo summus Pontifex præcipua tria concilii argumenta, nempe, Templariorum negotium, Terræ Sanctæ subsidium, morumque ac disciplinæ reformationem, proposuit. Prælatorum numerus qui huic concilio adfuerunt, haud satis certus est. Aderant, inquit Nungisiensium Continuatorum unus, prælati mitrati quatuordecim super centum, & inferiores multo plures, quin deputati numerentur. Joannes Villani, *lib.* 9. *cap.* 22. cœtum hunc ait ex trecentis & amplius episcopis constitisse. Ei se stitere patriarchæ duo, Antiochenus & Alexandrinus. Habitæ super Templariorum negotio collationes plures a sessione prima ad secundam usque quam attulit 3. Aprilis dies an. 1312. In harum collationum una, die nempe 22. Martii an. 1312. abrogavit Papa, provisionis in modum, Templariorum Ordinem, eorum personas & bona suæ ipsius Ecclesiæque dispositioni reservans.

In sessione altera, quæ habita coram Rege Philippo Pulcro, ejus fratre Valesiæ comite, filiisque tribus, Ludovico, Navarræ rege, Philippo & Carolo, Papa personalem sententiam protulit quam jam contra Templariorum Ordinem tulerat; eumque, approbante concilio, proscriptum abrogatumque declaravit. Ad hospitalarios S. Joannis Hierosolymitani, qui deinde Rhodii, denique Melitenses equites dicti, eorum translata bona, iis exceptis quæ in Castellæ, Aragoniæ, Lusitaniæ regnis sita, regionibus contra Saracenos & Mauros propugnandis addicta fuere. Quoad Templariorum personas, concilium statuit, ut, præter nonnullos quorum sortem sibi nominatim summus Pontifex reservavit, de reliquis omnibus judicium, provinciarum ad quas singuli pertinebant, conciliis demandaretur. Post Templariorum negotium, absolvit concilium acta contra Bonifacii VIII. memoriam, qui Catholicus & legitimus Papa declaratus fuit.
In sessione tertia, Maji scilicet die 6. fuse dictum de suppetiis Terræ Sanctæ ferendis, concessaque decimæ annorum sex Regi Philippo Pulcro qui se ipsum ad ejus subsidium iturum promiserat. In eadem sessione, Bulla ad S. Francisci regulam explicandam, & Franciscanorum schisma finiendum edita. Papa Clemens ipse promulgavit constitutiones a Viennensi concilio approbatas, cum aliis nonnullis quas redigi jusserat in operis corpus quoddam quod *Decretalium septimum* nominare in animo habebat, ut Sexto Bonifacii VIII. prosecutionis loco esset; at eum mors impediit, ne opus hoc, de more, ad scholas mitteret, authenticum in modum scilicet, publici juris faceret. Solum an. 1317. Joannes XXII. ejus successor, reddidit publicas, firmavitque, per Bullam ad Universitates missam, Collectionem & Constitutiones, partim in Viennensi concilio, partim ante & post promulgatas, quod omnino *Clementinarum* volumen dicitur, & Juris Corpori insertum extat. Harum Constitutionum aliæ super doctrina versantur, & fidem spectant; aliæ disciplinam afficiunt; aliæ seu clericorum, seu regularium negotia moderantur. Earum bene multæ in Viennensi concilio editæ, quod innuit clausula: *Cum approbatione concilii*.
Viennensis concilii capitulum primum est Fidei professio in hæc verba: „ Dei Filius existit ab omni „ æternitate cum Patre, ejusdemque ac Pater substan„ tiæ est; totam nostram naturam induit quam integre „ sumpsit; nempe passibile corpus & animam rationa„ lem, hæc ipsa essentialiter humani corporis forma „ est. Dei Filius, humana natura indutus, omnium „ hominum salutem operari voluit; &, in hunc sane „ finem, crucifigi, super cruce mori, & ad latus lan„ cea perfodi; ejusmodi est evangelistæ S. Joannis nar„ ratio in qua declaramus, cum approbatione concilii, „ S. Joannem rerum gestarum ordinem secutum esse. „ Decidit deinde concilium eos tamquam hæreticos „ spectandos esse qui animam non esse essentialiter „ humani corporis formam contenderint; unum & uni„ cum baptisma agnoscendum esse, quod tam adultis „ quam infantibus adjumento est, ut ad salutem per„ veniant; eorum opinionem qui gratiam sanctifican„ tem & virtutum habitum, per hoc sacramentum, in „ infantium animum infundi putant, probabiliorem es„ se, eamdemque non sequi debere neminem, “
Eorum errores, qui *Beguardi* & *Beguinæ*, *Fraticelli* seu *Birzoqui* nuncupabantur, in Constitutione damnantur quæ legitur in *Cap. III. tit.* 3. libri quinti. Sunt autem errores hi: 1. hominem posse in hac mortali vita eum perfectionis gradum acquirere, ut nec omnino peccare, nec amplius in gratia crescere possit; 2. eos qui ad hanc perfectionem pervenerunt, nec jejunare amplius nec orare debere, quia in ejusmodi statu ita spiritui & rationi subsunt sensus, ut homo libere suo ipsius corpori, quicquid eidem placuerit, concedere possit; 3. eos qui ad hunc libertatis spiritum pervenerunt, non amplius ei legi subesse, ut Ecclesiæ pareant, ejusque præcepta servent; 4. posse hominem hac in vita ad finalem beatitudinem pervenire, eumque perfectionis gradum obtinere quem in altera habebit; 5. intellectualem creaturam omnem naturaliter beatam esse, animamque non indigere gloriæ lumine quod eam ad Dei visionem ac fruitionem elevet; 6. virtutum praxin imperfectorum hominum esse; at perfectam animam iis se colendis eximere; 7. feminæ purum putumque osculum lethale peccatum esse, at carnis cum eadem actionem non esse peccatum; 8. tempore elevationis Corporis Christi, non esse perfectis necessarium assurgere, ullumve eidem obsequium præstare, quia imperfectio quoad eos esset a puritate ac sublimitate contemplationis descendere, ut de eucharistiæ Sacramento, aut de passione Christi Domini cogitarent.

Confundi non debent Beguinæ tamquam hæreticæ a concilio damnari, cum Beguinis quæ adhuc in præsentia, Leodii & in Belgio subsistunt, quæque Lambertum, Beguum dictum, sæculo cum dimidio, Viennensi concilio superiorem, sibi institutorem agnoscunt.

Pertractati præterea in Viennensi concilio articuli plures, actumque, peculiariter, de religiosorum exemptionibus quibus modus, quin abolerentur, adhibitus. Super monachis nigris, superque monialibus edita sanctio. Primis quidem suarum divitiarum abusus vetitus, itemque redundantia, licentioris vitæ oblectamenta, venatio, itinera apud Principes; eos ad secessum, ad studium & ad pacem cum superioribus hortatur synodus. (*Clem. l.* 3. *tit.* 10. *De Stat. Monach. c.* 1. Ne in agro.) Religiosas quod spectat, eas vetat curiosas esse, se ornare, mundi festis adsistere, suisque e monasteriis pedem efferre. Iis visitatores esse vult, ne iis quidem exceptis quæ se canonicissas non religiosas dicebant. (*Ibid. c.* 2. Attendentes.)

Super hospitalibus decretum eo capite animadversione dignum est, quod harum domorum laicis administrationibus locum dedit. Eos a quibus fundatio pendet, eorumque loco, ordinarios impedire vult, ne directores ad suum ipsorum emolumentum detorqueant eos reditus qui pauperibus addicti sunt; vult præterea nullum hospitale, deinceps, tamquam beneficium, sæcularibus clericis tribui, in nullitatis pœnam, nisi fundationis titulus ita statuat; extraque hanc facti speciem, hospitalium curam iis demandari qui prudentia intelligentiaque polleant, pauperum miseriis tangantur, seque tamquam veros tutores gerere possint; quique, cæteroquin, ei legi subsint, ut jusjurandum edant, inventarium conficiant, annuasque ordinariis rationes reddant.

Super clero constitutiones eo rediguntur, inter alia, ut clerici prohibeantur artes profiteri, aut commerciis vacare quæ iis vel conjugatis parum conveniant; vestesque coloratas aut indecentes deferre; statuatur ætas ad ordines necessaria, scilicet, annorum octodecim ad subdiaconatum, ad diaconatum viginti, ad presbyteratum viginti quinque. Canonicis in capitulo nulla vox, nisi ordinem singulorum præbendæ additum suscipiant.

In libri quinti titulo 5. ad usuras quod attinet, damnat Clemens V. eorum hæresin qui pertinaciter assererent usuram peccatum non esse.

In Clementinarum libro quinto, tituli 9. capite primo, jubentur Ordinarii monere judices, ne pœnitentiæ & eucharistiæ Sacramenta reis ad mortem damnatis negent, atque adeo ad ea concedenda, per censuras, si opus fuerit, eosdem adigere.

Tituli 3. in primo libro, caput secundum Cardinalium jurisdictioni, sancta Sede vacante, modum præscribit; non ea quidem gaudent qua Papa ipse; at, in mortis casu, camerarii & pœnitentiarii officiis providere possunt.

Tituli decimi sexti caput unicum, in libro tertio, bullam continet institutionis festi Sancti Sacramenti per Urbanum IV. quod Clemens V. confirmavit.

Clementina, *Inter sollicitudines*, lib. 4. titul. 1. *de Magist. c.* 1. mandat, ut orientales linguæ publice doceantur; instituanturque magistri duo, ad hebraicam; duo itidem, ad arabicam; ac totidem, ad chaldaicam; idque, Bononiæ, Parisiis, Salmanticæ, Oxonii, quibusque in locis Romana curia resideret. Edita fuit sanctio hæc celebri Raymundo Lullo sollicitante. *Reg. Tom. XXVIII. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Ravennatense, Ravennense, Ravennate, an. 1311.

Raymundus, Ravennæ archiepiscopus, habuit, die 22. Junii an. 1311. in sua metropolitana ecclesia, concilium episcoporum provinciæ suæ, in quo conciliorum, summorumque Pontificum constitutiones plures, tributas in rubricas triginta duas, instauravit.

1. Cum ecclesiæ vacabunt, publicæ preces & processiones ad episcopi ordinationem edentur.

2. Defunctorum episcoporum funera solemnem in modum celebrabuntur. Eorum corpora pontificalibus vestibus induentur; capitulum de eorum mortis die cæteros provinciæ episcopos certiores faciet, qui, per mensem, unam quotidie missam dici jubebunt, alent diebus singulis pauperes tres, perficientque, ut solemnis missa, ad eorum animæ expiationem, in cathedrali singulorum ecclesia celebretur.

3. Quotannis, 20. Julii die, solemne anniversarium pro defunctis episcopis in cathedralibus ecclesiis fiet; alenturque ea die pauperes duodecim.

4. Annis singulis, die 4. Junii, pro ecclesiarum patronis & benefactoribus idem præsentabitur.

5. Reliquiæ de quibus certo constabit, extra altaria exponentur, ut eas populus revereatur; quæ vero in incertis erunt, sub altari, vel alibi concludentur, nec in cultum publicum proferentur.

6. Ecclesiæ Sacramenta omnia a jejunis, quoad fieri poterit, cum congruis ornamentis, & gratis administrabuntur.

7. Eucharistia, sanctum Chrisma & sancta olea sedulo in Ecclesiis aut Sacristiis concludentur, & hostiæ quæ ad viaticum servantur, crebro renovabuntur.

8. Opera dabitur, ut corporalia, pallæ, lintea & ornamenta in ecclesiis apte ac digne se habeant; erunt, si fieri potest, argentei calices; erit ibidem librorum & indumentorum satis; benedicta erunt æra campana, cæremoniis adhibitis quas Pontificalis liber præscribit.

Quæ *lintea* reddidimus, in textu vocantur *tobales*, quod vocabulum significare potest mappas, mantilia, tapetes ad altaris usum; reciditque ad voces *toubailla*, *tobaillia*, *toacula*, *soagla* quæ ad easdem res exprimendas in ecclesiarum libris leguntur.

9. Operam dabit episcopus quisque, ut presbyteros cæterosque suæ diœcesis ministros de sui quemque ministerii functionibus doceat. Presbyteri unam tantum missam in dies singulos celebrabunt, præter quam quibus in casibus jus aliter fieri finit. Nullus alienigena e suggestu dicere, sacrum facere, ullamve ecclesiasticam functionem obire poterit, quin Ordinario præsentatus ab eoque approbatus fuerit. Peragetur dominicis diebus singulis aquæ benedictio, omnesque parochiani iisdem dominicis diebus sua in parœcia integram missam audient, excommunicationis indicta pœna, si ter moniti secus egerint.

10. Agetur patronorum ecclesiarum cathedralium festus dies; eritque id curæ parochis, ut, die quaque dominica, inter missarum solemnia, post evangelium & oblationem, de hebdomadæ festis & jejuniis moneant.

11. Cum omnes fideles oporteat baptismi formam scire, ea ter in anno, die scilicet Epiphaniæ, Paschatis & Pentecostes, enuntiabitur in ecclesiis.

12. Nulli prorsus mercatus, collationes nullæ, acta justitiæ nulla in ecclesiis locum habebunt, nisi forte necessitas ita postulet, belli tempore.

13. Nemo, cujuscunque tandem ordinis fuerit, ad divinum verbum nuntiandum, nisi post ætatis annum tricesimum admittetur; nec quæstuantes officium hoc obire sinentur.

14. Benedictinorum non exemptorum & canonicorum regularium abbates & priores, quotannis, provinciale capitulum ad reformationem habebunt.

15. Parochis cordi erit, adventus & quadragesimæ tempore, canonem, *Omnis utriusque sexus*, indicere, monitis parochianis, eos lethaliter peccaturos, nisi saltem semel in anno confessionem ediderint, & communionem perceperint. Corporis medici ægrotantem iterum non visitabunt, quin is animæ medicum appellaverit.

16. Parœcia nemini conferetur quin legere & canere divinum officium sciat; nemini pariter in cathedrali ecclesia canonicatus, quin itidem sciat legere & canere, & quin ætatis annum decimum quintum attigerit; nemini denique in collegiata ecclesia beneficium, nisi mediocriter legere sciens expleverit annos duodecim.

17. Omnes abbates & priores Ordinis S. Benedicti conforme officium habebunt.

18. Episcopi, quotannis, ad ecclesiasticorum & laicorum reformationem, synodum cogent.

19. Consequentibus duabus ante sponsalia dominicis diebus, matrimoniales enuntiationes in ecclesia peragentur; interea, subsit, nec ne, impedimenti quicquam, inquirent. Non celebrabuntur omnino nuptiæ a prima adventus dominica ad elapsam Epiphaniæ octavam usque, a dominica Septagesimæ ad usque octavam Paschatis, & a tertia ante Ascensionem die ad Pentecostes octavam usque.

20. Qui se per sæcularem auctoritatem eligendos curant, & beneficiorum possessionem per eamdem ineunt, excommunicati sunt, nullumque in provincia beneficium possidere poterunt.

21. Clerici & religiosi suis superioribus perduelles suspensi erunt, quoad satisfecerint.

22. Monachi aut canonici apostatæ ad nullum seu beneficium seu officium ecclesiasticum admittentur.

23. Notam qua a Christianis dignoscantur, Judæi referent, nec sinentur, quibus in locis synagogas non habent, ultra mensem consistere.

24. Nul-

24. Nullus episcopus in alterius diœcesi jurisdictionem, sine ordinarii venia, exercebit. Nullus clericus sæcularis aut regularis, iis tantum qui ex mendicantium religiosorum ordine sunt, aliisve privilegiatis exceptis, sine sui, vel originis, vel domicilii, vel beneficii, episcopi dimissoriis litteris, ad ordines promovebitur. Nullus episcopus alienigena ad episcopalia munia obeunda admittetur, nisi metropolitanus de ejus ordinatione certus sit.

25. Non conferetur hospitalium regimen nisi cœlibatariis qui ibidem residere statuerint.

26. Renovantur & aggravantur in eos pœnæ qui clericos percutiunt, in carcerem trudunt, acerbe excipiunt aut molestia afficiunt.

27. Qui Dei, Virginis aut Sanctorum nomen blasphemiis violant, ad mensem, præter cæteras pœnas a canonibus latas, ab ecclesia excludentur; &, nisi pœnitentiam egerint, ecclesiastica sepultura privabuntur.

28. Eadem in eos pœna qui ultra annum excommunicati permanent, quamvis absolutionem in mortis articulo percepissent.

29. Censuræ ad excommunicationem usque in adulteros adhibebuntur; ac, si mensem elabi sinunt, quin sui criminis assuetudinem deserant, ecclesiastica & ipsi sepultura destituentur, etiamsi facerent in morte satis.

30. Quoniam ad pauperes ecclesiastica bona pertinent, episcopi, capitula & monasteria generales statasque eleemosynas erogabunt, &, suarum facultatum ratione habita, pauperes alent. Ad urbium pacem quas discordia turbat, episcopi incumbent, & pacis collectam, quoad discordia desierit, dici jubebunt.

31. Ad episcopum, ejusve magnum vicarium notarii, intra mensem, testamentorum expeditionem afferent, quibus insunt legata pia, & id quidem, excommunicationis indicta pœna. Si executores testamentarii intra annum testamenta exequi negligunt, eorum executio ad episcopum devolvetur; & hi negligentes executores se non amplius testamentorum executioni quam neglixerint, immiscere poterunt, & cuivis alii testamento executioni mandando inepti erunt.

32. Adhibetur juribus modus quibus episcoporum secretarii & notarii gaudent.

Concilium Rothomagense, an. 1313.

Ægidius Aycelinius, archiepiscopus Rothomagensis, habuit una cum suffraganeis concilium hoc in ecclesia Dominæ Nostræ de Prato, quæ hoc tempore Boni Nuntii nomen præfert, sub S. Lucæ festum, ad eorum nonnulla quæ sub ejus decessore Guillelmo de Flavacourt, statuta fuerant, in bono lumine collocanda. Et sane nihil sunt aliud hujus concilii decreta quam articulorum repetitio qui in celebri concilio, ibidem an. 1299. habito, pertractati fuerant. In hoc solum paulo distinctius effertur in clericos lata lex, ne ad sæcularia tribunalia comparerent, quibus ipsis in casibus jus statim accusatori actionem præbebat, & personalem stata die vocationem accusato indicebat; quod in clamoribus de *haro* dictis contingebat. Est hæc Articulis IV. V. VI. VII. VIII. subjecta materies. Primus & secundus in vestibus & in gestu totiusque oris & corporis habitu modestiam ecclesiasticis & ipsi commendant, brevia indumenta, armorum lationem, feminarum frequentationem & usuram damnant. Renovatur in tertio mandatum, ut festis diebus a forensibus contentionibus abstineatur. Bessinius, *in Concil. Normann.*

Concilium Parisiense, an. 1314.

Archiepiscopus Senonensis, Philippus de Marigni, habuit concilium hoc, die 7. mensis Maji. Acta continent articulos tres.

1. Parœciarum in quibus existerent qui clericos in carcere detinerent, pastoribus mandat, ut eos moneant oportere, ut ipsos ad proprios episcopos nulla interjecta mora remittant; quod ni fecerint, eos parochi excommunicatos declarabunt.

2. Generales in jus vocationes tamquam in provincia interdictas prohibet.

3. Vetat pariter, ne quis vocetur in jus, tamquam cum excommunicatis participaverit, quin accusatus in antecessum monitus fuerit, & accusator jurare jussus qui eum putat, cum excommunicatis, vetitis in casibus, scienter communicasse. Si citatus non est reus, punietur judex, citationis auctor.

Hujus constitutionis ea ratio est, quia nequam homines bis citationibus abutebantur, ut pecuniam extorquerent, quemadmodum ex aliis conciliis perspicitur. *Lab. Tom. X. Hard. Tom. VIII.* Pater Mansi, *pag.* 391. & *seq.* Tomi III. sui Supplementi ad patris Labbæi Concilia, novem alios huic concilio articulos tribuit, duce D. Martenne, *Vet. Monum. Tom. VII. pag.* 390. Hi porro articuli mandant, ut conciliorum canones indicantur; absolutiones per vim extortas nullas declarant; direptionum usum prohibent, vetantque, ne capellæ seu oratoria in locis non exemptis, absque ordinarii venia, extruantur; agunt de localibus interdictis quorum tempore licere volunt pœnitentiæ sacramentum bene valentibus & ægrotantibus administrari.

Concilium Ravennatense, an. 1314.

Rainardus, Ravennæ archiepiscopus, habuit concilium hoc in Argenti Castro, qui ex ejus diœcesi locus, 10. Octobris die an. 1314. in eoque viginti constitutiones editæ quæ sequuntur.

1. Canonici solum in sacris ordinibus constituti, in capitulo voce gaudebunt.

2. Nemo presbyter ordinabitur nisi ætatis anno vicesimo quinto, diaconus nisi vicesimo, & subdiaconus nisi decimo sexto. Ad ordines, vel ad ullum officium non admittetur qui ex aliena diœcesi est, nisi, saltem duobus ante ordinationem mensibus, episcopo qui eum ordinaturus est, exhibeat dimissorias & testimoniales de ipsius indole, vita & moribus litteras quæ a diœcesano tantum episcopo, vel ab ejus vicario concedi poterunt. Qui aliter ordinatus fuerit, ordines quos susceperit, exercere non poterit, absque apostolicæ Sedis aut provincialis concilii dispensatione. Excipiuntur ab hac regula religiosi mendicantes & exempti cæteri.

3. Non ordinabitur episcopus alienigena ignotusque, ac ne notus quidem, sine consensu archiepiscopi episcoporumque provinciæ, quemadmodum canones præscribunt; nullusque Ravennæ suffraganeus e provincia egredi poterit, ut alterius provinciæ episcopum consecret, sine archiepiscopi aut sanctæ sedis venia.

4. Exempti extraneos aut ignotos episcopos vocare non poterunt, ut episcopales functiones vel ordinationes in eorum ecclesiis peragant.

5. Sanctæ Sedis legati & delegati, aliive nuntii suam ordinario commissionem ostendere debebunt, exceptis legatis *a latere*, iisve qui peculiares commissiones habent.

6. Cum episcopi per suas diœceses iter agent, locorum parochi, per quæ transibunt, æra campana pulsari jubebunt, ut populus monitus genua flectat, eorum benedictionem suscepturus. Parochi qui id neglexerint, aureos solidos quinque, trium dierum spatio, pauperibus tribuent. Capitula recipient episcopos ad æris campani sonum, iisque canonici occurrent ad ecclesiæ januam usque, *cum cottis*, seu, *cotis*, ut in textu legitur, & *pluvialibus*, thus, aquam benedictam & crucem gestantes, pieque psallentes seu concinentes; quibus, ubi ad altare pervenerint, prostratis, solemnem in modum, episcopus benedicit. Episcopi suffraganei, quocumque per Ravennatensem provinciam ierint, ibi celebrare, licet extra proprias diœceses, poterunt, dummodo non ultra dies decem ibidem maneant, nec ordinarius adsit. Cum sanctæ Sedis legatus, aut Ravennæ archiepiscopus alicubi solemniter celebrabit, episcopi & abbates finitimi ecclesiasticis induti vestibus eidem adstabunt. Clerici suis superioribus refractarii suspensionem, atque adeo, si per mensem in suspensione remanserint, quin resipiscere, satisque superioribus facere vellent, excommunicationem subibunt.

7. Ei legi, sub excommunicationis pœna, notarii suberunt, ut, quæ ediderunt, acta iis tradant quos eadem afficiunt.

8. Religiosi aut sæculares qui temporis lapsum & præscriptionem prætexentes, suorum prælatorum visitationem pati noluerint, excommunicati erunt, eorumque ecclesiæ interdictæ.

9. Qui appellant ab excommunicationis sententia, suamque appellationem non prosequuntur, omni beneficio destituentur, si sui ministerii functiones, ut antea, obire pergant.

10. Religiosi, itemque clerici non arma deferent, nec alterius coloris vestes quam qui a jure concessus est. Iis erunt longa & clausa indumenta, corona, itaque tonsi capilli, ut aures cernantur, petasus, seu pileus, seu pelliceum amiculum quod ad aures usque descendet, ut iis caput obtegat; laicorum convivia non frequentabunt; & in ecclesiarum domibus commorabuntur. Presbyteri, episcopi, canonici, parochi, omnes

omnes denique ecclesiastici in sacris ordinibus constituti congruas vestes in urbe suburbiisque, cappas scilicet aut togas gerent. Extra urbes & suburbia, saltem *taba-dos*, quæ textus vox, nempe, saga quædam aut pallia seu lacernas deferent. In ecclesia, cappas nigras, aut saltem tunicas albas aliasve, & superpellicea gestabunt; in cauponas, non nisi itar agentes, ingredientur; non sinent cauponas aut vetitas merces teneri, vel hospitio recipi suspectas personas in ecclesiis, aut ecclesiarum domibus quæ in intimo claustro existunt, usuique clericorum addictæ sunt.

11. Viri in puellarum monasteria non ingredientur; nec religiosæ sine episcopi venia egredientur.

12. Præbendam habebit nemo, quin decimum sextum ætatis annum attigerit; ea si quis potitur, privabitur, nisi se ad ordines promovendum curet quos ipsa præbendæ natura postulat.

13. Presbyteri suam primam missam intra annos ab ordinatione tres celebrabunt, ac deinde quo sæpius poterunt, saltem semel in anno, secus eam pœnam subituri, suis ut beneficiis omnibus spolientur. Quarta quaque & quinta per hebdomadam feria, collecta pro studentibus in missa dicetur.

14. Parochi, ter saltem in anno, baptismi formam suos parochianos docebunt.

15. Ad missæ introitum dicetur confessionis quæ sequitur, formula: *Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ virgini*, &c.

16. Quoniam est apprime certum sua Deum beneficia, spectatis potissimum ferventibus precibus quæ ad eum funduntur, jejuniis item eleemosynisque, concedere; quicunque ad provinciale concilium vocati fuerint, per dies tres ante concilii sessionem primam jejunabunt, precesque & eleemosynas præter consuetudinem edent. Cæteri porro tum ecclesiastici tum laici, ut iisdem bonis operibus vacent extimulabuntur.

17. Excommunicatio aliæque pœnæ a conciliis in Ecclesiæ bonorum detentores latæ renovantur.

18 Clerici seculares aut regulares, beneficia retinentes quæ ad episcoporum, monasteriorum aut capitulorum mensam pertinent, iis privantur *ipso facto*, & excommunicationem subeunt.

19. Quia interdicti sententiæ scandali multum afferunt, & in causa sæpe sunt, ut innocentes puniantur, populi licentia, impietas, hæreses augeantur & vires fumant, denique inde incommoda ecclesiæ ecclesiasticique patiantur; interdicimus, ne ejusmodi sententiæ ob causas mere pecuniarias ferantur.

20. Renovantur facultates religiosis concessæ, ut indulgentias annuntient prædicentque. *Reg. Tom. XXVIII. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Salmuriense an. 1315.

Geofriddus *de la Haye*, archiepiscopus Turonensis, concilium hoc, feria sexta, 9. Maji mensis die, una cum suæ provinciæ episcopis & abbatibus celebravit, in eoque canones seu capitula quatuor edidit.

1. Excommunicatione plectuntur Ecclesiæ vassalli qui, ut se ecclesiasticis dominis subtrahant, debitisque juribus eos frustrentur, suis in assertionibus edixerint se a secularibus dominis bona tenere quæ reapse ab Ecclesia tenent, seu remote, seu proxime. Quoad præteritum tempus, qui, ex annis quadraginta, ejusmodi significationes ediderunt, excommunicationi suberunt, nisi eas intra tres menses & post monita tria revocent.

2. Repetitur Bituricensis, an. 1276. concilii decretum quod excommunicatos, *ipso facto*, eos omnes declarat qui ecclesiasticorum judiciorum executionem impediunt. Fertur item interdicti sententia contra dominorum terras, quorum præfecti, seneschalli, aliive judices ecclesiasticæ jurisdictioni derogant.

3. In archidiaconos aliosque interdictio, qui præpositi sunt clericorum examini, quibus ordines aut beneficia conferuntur, ne quid ab iis sumant, in suspensionis, si presbyteri sunt, aut, si minus, excommunicationis pœnam.

4. Terra vel ante interdici poterit, quam in domini aut prætoris personam quicquam mandatum fuerit; & episcopi suffraganei ab excommunicationibus absolvere, & interdicta ab hoc concilio lata tollere poterunt. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Nugariolense, an. 1315.

Amanæus de Armagnacio, archiepiscopus Auscienfis, hoc suæ provinciæ concilium habuit, in eoque edidit statuta quinque.

1. Domini temporales aliique laici qui vacantes ecclesias occupaverint, excommunicationi suberunt, eorumque filii, hac quidem vice, iis possidendis inhabiles erunt.

2. Eorum filii, fratres & nepotes, qui operam contulerint, ut tributo ecclesiastici subderentur, ad ordines & beneficia promoveri non poterunt, ad quartam generationem usque, eorumdemque familia universa privabitur ecclesiastica sepultura.

3. Reis ad mortem damnatis haud negabitur pœnitentiæ sacramentum.

4. Qui episcoporum domesticis injuriam intulerint, erunt excommunicati, locusque in quo facinus patratum fuerit, interdictus ad injuriæ reparationem usque.

5. Enuntiabunt persæpe parochi, solemnium missarum tempore, decretalem, *Gravis*, in eos qui ecclesiasticorum interdictorum & excommunicationum executionem impediunt. *Ibid.*

Concilium Silvanectense, an. 1315.

Ludovicus rex X, ad 6. mensis Augusti diem, hoc concilium indixit, ut in eo Petrus Latillius, episcopus Catalaunensis, de Philippi Pulcri morte suspectus, aliorumque criminum accusatus judicaretur. Prorogatum fuit concilium hoc a Petro de Courtenai, Remensi archiepiscopo ad diem usque 15. Maji sequentis an. 1316. in eoque Petrus Catalaunensis absolutus fuit.

Subsecuto anno, Martii die 27. in eadem urbe Silvanecto, idem archiepiscopus coegit concilium alterum in quo pœnas renovavit in eos latas qui ecclesiasticis bonis potiuntur. *Ibid.*

Concilium Ravennatense, an. 1317.

Rainaudus, Ravennæ archiepiscopus, in id semper intentus, ut faceret episcopatus officiis satis, morumque ac disciplinæ integritatem servaret aut restitueret, Octobris die 27. an. 1317. habuit, Bononiæ, concilium hoc in quo præcedentia concilia duo confirmavit Ravennæ celebrata, novasque constitutiones in viginti quatuor articulos seu capitula digestas edidit.

1. Episcopi ad redditum ecclesiarum vacantium procurationem experrectos & prudentes œconomos nominabunt, ut hi proventus in earumdem ecclesiarum ejusque qui defuncto succedet, emolumentum cedant. Si canonici aut clericorum alii se horum bonorum administrationi immiscere voluerint, eligendi jure, vice hac, privabuntur; ac si patroni in eamdem culpam inciderint, ipsi quoque, hac vice, præsentationis jure destituentur.

2. Nemo parœciæ possessionem inibit, se ab aliquo seculari aut regulari prælato institutum prætexens, nisi suam ab episcopo missionem acceperit.

3. Renovatur Pictaviensis concilii canon qui mandat, ut, qui de beneficiis provisi sunt, se ad eos ordines, intra annum, promovendos curent, quos eorum beneficia requirent, ea, secus, indicta pœna, ut omnibus beneficiis priventur quæ eos ordines postulant, quos suscipere noluerunt.

4. Instauratur Ravennatensis concilii, an. 1314. habiti canon decimus, super clericorum vestibus agendique ratione; & refractariis pecuniariæ pœnæ imponuntur. Statuuntur pariter in eos ejusmodi pœnæ qui merces & imprimis vinum in domibus vendunt aut emunt, quæ ecclesiasticis addictæ sunt, qui ad cauponas vel ad laicorum convivia se conferunt, qui nudo capite incedunt.

5. Ut impediatur, ne indigni ad beneficia promoveantur, nec canonici in cathedrales aut collegiatas ecclesias, nec canonici regulares aut monachi in monasteria, sine ordinarii aut metropolitani venia, recipientur.

6. Nemo, laicorum favore & auctoritate, in virorum aut puellarum monasteria suscipietur. Quicumque, seu viri seu feminæ, in hunc modum suscepti fuerint, activa & passiva voce carebunt; nec superiorus ei legi suberunt, ut eos habiles reddant.

7. Cum ecclesiarum diuturnæ vacationes gravia mala creent, tum quoad spiritualia, tum quoad temporalia; qui providendi facultate gaudent, operam dabunt, ut id quamprimum perficiant; quod si negligentes fuerint, ecclesiarum clerici quarum beneficia ad Ravennæ metropolitanum devoluta erunt, eum de re intra mensem monebunt, ex quo hujus devolutionis notitiam habuerint.

8. Ut impediatur, ne cathedralium aut collegialium ecclesiarum canonici, in cleri dedecus, mendicare cogantur, ita statuetur canonicorum numerus, ut earum ecclesiarum redditus ad horum sustentationem sufficiant.

9. Beneficiarii quorum beneficia residentiam postulant, suis omnibus beneficiis privabuntur, si ultra dies

dies quindecim, absque ordinarii peculiari venia, a suis ecclesiis abfuerint.

10. In omnibus cathedralibus & collegiatis ecclesiis aderunt in canonicorum gratiam quotidianæ distributiones & communis mensa, ex sanctione quam Bonifacius, Ravennatensis archiepiscopus, quoad caput hoc, in concilio editam voluit, quod in Foro Livii celebravit.

11. Statuuntur taxæ & impositiones quas ecclesiæ ferre debent, ut sumptibus subveniant qui episcopis aliisque inferioribus clericis necessarii sunt, cum Ravennam appellantur, aut provinciæ negotiis aliter adducuntur. Episcopi, in ejusmodi casibus, habere non possunt nisi equos quindecim; abbates aliique prælati, quatuor; cathedralis ecclesiæ canonici, tres; simplices ecclesiastici, unum tantum.

12. Nullus sacerdos, seu sæcularis, seu regularis privatam in ulla prorsus ecclesia Missam dicere incipiet, dum canetur ibidem solemnis missa; sed expectabit, quoad hæc solemnis Missa absoluta sit, ut suam inchoet.

13. Nullus abbas, aut episcopo inferior prælatus, quicumque fuerit, de causis cognoscere poterit quæ clericorum personas spectant, in pœnam nullitatis omnium quæ in hanc rem egerit, nisi peculiari aliquo privilegio, aut consuetudine legitime præscripta nitatur.

14. Christifidelium nullus suam Judæis domum locare poterit, aut pati eos ibidem, quacumque tandem obducta causa, degere; qui non paruerit, excommunicatus *ipso facto* erit.

15. Publici omnes usurarii communione & ecclesiæ sepultura privabuntur; eorum oblationes non recipientur; iidem absolvi non poterunt, eorumque testamenta nulla erunt. Notarii qui contractus & alia acta usuraria digessarint, iisdem, atque usurarii ipsi, pœnis subdentur.

16. Bonorum restitutiones, quæ male acquisita sunt, ab episcopo, ejusque jussu, in pauperum favorem fient, cum de iis non constabit ad quos ejusmodi bona pertinent; & personæ his restitutionibus obligatæ designare debebunt in suis testamentis horum legatorum causam, ajentes clare & expresse: „ relinquo tot „ numero bona male acquisita, incerta, ut restituan„ tur; " non autem solummodo: „ relinquo in meæ, „ meorumque consanguineorum animæ remedium. "

17. Religiosi venatum non ibunt, ei pœnæ, secus, obnoxii, ut, per annum, suorum officiorum, si quod habent, administratione priventur; aut, si nullum habent, eligi nequeant, ultimumque locum in choro teneant, quoad, superioris arbitratu, suæ fecerint culpæ satis.

18. Arma ferentes, aut aliquod crimen patrantes retenti clerici in episcopi manum, sine diffamatione remittentur, sub excommunicationis in eos pœna qui noluerint eosdem remittere, aut cum diffamationis strepitu solum remiserint.

19. Duæ ob crimen unum pœnæ non imponentur.

20. Episcopi super ætate & qualitatibus quibus ad ordines suscipiendos ex præcedentium conciliorum canonibus opus est, ea tamen lege, ut ii quos ordinaverint, idonei sint.

21. Capitula quæ non, decem dierum spatio, sui episcopi mortem cæteris provinciæ episcopis significaverint, solvent mulctæ libras decem quæ a metropolitano piis usibus addicentur.

22. Ordinarii eorumque vicarii poterunt eos absolvere qui pœnas a Ravennatensium conciliorum canonibus latas subierint, dummodo pœnitentes sint, congruamque intra mensem satisfactionem obeant. In posterum porro, eorum punitio qui canones transgrediuntur, moderandique aut interpretandi conciliorum leges auctoritas metropolitano reservabuntur.

23. Moniales poterunt personas non suspectas quæ eas petunt, per clathros alloqui, modo id cum antistitæ venia fiat, eidemque religiosæ duæ semper ita comites adsint, ut eam videre & audire possint.

24. Monentur notarii & secretarii fore, ut pœnis a concilio latis obnoxii sint, nisi, pro suorum jurium perceptione, ad taxationes se conformaverint quæ hic iisdem statuuntur.

Hi postremi articuli duo ab archiepiscopo Rainaudo editi fuere, in potestatis consecutionem quam ei concilium dederat, ut ejusdem decreta explicaret. *Reg. Tom. XXIX. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Senonense, *an.* 1320.

Philippus de Marigny, archiepiscopus Senonensis, habuit concilium hoc feria quinta Pentecostes an. 1320. in eoque protulit statuta quatuor.

1. Suos diœcesanos hortabuntur episcopi, ut in vigilia festi sancti Sacramenti jejunent, iisque qui id fecerint, dierum quadraginta indulgentiam concedent.

2. Interdicentur seu exempta seu non exempta loca in quibus laici judices clericum per vim retinuerint.

3. Monasteriorum superiores adigent suos religiosos aut religiosas, ut post annum ac diem publice professionem edant.

4. Canonici, parochi aliique presbyteri nigris tantum alterinsve modesti coloris calceamentis utentur.

Instaurata fuerunt & confirmata statuta hæc in alio ejusdem provinciæ concilio quod Lutetiæ Parisiorum an. 1323. Guillelmus de Melunio, Senonensis archiepiscopus, celebravit. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Valdoletanum, seu, *Vallisoletanum*, seu, *apud vallum Oleti*, seu, *Vallis-Oletanum*, *ann.* 1322.

Guillelmus de Godinio, cardinalis episcopus Sabinæ, & Joannis Papæ XXII. legatus, habuit Augusto mense an. 1322. cum omnibus suæ legationis episcopis, in urbe Valdoleto, ad Palentiæ in Castella diœcesin spectante, concilium hoc in quo viginti octo capitula seu statuta vulgavit.

1. Habebuntur altero quoque anno provincialia concilia, annisque singulis diœcesana synodi. Archiepiscopi & episcopi qui concilia hæc aut has synodos celebrare neglexerint, privabuntur ecclesiæ aditu, quoad suam negligentiam, his conciliis aut his synodis habitis, reparaverint. Qui ecclesiasticis ad concilia vel ad synodos euntibus grave damnum attulerint, excommunicationem *ipso facto* subibunt. Episcopi monebunt suarum diœceseon visitatores, ut in suis visitationibus diligenter inquirant, an conciliorum & synodorum statuta serventur, & de re tota episcopos in proxima synodo certiores faciant.

2. Id erit curæ parochis, ut, quater in anno, videlicet, in Natali Domini, in Paschate, in Pentecoste, in B. Virginis Assumptione, & Quadragesimæ dominicis diebus singulis, fidei articulos, decalogum, Sacramentorum numerum; & virtutum ac vitiorum genera, vulgari lingua, populo legant.

3. Episcopi in conciliis, synodis, ecclesiisque suarum diœceseon edici jubebunt Bonifacii VIII. decretalem, *Quoniam ut intelleximus*, quæ ad sæcularium judicum tribunalia ecclesiasticos acciri vetat.

4. Dominicis festisque diebus a servilibus operibus abstinebitur; per hos dies, nemo terram colet, aut manibus laborabit, nisi in urgentis necessitatis casu, vel ob causam piam, & quidem cum presbyteri venia. Ordinarii per excommunicationis pœnam transgressores punient.

5. Falsi testes & quicumque alios excitant, ut falsum testimonium ferant, excommunicationi subdentur.

6. Episcopi sericas vestes non deferent. Solemnium festorum diebus Missam publice suis in ecclesiis celebrabunt. Iter agentes manualia altaria secum deferenda curabunt, ut, se præsentibus, missam quotidie celebrari jubeant. Canonicas horas suis cum clericis recitabunt, divinumque officium in suis cathedralibus ecclesiis celebrabunt. Sæcularium aut regularium clericorum nullus, ne episcopus quidem, suorum filiorum aut nepotum sponsalibus, baptismati, aut nuptiis intererit.

7. Clerici concubinarii correctionis impotes excommunicatione, suorumque beneficiorum privatione plectentur.

8. Canonici aliique beneficiarii qui episcopi servitio & personæ addicti sunt, suorum beneficiorum proventu fruentur.

9. Beneficia non tribuentur in partes, nec ordinibus quispiam initiabitur, quin satis litteris imbutus sit.

10. In ecclesiis non ponetur clericorum plus quam alere possint. Suum sæcularibus clericis habitum religiosi non dabunt, ut eos Ordinarii jurisdictioni subtrahant. Per publica & authentica acta, sub nullitatis pœna, beneficia in capitulo conferentur.

11. Designabuntur parœciarum limites; eosque qui ex aliorum parœciis sunt, parochi non recipient.

12. Ad impediendas fraudes quas religiosi in decimarum solutione perpetrant, in diœcesanis synodis excommunicatione plectentur qui alicujus hac in re culpæ rei fuerint.

13. Monasteriorum superiores eorumdem bona alienare non poterunt. Habebunt sua provincialia capitula singulis annis tribus, ut regularis disciplina servetur. Episcopi cæterique in puellarum monasteriis superiores designabunt ecclesiasticos regulares, si fieri potest, aut saltem

saltem sæculares, ætate & moribus commendandos qui eorum monasteriorum custodiæ invigilent; impediantque, ne qua religiosa externas personas, sine eorum venia, & sine tribus duabusve sociis, ubicumque par fuerit, alloquatur; & id quidem, sub excommunicationis pœna.

14. Hospitalitatem erga religiosos aliosque viatores petentes exercebunt libenter parochi.

15. Beneficiorum patroni non dabunt præsentationis litteras ante beneficiorum vacationem, quorum patronatu gaudent, ea indicta pœna, ut præsentationis hæ præmaturæ litteræ nullæ sint; & clerici qui ejusmodi litteras impetraverint, quibusque scientibus & consentientibus impetratæ fuerint, possidendis hujus generis beneficiis inepti erunt. Patroni qui ecclesias quorum patroni sunt, pueris dabunt, excommunicati *ipso facto* erunt.

16. Omnes sæculares & regulares clerici, seu exempti seu non exempti, novum chrisma quotannis ab episcopo petent, vel ab eo cui ejus distributionem is demandaverit, quin veteri chrismate in baptismi administratione uti possint, eam, secus, pœnam subituri, ut suorum beneficiorum redditibus, ad sex menses, priventur.

17. Fideles, satis ætate pollentes, qui quadragesimæ aut quatuor temporum abstinentiam violaverint, excommunicationem *ipso facto* subibunt; ac dominicis diebus singulis, a Septuagesima ad Pascha, enuntiabitur in parœciis sententia hæc. Qui abstinentiæ diebus publice carnes vendent, in excommunicationem & ipsi incident.

18. Gregorii X. Bullam, *decet domum Domini*, in sæculares judices editam qui sua in ecclesiis tribunalia tenent, episcopi enuntiari jubebunt. Neque vero nundinæ, nec mercatus in ecclesiis aut cœmeteriis agentur, in excommunicationis solo facto subeundæ pœnam. Eadem in eos pœna, qui ecclesiarum immunitates & asyli jus impediunt aut turbant; in eos item qui ecclesiasticos sauciant aut capiunt, quique ecclesias aut monasteria expilant destruuntve. Additur in hos delinquantes, privationis ecclesiasticæ sepulturæ, in urbes autem & alia loca quæ eos recipient, interdicti pœna.

19. Episcopi in suis cathedralibus ecclesiis, & parochi suis in parœciis, per anni præcipua festa quatuor, perque omnis Quadragesimæ dominicas dies, indici jubebunt generalis concilii Viennensis in eos decretum, qui matrimonium vetitis in gradibus ineunt.

20. Qui ob beneficiorum collationem, vel ob ordinationem aliquid accipientes, simoniæ reos se reddiderint, excommunicationem, si laici, vel inhabilitatem, per annos duos, ad ullum beneficium possidendum, si clerici non beneficiarii, vel sui denique beneficii fructuum privationem subibunt, si beneficiarii fuerint. Cæterum, peracta ordinatione, id accipi poterit quod ordinati pro scriptura, charta & cera gratis obtulerint, dummodo *marbotinorum* quinque summam gratuita hæc oblatio non superet. (*Marbotinus*, *marabotinus*, *maurabotinus*, *morabetinus*, *marmotinus*, *morabotinus*, erat aureæ in Hispania monetæ genus, jam usui sub Gothis regibus, inquit Mariana, *Lib. de Ponder. & Mensur. cap. 23.*) Damnatur etiam simonia in beneficiorum patronis & in clericis qui, ut provideantur, dant aliquid aut promittunt. Proscribitur tandem communis admodum & inveteratus abusus in eo positus, ut clerici, recens ordinati, impedirentur suorum ordinum functiones obire, antequam, unius aut plurium dierum spatio, & laicorum quibusdam, sumptuosa convivia, aut certam quamdam pecuniæ summam præbuissent.

21. Episcopis ea cura erit, ut pro suarum diœceseon amplitudine, ac prout opus fuerit, grammaticæ magistros instituant. Idem, in majoribus urbibus, logicæ quoque magistros statuent. Poterunt clerici, trium, aut amplius, annorum spatio, pro episcoporum capitulorumve arbitratu, studiis operam dare, suorumque nihilominus beneficiorum fundis interim frui. Episcopi & capitula in cathedralibus aut collegiatis ecclesiis unum e decem eligant, oportebit, qui idoneus sit, ut ad theologiæ, canonici juris, & liberalium artium generale studium mittatur.

22. Infideles, ut Judæi & Saraceni, divinis officiis in ecclesiis cum fidelibus non intererunt. Nocturnæ vigiliæ in ecclesiis non amplius agentur. Judæorum aut Saracenorum nec nuptiis nec funeribus Christiani aderunt. Judæi & Saraceni qui, suis abdicatis erroribus, Christianam fidem amplexi fuerint, in hospitalibus aliisve piis locis ponentur, ut ibidem alantur & sustententur. Qui, belli tempore, Saracenis annonam venderint, excommunicationi subdentur.

23. Quicunque conjugatus concubinam publice detinuerit, excommunicatione plectetur. Eadem in eum pœna, qui consanguineam, vel sanctimonialem, vel alteri nuptam feminam detinuerit. Eidem quoque pœnæ suberit quicunque concubinam habebit ex infidelium numero.

24. Qui Christianos furatur quos Saracenis, utcunque tandem, aut vendat aut donet, communione Ecclesiæque sepultura privabitur.

25. Venefici, divini, magi, augures, quique eos consulunt, anathemate percellentur.

26. Canonica purgatio in iis tantum casibus quos jus notat, locum habebit.

27. Qui alicujus criminis suspicione laborantes, ut se purgent, ad candentis ferri, aut ferventis aquæ probationem confugiunt, excommunicati *ipso facto* erunt; itemque qui hoc iisdem consilium dederint, quia, qui id agit, Deum tentat, & se pereundi periculo exponit, quamvis innocens sit.

28. Enuntiabunt parochi, omnibus saltem dominicis diebus a Septuagesima ad Pascha, generalis Lateranensis concilii canonem; *Omnis utriusque sexus*. *Reg. Tom. XXIX. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII. de Aguirre, Concil. Hispan. Tom. V. p. 41. & seq.*

Concilium Toletanum, an. 1323.

Joannes, archiepiscopus Toletanus, Hispaniæ primas, & Castellæ regni cancellarius, hoc, Maji die 18. an. 1323. concilium habuit, in quo sequentia octodecim capitula edidit.

1. Quatuordecim fidei articuli sunt quorum priores septem divinitatem, reliqui Christi Domini humanitatem spectant. Priores septem in eo sunt positi, ut credatur unum & unicum in personis tribus Deum esse, Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere, Deum visibilium & invisibilium rerum creatorem esse, eumdem justificare & remittere peccata, gratiam conferendo, & compensare, æternam gloriam tribuendo. Posteriores articuli septem qui Christi Domini humanitatem afficiunt, eo rediguntur, ut dicatur, eum, Spiritus Sancti opera, in beatæ Virginis Mariæ sinu conceptum fuisse, natum esse, passum, crucifixum sepultumque pro nobis, per animam ad inferos descendisse, ut inde sanctos viros qui ibidem erant, educeret, tertia die resurrexisse, ad cælos ascendisse, ubi sedet ad Patris dexteram, & unde veniet ad vivos & mortuos judicandos, puniendos aut compensandos. Sunt etiam Sacramenta septem, decalogi præcepta decem, morales seu cardinales virtutes quatuor, theologales virtutes tres, septem vitia seu peccata capitalia, & virtutes septem his septem vitiis oppositæ, scilicet, humilitas opposita superbiæ, liberalitas avaritiæ, luxuriæ castitas, iræ mansuetudo, temperantia gulæ, benevolentia invidiæ, fortitudo seu constantia pigritiæ seu acidiæ seu tarditati.

2. Approbatur mos relinquendi successori beneficiarii defuncti, ejus alieno ære soluto, fructus necessarios, ut nova messis expectetur.

3. Archipresbyteri cæterique judices qui non canonicum jus scierint, se matrimonialibus causis non immiscebunt.

4. Quicunque e clericis, sine episcopi venia, alienigenam presbyterum ad publice celebrandum admiserit, mulctæ morbotinos centum solvet.

5. Confirmatur Guillelmi de Godinio, cardinalis-episcopi Sabinæ & sanctæ Sedis legati mandatum quod præscribit, ut, statis anni diebus, populo recitentur articuli fidei, præcepta decalogi, &c.

6. Edicent parochi, solemnibus diebus omnibus, in ecclesia, cardinalis-episcopi Sabinæ, sanctionem quæ falsos testes eosque qui ipsos ad falsum testimonium ferendum excitant excommunicationi subdit.

7. Omnes presbyteri, saltem semel in mense, barbam sibi radendam curabunt, ne quid indecentiæ perpetrent, dum Christi Domini Sanguinem sumunt; sibique capillos ita amputatos volent, ut ne longius ultra aures promineant.

8. Nullus clericus conjugatus deferet aut longos capillos, aut promissam barbam, aut calceos auratos, seu sectos incisosque (*entalliatos seu lares*), aut tunicam *cordatam*, seu chorda cinctam, aut cappas & vestes virgatas & apertas, seu divisas in cappas duas (*vestes virgatas vel partitas*).

9. Parochus qui ultra menses duos a sua parœcia abfuerit, per omne absentiæ suæ tempus ejus fructus amittet.

10. Beneficia secari vetamus, ut proinde, si beneficiarius sui beneficii partem cesserit, toto beneficio privetur.

11. Quamquam mortuos, pietatis & humanitatis motu quodam, defleri licet, doloris tamen redundantiam vitu-

vituperamus, quo scilicet argumento est futuram resurrectionem desperari; omninoque improbamus execrandum abusum quo fit, ut, cum aliquem mori contingit, cernantur viri feminæque per vias incedere, ululantes, horrendosque clamores in ecclesiis ipsis emittentes, indignaque alia factitantes, quæ ad Ethnicorum ritus accedunt. Clericis, sub excommunicationis pœna, interdicimus, ne lugubres vestes, extra exequiarum tempus deferant, præter quam patris, matris, fratris, domini, aut sororis causa.

12. Quicunque e parochiæ nuptialem missam dixerit in ejus gratiam qui ex aliena parœcia est, quin ejusdem parochus annuat, nobis marbotinos tercentos solvet.

13. Quicunque e clericis beneficiariis quempiam adduxerit, ut omnino vel ex parte decimam fraudet, suum beneficium amittet.

14. Materia Sacramenti Corporis Christi Domini est azymus panis ex tritico confectus, vinumque ex vite modicæ aquæ admixtum. Conficietur hic panis coram presbytero aliove clerico, ne, qui eum conficere jussi sunt, aliquid aliud ex simplicitate eidem admisceant. Presbyter, lethalis peccati reus non potest, quin confessus fuerit, missam dicere, siquidem confiteri possit; quod si non potest, quia confessarius deest, urgensque est dicendæ missæ necessitas, eam dicere poterit, modo vere contritus sit, statueritque, quamprimum poterit, confiteri. Omnis clericus in sacris ordinibus constitutus, aut beneficiarius ad canonicas horas tenetur, sub beneficii privationis pœna. Quicunque presbyter missam ante celebraverit quam matutinum dixerit, sui beneficii fructus, *ipso facto*, ad mensem, amittet. Quicunque subsunt officii legi, potissimum vero parochi, matutinum in ecclesia dicere debent, si commode possunt. Quamvis, e summo jure, nullus presbyter possit missam dicere sine servientibus duobus qui eidem respondeant, ea tamen dici poterit uno tantum deserviente in clerici modum induto, aut clerico ministrante cum superpelliceo, siquidem id commode fieri potest. Nec femina, nec celebrantis filius ei unquam ad missam servire possunt. Non celebrabitur missa sine lumine aut sine libro seu tabula missæ canonem continente. Octavo quoque die, parochus eucharistiam pro ægrotantibus renovabit. Non eam tribuet publicis peccatoribus, bene vero peccatoribus occultis, e Christi Domini exemplo qui eam proditori Judæ præbuit. Qui duas eadem die missas dicit, in utraque consecrare debet, nec simulare se in alterutra consecrare; id enim esset Deum & populum ludificari. Si quam pretiosi sanguinis guttam in terram labi sacerdos sinat, eam lambet, radet locum, ramentum comburet, & sub altari cinerem ponet; si gutta super altari cecidit, eam sacerdos sorbebit; si super corporali aut mappa altaris, ea ter sacerdos lavabit, supposito calice qui ablutionis aquam sub altari ponendam recipiet. Presbyter quisque beneficiarius qui, saltem quater in anno, missam non dixerit, sui beneficii omnes, eo quidem anno, fructus amittet.

15. Baptismi materia est naturalis aqua; ex quo fit, ut, si, aqua deficiente, vinum, oleum, aut quivis alius liquor ad baptizandum adhibeatur, iterum baptizari necesse sit. Cum dubitatur, an baptismus alicui valide collatus fuerit, is denuo baptizari debet hac forma: *Si baptizatus es, non te baptizo; sed si baptizatus non es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

16. Interdictio, sub excommunicationis pœna, ne in ecclesiam, divinorum officiorum tempore, Saraceni, Judæi Ethnicive inducantur.

17. Interdictio, ne ecclesiæ vel oratoria, sine episcopi venia, ædificentur.

18. Parochus suo ipsius comiti, vel alteri prudenti presbytero confiteri poterit. Si parochianum sine sacramento mori patiatur, parœciam amittet; suosque parochianos non communicabit, quin certus sit confessos esse. *De Aguirre, ibid. p.* 253. *& seq.*

Concilium Toletanum, an. 1324.

Joannes, archiepiscopus Toletanus, concilium hoc, mense Novembri an. 1324. celebravit. In eo Valdoletani concilii constitutiones indixit, quibus addidit sequentes c... .

1. Episcopi qui concilio non adfuerint, punientur ex legibus.

2. Clerici nec vestibus impositas tam longas lacernas, ut per humum trahantur, nec tam breves manichas deferent, ut eorum brachia nuda cernantur. In prælatos interdictio, ne pravæ vitæ feminis, quæ vulgo *solsadera* nuncupantur, ad se aditum præbeant.

3. Sui capellis singulis titulares erunt qui iisdem deserviant; & clerici qui earum proventus inter se partientur, quin iis titulares nominent, prætexentes se iisdem ipsos per se deservire velle, a suis beneficiis, quoad restituerint, quicquid perceperint, suspensi erunt.

4. Omnes beneficiarii onus habentes, ab Episcopis instituentur, salvis apostolicæ sedis privilegiis.

5. Ecclesiastici suis filiis bona in Ecclesiæ gratiam acquisita donare non poterunt.

6. Presbyteri nullam pro missa retributionem exigere poterunt; licebit iisdem tamen id accipere quod iis ex charitate, sine pacto & conventione, oblatum fuerit. Neque vero poterunt bis in die sacrum facere, absque necessitate, præter quam Dominici Natalis die.

7. Presbyteri saltem quater in anno missam dicent, cæterique clerici ter saltem communicabunt.

8. Canones qui prohibent, ne quid Christiani Saracenis vendant, tum quoque locum habere censendi sunt, cum Saraceni vel ipsi per se, vel per alios ea quærerent quæ emere vellent, non autem tum solum, cum Christiani res ipsas ad eos deferrent. *Reg. Tom. XXIX. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII. de Aguirre, Tom. V. pag.* 258.

Concilium Avenionense, an. 1326.

Habitum fuit concilium hoc, die 18. Junii an. 1326. in monasterio S. Rufi, ab archiepiscopis Arelatensi, Aquisextiensi & Embrodunensi, cum eorum suffraganeis & capitulorum deputatis numero pluribus. In eo canones quinquaginta novem ad disciplinæ redintegrationem editi.

1. Celebrabitur sabbatis singulis missa *de Beata Virgine*, nisi eam diem occupet novem lectionum festum; tunc enim missa hæc in vacantium per hebdomadam feriarum una dicetur. Qui eidem intererunt, lucrabuntur indulgentiæ dies decem, remissionem scilicet decem dierum pœnitentiæ quæ iis imposita fuerit, dummodo vero pœnitentiæ animo confessi sint.

2. Qui sanctum Sacramentum, cum ad infirmos tam interdiu quam noctu defertur, religiose comitabuntur, indulgentiæ dies decem acquirent. Si illud interdiu cum luminari comitantur, dies viginti, si noctu, triginta lucrabuntur. Easdem pariter indulgentias sibi comparabunt, missis aliis qui illud cum luminaribus comitentur.

3. Qui orabunt pro Papa, indulgentiæ decem dies lucrabuntur.

4. Qui caput pie flectent, cum Jesu nomen pronuntiatum audient, lucrabuntur indulgentiæ dies decem.

5. Mandatur, ut clave baptismales fontes claudantur.

6. Sententias ab episcopo in diœcesanorum quempiam latas metropolitanus confirmabit, omnesque provinciæ episcopi servandas curabunt.

7. Excommunicatione plectuntur qui ecclesiasticas censuras contempserint, nisi intra triduum ad resipiscentiam venerint; subditurque interdicto locus in quo ea flagitia patrata fuerint. Si clericus beneficiarius ejusmodi culpæ reus fuerit, præter pœnam in laicum latam quam & ipse subit, cum omni beneficio aut dignitate concilium, *ipso facto*, privat, inhabilemque & indignum declarat qui ullum unquam officium in clero obtineat.

Est in eos editus canon hic, qui, ut presbyteros & prælatos in censurarum enuntiatione irriderent, eas simulabant, accensis candelis quas deinde extinguebant, in cereorum derisionem quæ in censurarum enuntiatione extinguebantur: *Adulterinum presbyter vel prælati contingentes officium*; quod Fleurius male vertit, inquiens eos excommunicatos pro certo habuisse presbyteros aut prælatos qui censuras tulerant, *adulterii reos esse.*

8. Qui ecclesiasticos super jurisdictione mixta cujus possessione gaudent, adeo turbaverint, ut ipsos ad ejusdem titulos exhibendos adigant, excommunicatione plectentur.

9. Prohibentur, excommunicationis indicta pœna, civiles judices, ne ecclesiasticos jubeant eorum se tribunalibus sistere.

10. In clericos interdictio, ne se ad sæculares judices conferant, ut contra alios clericos justitiam petant; secus, eam pœnam subituri, suum ut jus amittant, & ab omni ecclesiastico beneficio suspendantur, quoad cumulate, prout eorum superiori visum fuerit, satisfecerint.

11. 12. 13. 14. & 15. Instaurantur leges in eos latæ qui occupant ecclesiæ bona, vel in carcere ecclesiasticas personas retinent.

16. In

16. In excommunicatos interdictio, ne ad ullum munus publicum admittantur, excommunicationis in eos qui admiserint, & ecclesiastici interdicti in urbem locumque, ubi admissi fuerint, statuta pœna.

17. & 18. In venenati poculi præbitores, in eosque qui venena vendunt, emittitur excommunicatio, iidemque ad sanctam Sedem, ut absolutionem obtineant, remittuntur. Si quis ex horum numero clericus fuerit, idemque beneficiarius, beneficio privatur *ipso facto*, gradu dejicitur, & sæculari brachio traditur.

19. Exempti qui suis privilegiis abusi fuerint, anathemate percellentur.

20. Parochi suorum parochianorum testamentis aderunt; & episcopi incertarum restitutionum distributionem habebunt.

21. Antequam legata distribuantur, appellandi erunt episcopi, ut nihil non ex ordine fiat; iis hac in re consuetudo aut jus auctoritatem affert.

22. Agitur de casibus episcopo reservatis.

23. Anathemati subduntur clerici qui causas deferent apud judices extra ordinem, specie donationis, cessionis, &c.

24. In eos excommunicatio, qui vacantis ecclesiæ bonis potiti fuerint, nisi ex privilegio, vel ex consuetudine, hoc jure gaudeant.

25. In ecclesiasticos qui apud Principes existimatione pollent, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne iis consilia contra Ecclesiæ libertates præbeant.

26. Clericus quicumque temporalibus officiis addictus fuerit, si beneficiarius est, a beneficio suspendetur, si vero beneficio caret, ecclesiæ aditu interdicetur.

28. Qui apud religiosos sibi sepulturam delegerint, apud eos sepelientur, ea conditione, ut, ex more, corpus ad parochialam ecclesiam feratur.

28. Nulla declaratur beneficii collatio cui addita novi, vel aucti veteris census conditio.

29. Monachi qui ecclesiis deserviunt, ei legi suberunt, ut, intra tres menses, episcopo perpetuos ad earum servitium vicarios præsentent.

30. In patronos quibus præsentationis ad beneficia jus tantum est, interdictio, ne ea conferant pleno jure.

31. Qui præsentantur ob beneficia, ab episcopo instituentur.

32. & 33. A vectigalibus & impositionibus exempta erunt bona, itemque personæ ecclesiasticæ.

34. Ecclesiastices laici non impedient, ne segetes suis e terris asportant.

35. In dominos, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne impediant, quominus parochi decimas percipiant.

36. Laici, gravibus indictis pœnis, prohibentur id sibi sumere, ut, in præjudicium consuetudinum & libertatum Ecclesiæ, constitutiones super decimis, sepulturis & oblationibus edant.

37. Omnino damnantur omnia associationum & confraternitatum genera, quæ ob prava consilia fiunt; verum approbantur eodem tempore, quæ in Dei, Virginis & Sanctorum honorem, ad pauperum solatium institutæ sunt.

38. & 39. Stricte prohibetur ecclesiasticis, ne suas ecclesias muniant, neve arma ferant.

40. Episcopi, eorumque officiales aut magni vicarii suos diœcesanos a reservatis casibus non absolvere non poterunt, cum hi in id ad ipsos accedent.

41. Domini & judices sæculares, ecclesiasticorum rogatu, sua ipsi auctoritate ac temporalibus pœnis nitentur ad excommunicatos adigendos, ut absolutionem suscipiant, & in Ecclesiæ sinum redeant.

42. & 43. Feruntur in eos censuræ, qui impedient, ne suam ecclesiastici jurisdictionem libere exerceant.

44. Qui male episcopi officiarios excipient, excommunicationi subdentur.

45. Declaratur clericorum mulctas ad ecclesiam pertinere, easdemque a sæculari judice ad has damnari non posse.

46. Trium provinciarum episcopis facultas conceditur, ut, ubicumque locorum extiterint, populo benedicant, exceptis metropolitanis urbibus locoque in quo diœcesanus episcopus aderit.

47. Sententiæ ab episcopo latæ ab ejus confratribus edicentur & servabuntur.

48. Qui e diœcesi egredientur, ut clandestina matrimonia contrahant extra parœciam, sine proprii parochi venia, excommunicationem *ipso facto* subibunt.

59. Anathemate percellentur qui summorum Pontificum rescriptis abusi fuerint.

50. Nemo, sine episcopi auctoritate, de parœciarum decimis aut juribus aget.

51. Beneficiarii, absque episcopi consensu, suorum beneficiorum bona non alienabunt, nisi forte inutili fundo in emphyteuticam locationem dato.

52. Qui beneficium deseruerit, domi relinquat, oportebit, ad successorem usque ad novam messem alendum, fructuum satis.

53. Omnes beneficiarii mobilia & immobilia suorum beneficiorum bona omnia & singula in authenticum codicem referent.

54. Renovantur antecedentium super testamentis conciliorum leges.

55. Statuta & mandata veteribus consuetudinibus quæ rationi consonæ & approbatæ sunt, contraria revocantur.

56. Mandatur, ut sumptuum partitio, qui pro sanctæ Sedis legatis & nuntiis necessarii fuerint, æque super urbibus & diœcesibus instituatur.

57. Habebunt Judæi peculiarem notam qua dignoscantur, & pro domorum ac bonorum quæ possident, decimis & oblationibus, retributionem ecclesiæ solvent.

58. Interdicta per canones lata ad executionem redigentur, cum id ordinarius, ejusque officiales aut magnus vicarius mandabunt.

59. Poterunt episcopi super hujus concilii constitutionibus dispensare, & transgressores absolvere, casibus tamen exceptis qui sanctæ Sedi reservati sunt. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilii de quo hactenus, decreta renovata, repetita & confirmata fuerunt in altero earumdem trium provinciarum concilio, an. 1337, ibidem habito, cum novis aliquot quæ prioribus addita; hoc enim posterius concilium continet articulos septuaginta, e quibus novi sunt.

4. Qui, in executionem canonis, *Omnis utriusque sexus*, parochos vetat eam cuipiam facultatem tribuere, ut Eucharistiæ sacramentum extra parœciam suscipiant aut administrent.

5. Qui clericos beneficiarios in sacris ordinibus constitutos jubet sabbato a carne abstinere, nisi ea opus habeant, quod eorum conscientiæ relinquitur, aut nisi Dominici Natalis dies in sabbatum incidat; & id quidem ea pœna, ut, ad mensem, ecclesiæ aditu prohibeantur; quoad laicos non idem mandatur.

8. Qui statuit, ne ecclesiasticæ censuræ ultra limites producantur, per nova inventa in excommunicatos adhibita, causa exempli, jactis in eorum domos lapidibus, illuc allato feretro, jusso presbytero cum sacerdotalibus vestibus eo se conferre, &c.

15. Qui mandat, ut, qui ecclesiarum bona tenent, id declarent.

18. & 19. In eos qui ecclesiasticæ jurisdictionis executionem impediunt, aut invadunt ecclesiæ bona.

27. & 28. Qui æris alieni schedulas spectant.

38. Qui clericos vetat diversorium aut emptorium forum tenere.

41. & 42. Qui canones super clericorum vestibus versantes amplificant.

48. 49. & 50. Qui distributiones afficiunt quæ canonicis fiunt.

51. Qui mandat, ut qui ecclesiasticas dignitates aut beneficia possident, se ad ordines quos ea beneficia requirunt, stato tempore, promovendos curent.

Et 59. prohibens, ne quis medicorum loco Judæis utatur. *Ibid.*

Concilium Marsiacense, an. 1326.

Guillelmus de Flavacourt, archiepiscopus Auscienfis, habuit in suæ diœcesis loco, *Marsiaco* nuncupato, 8. Decembris die an. 1326. episcoporum suæ provinciæ concilium in quo quinquaginta sex constitutiones edidit.

1. Episcopos jubet iis tantum beneficia conferre de quorum vita & moribus certi erunt.

2. & 3. Alienigenas clericos recipi vetat, quin suorum episcoporum litteras habeant; mandatque, ut, qui eos sacramenta administrare passi fuerint, excommunicatione plectantur.

4. Matrimonialium negotiorum cognitionem archidiaconis interdicit.

5. Benedicti Papæ X. & cardinalis Simonii, super legatorum potestate, constitutiones renovat.

6. Religiosis aliisque clericis vetat, ne ordinarios in suæ jurisdictionis usu turbent.

7. 8. 9. 10. & 11. Sanctiones sunt hoc sæculo communes, super jurisdictione & immunitatibus ecclesiasticis.

12. 13. 14. 15. 16. & 17. Spectant negotia, super violata jurisjurandi fide, ad ecclesiasticum tribunal delata.

18. Constitutiones, super vita & modestia clericorum

rum instaurat, mandatque, ut presbyteri missam celebrantes unum saltem clericum superpelliceo indutum ad servitium habeant.

19. Omnes clericos qui in sacris ordinibus constituti sunt, aut qui beneficia, præsertim vero parœcias possident, itemque religiosos jubet se sollicitos exhibere, ut septem canonicas horas recitent, consuetisque in ecclesia horis adsint; mandat præterea, ut, interdicti tempore, in ecclesiis, nisi pollutæ fuerint, officium dicatur, at submissa voce, clausisque januis, quin æra campana pulseutur, exceptis Paschatis, Pentecostes & Assumptionis Beatæ Virginis festis quibus, interdicto nihil obstante, solemniter celebrabitur; denique, ut distributiones iis tantum dentur qui officio præsentes fuerint.

20. Clericos noctu sine lumine egredi vetat.

21. 22. 23. 24. & 25. Funera spectant. Religiosos vetant, ne sollicitent morientes, ut se apud eos sepulturæ dari velint; mandantque, ut nemo in ecclesiis, sine episcopi aut parochi venia, sepeliatur; ut nihil sit in exequiis, quod dedeceat; ut corpus in parochialem ecclesiam feratur, nec separentur ejusdem corporis partes, humandæ aliis in locis aliæ.

26. Parochianos jubet parochiali missæ, dominicis festisque diebus singulis, interesse.

27. Bonifacii VIII. decretalem, *Super custodiam*, in qua de pace prælatos inter & parochos agitur, servatam vult.

Sequentes octo super decimis parocho solvendis versantur.

36. Edicit eos qui episcopis a religiosis, patronis, præsentati, & in beneficiis instituti fuerint, his non nisi ab episcopo & congrua de causa, spoliari posse.

37. Religiosos, licet exemptos, prohibet nova oratoria, sine ordinarii facultate, construere.

38. Visitationis & procurationis jura archidiaconis debita moderatur.

39. Archidiaconis mandat, ut, quod eorum officii est, suis in visitationibus id perficiant.

40. Statuit, ut ecclesia, licet non consecrata, aut cœmeterium, si forte per sanguinis aut seminis effusionem, vel per alicujus excommunicati, hæretici, infidelis aut Judæi sepulturam polluta fuerint, aqua benedicta ab episcopo reconcilientur.

41. Mandat, ut Apostolorum & quatuor Ecclesiæ Doctorum festa solemnem in modum celebrentur; reliquiæ veteres in venditionem non exponantur; novisque, nisi approbatæ sint, reverentiam exhiberi non toleretur; & quæstuantes ullam deferre & prædicare impediantur.

42. Mandat & ipsa, ut sanctæ Marthæ festum, die 9. Julii celebretur.

43. Ut ecclesiarum sustentatio & ornamenta curæ sint.

44. Ut eucharistia & sanctum chrisma clave concludantur.

45. Iis indulgentias concedit, qui vere contriti & pœnitentes, Patroni festo die & per octavam, cathedrales ecclesias visitabunt.

46. Civiles cœtus in ecclesiis haberi vetat.

47. Excommunicatione dominos plectit qui sibi subditos prohibuerint quicpiam ecclesiasticis vendere, aut ab iis emere, iisdem triticum molere, &c.

48. Denuntiari jubet excommunicatos, concubinarios, usurarios & adulteros, & excommunicationi religiosos subdit qui sumptum ordinis habitum deferunt.

49. Eos communione privat, qui statuta contra ecclesiasticas libertates edunt efformantve.

50. Gregorii X. Decretalem, *Pro eo*, indictam vult.

51. Eos impetit qui soluti debiti obligationem retinent.

52. Loca interdicit, in quæ surrepta bona aut personæ ecclesiasticæ compinguntur.

53. Est in eos edita, qui ecclesiasticos, religiosos, conclusosque leprosos in eorum numerum referunt qui vectigali subsunt.

54. Oppignorari vetat ecclesiæ bona.

55. Locum ob debitum mere pecuniarium interdici vetat.

Postrema jubet episcopos operam dare, ut præcedentes constitutiones quotannis in eorum synodis enuntientur, & sedulo adniti, ut executioni mandentur.

Hic idem archiepiscopus, an. 1330. ibidem alterum contra Anesantii, Airensis episcopi, interfectores concilium habuit cujus actis quæ extant, 11. Decembris dies anno 1330. adscripta est. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Silvanectense, an. 1326.

Guillelmus de Brie, Remensis Archiepiscopus, habuit concilium hoc, in eoque edidit decreta septem.

1. Ad inchoationem provincialis cujusque concilii, solemnem archiepiscopus missam canit; adsistent suffraganei & abbates, ecclesiæ ornamentis indui, quæ eorum propria & peculiaria sunt; divinum verbum e suggestu nuntiabitur; indulgentiæ concedentur, & canetur hymnus, *Veni, creator Spiritus.*

2. Beneficiarii non alia munera sibi sument, secus, eam pœnam subituri, suis ut beneficiis priventur.

3. Decimæ, sub excommunicationis pœna, accurate solventur.

4. Qui excommunicationi majori subsunt, nec agere, nec litem intendere, nec testimonium in judicio reddere poterunt.

5. Laici qui ex ecclesiarum asylis, sine episcopi venia, eos extrahent qui in ea confugerunt, excommunicationem *ipso facto* subibunt.

6. Qui clandestina matrimonia contrahent, excommunicati *ipso facto* erunt.

7. Renovatur Bituricensis concilii, an. 1276. habiti in eos canon, qui ecclesiasticorum judiciorum executionem impediunt; mandaturque, ut per universam Remensem provinciam excommunicatio ab hoc concilio in ejusmodi personas emissa indicatur. *Ibid.*

Concilium Complutense, an. 1326.

Joannes, archiepiscopus Toletanus, habuit concilium hoc die 25. Junii, in eoque protulit capitula duo, per quorum unum suos suffraganeos vetat, sine metropolitani facultate, episcopum ordinare; &, in altero, Pennafielensis concilii, sub ejus decessore Gonsalvio habiti, super ecclesiasticis immunitatibus, constitutionem confirmat. Hoc posterius concilium in manuscriptis codicibus *Ægidii* nomen præfert, qui non nisi an. 1337. Toletanus archiepiscopus fuit; at Complutensis concilii canon nullum dubitandi locum relinquit, quin illud, sub Gonsalvio III. an. 1302. qui ei annus adscriptus est, habitum fuerit. Continet porro capitula quindecim quæ sequuntur.

1. Qui in sacris ordinibus constituti sunt, aut qui beneficia possident, horas canonicas recitabunt, ea, secus, indicta pœna, ut beneficiarii quidem suorum beneficiorum proventu priventur, qui vero beneficia non habent, ab officio suspendantur.

2. Clerici concubinarii suis beneficiis, aut, si beneficiarii non sint, officiis privabuntur, si, postquam canonice moniti fuerint, in pravitate perstiterint.

3. Parochi qui ægrotantes, quin ad eos viaticum deferant, mori sinent, suis in omne vitæ tempus parœciis destituentur.

4. Parochi iis omnibus, e parochianis, communionem negabunt, quos confessionem edidisse non scierint.

5. Presbyteri qui confessionis secretum revelaverint, seu, sigillum fregerint, reliquum vitæ tempus ex pane & aqua in arcto carcere transigent.

6. Enuntiabitur Bonifacii VIII. Decretalis, *Clericis laicos*, in eos qui clericos male habent.

7. Solvetur omnium rerum decima, sub pœna excommunicatonis & privationis ecclesiasticæ sepulturæ.

8. Presbyteri conficient suis ipsi manibus, aut saltem, se præsentibus, ab idoneis ecclesiæ ministris conficiendas curabunt hostias quæ consecrari debent, quæque non nisi ex frumenti farina & aqua constabunt.

9. Servabuntur Lateranensis & Lugdunensis conciliorum in usurarios decreta.

10. Judæi & Saraceni qui baptisma suscipient, haud ii quidem suorum bonorum jacturam facient.

11. S. Ildephonsi, archiepiscopi Toletani duplex & solemne festum agetur.

12. Canetur diebus singulis *Salve Regina*, post completorium, cum orationibus, *Concede nos famulos tuos; Ecclesiæ tuæ; Deus omnium fidelium; Quæsumus, omnipotens Deus.*

13. 14. & 15. Pronuntiantur pœnæ plures, cujusmodi sunt excommunicatio & interdictum, in eos easque, qui ecclesiarum immunitates violant per exactiones, rapinas, &c.

Concilium Roffiacense, an. 1327.

Arnaldus de Cantelupio, Burdigalensis archiepiscopus, habuit concilium hoc Roffiaci in Pictaviensi diœcesi, mense Januario an. 1327. in eoque interdictum emisit in loca omnia in quibus sæculares judices clericos in carcere detinebunt. Mandavit præterea, ut

clerici possent in sæculari foro, pro ecclesiis ecclesiasticisque personis, causas agere, ea conditione, ut ne id quidem acciperent, quod iisdem gratis oblatum esset; & id quidem, nihil obstantibus superiorum conciliorum statutis quæ excommunicationis aut interdicti pœnam pronuntiant in clericos qui causas sæcularibus in curiis agunt. *Ibid.*

Concilium Compendiense, *an.* 1329.

Guillelmus de Brie, Remensis archiepiscopus, habuit concilium hoc, in eoque protulit capitula septem.

1. Servari jubebitur censuras omnes a conciliis in eos indictas qui ecclesiarum jura & immunitates violant.

2. Idem quoad censuras in usurarios latas præstabitur.

3. In clericos, sub suspensionis pœna, interdictio, sua ne bona sæculari potestati subdant.

4. Religiosorum nullus, sine ordinarii venia, conventus aut ecclesiæ cujus superior est, jura vel bona, ad totius vitæ spatium, seu ad longum tempus locare poterit; idque, ea indicta pœna, ut a suo ipse officio suspendatur, suaque administratione spolietur, contractus denique nullus sit.

5. Nemo vocationes in jus & mandata quibus e Remensi provincia, vel e Galliarum regno extraheretur, quin locorum ordinarii consenserint, exequetur.

6. Nec magis executioni mandabuntur, sine ordinariorum consensu, generales in jus vocationes his verbis conceptæ: *Citetis omnes illos & illas, quos vobis lator præsentium nominabit.*

7. Quicunque jurisdictionem metropolitani ejusve suffraganeorum vel turbant, vel impediunt, vel usurpant, dominicis festisque diebus singulis, in parochiali missa, excommunicati denuntiabuntur. *Ibid.*

Concilium Lambethense (in Anglia), *an.* 1330.

Simon Mephamus, archiepiscopus Cantuariensis, habuit concilium hoc, in eoque sequentia decem capitula edixit.

1. Altaris lintea & ornamenta apta erunt & integra. Personæ a canonibus designatæ se ad ea crebro detergenda promptas & sollicitas exhibebunt. Canonis verba sacerdotes maxima cum religione pronuntiabunt, caventes tamen, ne per immodicam tarditatem adsistentibus tædio sint. Parochi missam non ante dicent, quam matutinum officium, diei scilicet horas primam & tertiam recitaverint. Clericorum nullus, magnæ missæ tempore, quin superpelliceo indutus sit, altari deserviet; nec missa dicetur, nisi unus saltem cereus accensus adsit.

2. Confessarius pœnitentibus majorem aut minorem pœnitentiam imponet, circumstantiarum ratione habita, quæ sunt: personarum status, peccatorum natura, tempus locusque in quibus patrata sunt, plus minusve longa assuetudo, pœnitentium pietas & fervor. Adjuncta hæc, quam poterit accuratissime ponderabit, antequam pœnitentiam imponat. Confessiones, feminarum potissimum, extra necessitatis casum, non audiet nisi in ecclesiæ loco, e quo eum nemo non videat. Eorum nullum, qui ex aliena parœcia sunt, parochus ad confessionem suscipiet, nisi ejus parocho, vel episcopo veniam dantibus. Pœnitentias non imponet, quæ virum conjugi, aut conjugem viro suspectos reddere possint. Ad restitutionem adiget, cum opus erit, dabitque operam, suum ut episcopum aliosve sapientes viros dubiis in casibus consulat. Eorum nomina non inquiret, qui criminum socii pœnitentibus fuerint.

3. Sacerdotes qui in lethale peccatum inciderint, non ante celebrabunt, quam confessionem ediderint; est enim error credere cum nonnullis lethalia peccata per eorum generalem quæ editur, confessionem deleri. Sacerdos qui ira, odio, aliave causa, atque adeo mortis metu permotus confessiones revelabit, gradu dejicietur in omne tempus & sine regressus spe. Archidiaconi in quoque decanatu presbyteros duos statuent, qui cæterorum ibidem degentium presbyterorum confessiones excipiant.

4. Pie admodum ac religiose ad ægrotantes deferetur extrema unctio; monitis fidelibus eorum quemque a decimo quarto ætatis anno ei suscipiendæ pares esse. Sancta olea & chrisma, clave apposita, custodientur.

5. Matrimonia, magna cum observantia, in facie ecclesiæ, interdiu, celebrabuntur; eorumque enuntiationes dominicis festisve diebus tribus invicem distantibus, in antecessum, edentur. Edicent in ecclesia sæpius presbyteri oportere, sub excommunicationis pœna, laicos non nisi in loco celebri, coram presbyteris populisque in id accitis matrimonium inire.

6. Nemo se præsentabit, aut admittetur ad ordines, quin canonicum examen subierit, & quin sit ab omni impedimento liber quod eum ab iisdem arceat. Nullus abbas aut prior suos monachos suosve canonicos, sine diœcesani episcopi dimissoriis litteris, ab aliis episcopis ordinandos curabit.

7. Libros, vasa, ornamenta sacra vendere aut oppignerare, vel ecclesiæ bona alienare aut in feudum dare laici non poterunt, sine evidenti utilitate cui ordinarii facultas adjuncta sit.

8. In ecclesiasticos interdictio, ne super laico feudo suis consanguineis domos extruant, neve sua laicis beneficia locent.

9. Nec reclusi, nec reclusæ, sine ordinarii venia, concludentur.

10. Excommunicatio, ter aut quater in anno, enuntiabitur in perjuros, veneficos, incendiarios, usurarios, &c. *Ibidem.*

Concilium Salmanticense, *an.* 1335.

Joannes, Compostellæ archiepiscopus, habuit concilium hoc, Maji die 24. in cathedrali ecclesia Salmanticensi, in eoque edidit statuta septendecim quæ sequuntur.

1. Episcopi, decani, archidiaconi, aliique dignitarii, seu, dignitatibus insigniti vicarios quos absentiæ suæ tempore statuere voluerint, suis in capitulis sument, quin alienigenas quæritent.

2. Episcopus qui quempiam ab ejus sententia appellantem, appellatione vigente, ceperit aut capi jusserit, ecclesiæ ingressu prohibebitur; ac si, qui hanc violentiam patravit, episcopo inferior fuerit, is quidem, *ipso facto*, excommunicationem subibit.

3. Servabitur, in clericos concubinarios publicos, Bulla *Quamvis*; quique suas concubinas in ecclesia sepeliendas curaverint, earumve funeri adstiterint, excommunicatione plectentur.

4. Clerici qui ecclesias, aut beneficia, aut eorumdem beneficiorum claves domosve e laicorum manu receperint, excommunicati *ipso facto*, iisque beneficiis hac vice possidendis inhabiles erunt.

5. Qui decimas, oblationes, aut aliud quidpiam ad ecclesiam pertinens sument aut retinebunt, excommunicationi suberunt, quoad restituerint.

6. Prælati & quicunque visitationis jure gaudent, perficient, ut superiores studeant ecclesias & ornamenta, ut decet, tenere, & Christi Domini sacrum Corpus, chrisma, catechumenorum & infirmorum oleum, corporalia, cruces, calices, patenas, clave apposita, custodire. Item ecclesiarum superiores ex ordinarii manu, quotannis, novum chrisma recipient; cum reverentia & pietate sanctum viaticum ad infirmos deferent, jubentes crucem, cereum accensum & tintinnabulum sibi præire.

7. Cum quadragesimale jejunium sit veluti totius anni decima quæ Deo solvitur; quicunque rationis usum jam assecuti, per hoc sanctum tempus, extra morbi aut penuriæ casum, carne vesci ausi fuerint, excommunicationem subibunt, itemque qui eam vendent, ementve publice. Quoad quatuor tempora, lex eadem.

8. Qui ecclesiarum ecclesiasticarumve personarum immunitates violant, excommunicationi & interdicto subdentur.

9. Qui clandestina conjugia scienter in vetito gradu contrahunt, excommunicatione plectentur; & presbyter ac testes qui ejusmodi conjugiis adfuerint, mulctæ marbotinos centum loci episcopo solvent.

10. Enuntiabitur, præcipuis quatuor anni festis, singulisque quadragesimæ dominicis diebus, Clementis V. in eos Bulla, qui in prohibitis consanguinitatis aut affinitatis gradibus matrimonium ineunt.

11. Mandatur episcopis, ut edici jubeant caput, *de secundis nuptiis minime benedicendis*, quod presbyteros vetat benedictionem secundis nuptiis impertiri. Ratio quam Concilium in id affert, ea est, *quod plerique simplices clerici, & rectores quandoque per juris ignorantiam secundas nuptias benedicunt, non attendentes, quod sacramentum hujusmodi iterari non licet.* Liquido constat Salmanticensis concilii patres hallucinari, dum inquiunt matrimonii sacramentum iterari non posse; quandoquidem certum est ecclesiam non damnare secundas nuptias, tametsi suos filios ab iis abstinere cupiat, non quod eas tamquam malas spectet, sed quod valde imperfectas putet, ac tamquam incontinentiæ notam quamdam intueatur; ex quo factum, ut ea, pluribus

ribus in locis, olim eos pœnitentiæ subderet, qui ad secundas nuptias convolabant, & hoc ipso tempore, ex ritualibus libris pluribus, benedictio secundis conjugiis non tribuatur.

12. Christiani morbo laborantes haud se Judæis aut Saracenis curandos dabunt; nec iisdem domos ecclesiæ aut cœmeterio contiguas locabunt; omnino sub excommunicationis pœna.

13. 14. & 15. Eadem in laicos pœna, qui belluas ruralibus laboribus addictas furantur; eadem in publicos usurarios, in veneficos, in divinos, in magos.

16. Parochi quorum culpa infantes sine baptismate, aut fideles adulti sine cæteris sacramentis quæ iis administranda sunt, occubuerint, officio & beneficio, quoad vixerint, destituentur.

17. Qui sententiarum executionem, quæ ab episcopis latæ sunt, impedierint, excommunicatione plectentur. *de Aguirre*, *Concil. Hispan. Tom. V.*

Concilium Rothomagense, *an.* 1335.

Petrus Rogerius, archiepiscopus Rothomagensis, habuit in ecclesia sanctæ Mariæ de Prato (in præsentia, de Bono Auntio), Septembri mense, concilium hoc cui episcopi duo, Abrinensis & Sagiensis, ipsi per se, cæteri vero episcopi ejus suffraganei per deputatos adfuere, edidit hoc in cœtu Rogerius constitutiones tredecim.

1. Officium in ecclesiis pie celebrari jubet, prout in Clementina, *Gravi nimium*, mandatum est.

2. & 3. Super clericorum & monachorum vestibus agendique ratione sanctiones renovant.

4. Capellanis mandat, suis ut beneficiis deserviant.

5. Patronos vetat pro præsentationibus ad beneficia pecuniam accipere.

6. Eos communione privat, qui impediunt, ut solvantur parochis decimæ.

7. Hortatur prælatos & parochos, ut orent pro itinere Terræ sanctæ, sedulo fideles ad illud suscipiendum exstimulent, & in hanc rem denarios sumant.

8. Super ecclesiarum & ornamentorum reparationibus & sustentatione sanctiones renovat.

9. Parochos ab aliis quam a diœcesano episcopo institutos ei legi subesse vult, ut intra quadraginta ab inita possessione dies ei se præsentent cui titulos suos ostendant, & obedientiæ ac residentiæ jusjurandum obstringant.

10. Prima quaque mensis dominica die, casus edici vult in quibus in excommunicationem inciditur.

11. Episcopos suis in synodis, suisque in calendis decanos enuntiare casus sanctæ sedi & episcopis reservatos.

12. Parochos favorabiliter & benigne cum Fratribus Prædicatoribus & Fratribus Minoribus agere.

Mandat postrema, ut hæ constitutiones in diœcesanis synodis enuntientur. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.* & Bessinius, *in Concil. Normann.*

Concilium Bituricense, *an.* 1336.

Habitum fuit concilium hoc sub Fulcranio de la Rochechovart, archiepiscopo Bituricensi, 17. Octobris die. Statuta quatuordecim in eodem edita.

1. Religiosi servabunt decretales quæ ad eos referuntur.

2. Clerici conjugati qui nec tonsuram, nec vestem clericalem deferunt, ab ordinario punientur.

3. Presbyteri quibus est animarum cura, saltem bis aut semel in mense, missam dicent.

4. Clerici in sacris ordinibus constituti, itemque religiosi a negotiationibus & sæcularibus negotiis cæteris abstinebunt, sub excommunicationis pœna.

5. Qui apostolicis litteris abutentur, si e collegiis aut conventibus fuerint, suspensione, si vero privati homines, excommunicatione plectentur.

6. Suum extra claustrum religiosæ non comedent, nisi in necessitatis casu aut superiore annuente.

7. Nec clerici, nec religiosi apud sæculares curias ecclesiasticos in jus vocabunt, præter quam quibus in casibus per leges licet; & id quidem in excommunicationis *ipso facto* subeundæ pœnam.

8. Prælati qui religiosos aut religiosas ea expressa conditione recipient, ut hi religiosi vel hæ religiosæ, ad statum post receptionem tempus, cum amicis permaneant, tamquam simoniaci punientur.

9. Officiales exequentur suas mutuo litteras, *Derogamus*, aut, *In juris subsidium*.

10. In clericos & religiosos, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne domi suæ vel alibi concubinas aliasve suspectas feminas habeant.

11. In clericos, sub eadem pœna, interdictio, ne alios clericos in jus ipsi vocent, aut vocandos curent, ut apud sæcularia tribunalia compareant, de quocunque tandem crimine agatur.

12. & 13. Qui Ecclesiæ jurisdictionem & libertatem violant, excommunicationi subdentur & ecclesiastica sepultura privabuntur, quin ab alio quam ab episcopo, vel ab ejus officiali, vel a commissario deputato *ad hæc* absolvi possint.

14. Suffraganei suis in synodis statuta hæc indici jubebunt. *Ibidem.*

Concilium Gontheriense, seu, *Apud Castrum Gontherii*, *an.* 1336.

Petrus Frerotius, seu Fretotius, archiepiscopus Turonensis, habuit, mense Novembri, concilium hoc, in eoque edidit constitutiones duodecim, *capitulorum* nomine.

1. Renovatur Salmurlensis, an. 1315. in eos canon qui ecclesiasticorum judiciorum executionem impediunt, aliave ratione ecclesiasticam jurisdictionem turbant.

2. Qui Ecclesiæ spiritalem jurisdictionem usurpant, excommunicationi *ipso facto* subsunt.

3. Interdictio, ne ullum portorium a clericis exigatur, ullove iidem vectigali onerentur.

4. Interdictio, ne, qui privilegiis gaudent, ad alios vexandos adhibeantur.

5. Clericus qui suum in episcopum manum extendet, suis omnibus beneficiis in perpetuum privabitur, & ad alia possidenda inhabilis erit.

6. 7. & 8. Renovantur excommunicationis & interdicti pœnæ, toties a conciliis in eos pronuntiatæ, qui ecclesiastica bona sumunt aut retinent, qui molestiam clericis inferunt, qui ecclesiarum immunitates violant, qui impediunt, ne in iis oblationes fiant, aut qui divinum servitium perturbant.

9. Enuntiabunt parochi statuta hæc, annis singulis, prima Adventus dominica die, dominica post octavam Epiphaniæ, &c.

10. In capellis domesticis missa dici non poterit die dominica prima Adventus, dominica infra octavam Epiphaniæ, prima dominica Quadragesimæ, dominica Passionis, dominica in octava Pentecostes, & dominica in Assumptionis octava.

11. & 12. Episcopi edicenda curabunt aliorum Turonensis provinciæ conciliorum statuta quæ magis necessaria judicabunt; & ab omnibus excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententiis ab hoc concilio latis absolvere poterunt. *Ibidem.*

Concilium Toletanum, *an.* 1339.

Habitum fuit concilium hoc sub Ægidio de Albornoxio, archiepiscopo Toletano, die 19. Maji an. 1339. In eo quinque tantum capitula continentur.

Capitulum 1. vetat alienationem bonorum ecclesiæ.

2. Renovat Valdoletani concilii constitutionem super eorum indole qua esse debent qui ad curas seu beneficia curata promoti sunt.

3. Renovat pariter ejusdem concilii sanctionem illam super Theologiæ magistri in quoque capitulo institutione.

4. Renovat Joannis, archiepiscopi Toletani qui Ægidium præcessit, super procuratoribus decretum, quos episcopi ad concilium mittere debent, cum ad illud se ipsi conferre non possunt.

5. Canonis, *Omnis utriusque sexus*, executionem præcipit, & ut eum servandum curet, Parochos jubet suorum parochianorum nomina scripto tradere & inquirere, an confessi sint, & an communionem perceperint. *Ibid.* & de Aguirre, *Concil. Hispan. Tom. V.*

Concilia Londinensia, *an.* 1342.

Joannes Stretfordius, archiepiscopus Cantuariensis, habuit, Londini, consecuta concilia duo, unum 10. Octobris die an. 1342. alterum feria quarta quæ proxime S. Eduardi festum excepit. Edidit capitula duodecim in horum conciliorum primo, & septendecim in altero.

Concilii I. Capitula.

1. Sub suspensionis pœna, interdictio, ne in oratoriis seu capellis domesticis missa, sine ordinarii venia, dicatur.

2. Id erit curæ episcopis, ut stipendia suis officialis suisque domesticis tribuant, eos impediendi causa, ne quid ab iis exigant qui seu ad beneficia, seu ad

ad ordines, obsignatis litteris opus habent. Clerici beneficiarii qui ad litterarum expeditionem quæ beneficiorum provisionem afficiunt, plus quam denarios duodecim sumpserint, vel ad ordinationis litteras, plusquam denarios sex, ejusquod acceperint, duplum restituent, sub pœna privationis officii & beneficii. Quod si clerici non beneficiarii, aut simplices laici has exactiones egerint, ecclesiæ aditu, quoad in duplum restituerint, privabuntur.

3. Debebunt archidiaconi eos, ex episcopi mandato, installare, hoc est, possessione donare, qui ad beneficia promoti fuerint, sumpta solum moderata summa, nempe, denariis quadraginta, si archidiaconus id ipse egerit, & undecim tantum, si ejus officialium unus.

4. Religiosi qui beneficia possident, eleemosynas ab ordinario præscriptas in pauperes in horum beneficiorum parœciis degentes, annis singulis, erogabunt.

5. Religiosi aliique qui bonis in aliqua parœcia fruuntur, ad ecclesiæ reparationes & ad cœmeterii clausuram conferent, seu habiteut in eadem parœcia, seu non.

6. 7. 8. & 9. Statuitur ad testamentorum & rationum insinuationem, ad archidiaconorum visitationem, ad episcoporum aliorumque ordinariorum cœtus, ad accensorum aut apparitorum missionem expensis modus.

10. Archidiaconi eorumque officiales qui, ob relapsus in peccata publica, pœnarum commutationis in modum, his pecuniam acceperint, summæ duplum quam acceperint, sub pœna suspensionis ab officio, cathedrali ecclesiæ restituere debebunt.

11. Qui alicujus criminis accusati fuerint, se in eo decanatu purgabunt, in quo degunt, & non in aliis. Archidiaconi qui plus quam denarium exigent a presbyteris quos, prima vice, ad missam celebrandam admittent, in suæ jurisdictionis locis, suspendentur & ecclesiæ aditu privabuntur.

12. Qui directe vel indirecte beneficia quæ nondum vacant, sibi conferenda curant, excommunicationem majorem *ipso facto* subeunt, & ad ea possidenda inhabiles in perpetuum sunt.

Concilii II. Capitula.

1. Dominica prima Quadragesimæ, die festi S. Sacramenti, cæterisque solemnium festorum diebus, conspiratores & perduelles, Ecclesiæ perturbatores, omnesque facinorosi excommunicati denuntiabuntur.

2. Clerici beneficiarii, vel in sacris ordinibus constituti qui longos capillos, breves vestes, pretiosos cingulos & in digitis anulos deferent, nisi sexto post quam moniti fuerint, mense se corrigant.

3. Interdictio, ne beneficia laicis locentur.

4. Qui impediunt, ne decimæ solvantur, aut ne oblationes in ecclesiis fiant, excommunicationem majorem episcopo, præter quam in mortis casu, reservatam subibunt.

5. 6. 7. & 8. Eadem in eos pœna qui cæduorum arborum decimam non solvunt, qui oblationes ecclesiæ factas furantur, qui impediunt, ne testamenta fiant, aut ne executioni mandentur.

9. Eadem in ægrotantes pœna, qui fraudulenter sua bona donant aut alienant, & in eorum socios.

10. Eadem in eos pœna, qui mortuis excubias agent, propter abusus qui has nocturnas vigilias comitantur, exceptis tamen defunctorum consanguineis & amicis qui pro iis psalmos pie recitare voluerint.

11. & 12. Eadem in eos pœna, qui clandestina matrimonia contrahunt, quique iisdem adsistunt; in eosque qui Ecclesiæ judices impediunt, ne fungantur officio suo.

13. Excommunicati qui in carcerem conjecti sunt, in libertatem asseri non poterunt, sine ordinarii consensu; quod si fiat, iidem rursus excommunicationi subdentur.

14. Qui, sine parochorum nutu, herbas aut arbores amputabunt quæ in cœmeteriis succrescunt, excommunicationem majorem subibunt.

15. Eadem in eos pœna qui sequestrationes super ecclesiæ quibusdam bonis ab episcopis eorumve magnis vicariis statutas violaverint.

16. Eadem in eos pœna, qui malitiose brevia Regis diplomata obtinent, ut eos quibuscum litigiosa iisdem negotia sunt, a comitatibus in quibus degunt, in alios transferant.

17. Has constitutiones episcopi edici & servari jubebunt. *Ibid.* & Wilkins, *Concil. Anglic. Tom. II.*

Concilium Noviodunense, Noviomense, an. 1344.

Joannes de Vienna, Remensis archiepiscopus, habuit concilium hoc quod 23. Junii die inchoatum, 26. ejusdem mensis die absolutum fuit. Septendecim canones in eo editi.

1. Mandatur, ut divinum officium, ubicunque vis in ecclesiam ejusve ministros illata fuerit, intermittatur. Hæ violentiæ distinctim explicantur; earum præcipuas archiepiscopus, concilium aperiens, notaverat. Enuntiatur in episcoporum mandato divinorum officiorum intermissionem tum indicendam fore, cum rurales decani seu parochi delicti probationem attulerint, seu illud ex facti evidentia seu notorietate, seu ex testium depositione compertum habeant; omnino, e Silvanectensis, an. 1317. sub archiepiscopo Roberto de Courtenay, concilii statutis. Rei porro declarabuntur excommunicati, nisi intra dies octo fecerint satis, & vocabuntur ipsi ad episcopalem curiam, ut ibi pœnam suæ culpæ debitam subeant.

2. At, quia apparitores ejusmodi mandata exequi, & procerum ædes ingredi non audebant, statuunt iidem episcopi, ut litteræ vocationis in jus alicui ex eorum domesticis in manus tradantur, aut e suggestu in parœciis, vel in cathedrali ecclesia enuntientur, ecclesiasticæque curiæ foribus affigantur, quibus propterea pondus perinde sit ac si reis ipsis significatæ fuissent. Quod si nequam homines ab iis vexationibus non abstinuerint, id bona fide restituentes quod bona fide surripuerint, eorum corpora qui interdictis in locis e vita migrabunt, sine sepultura remanebunt, exceptis clericorum corporibus, qui nequaquam hujusmodi violentias participaverint; ea tamen quoad hos ipsos servata lege, ut sine cæremonia sepeliantur.

3. Ita deinde statuitur, ut ecclesiasticæ personæ neminem provocent, nempe suis bellum hostibus non indicant.

4. Ut in provinciæ ecclesiis universis & singulis, ad divinorum officiorum celebrationem, Remensis cathedralis ecclesiæ consuetudo servetur.

5. Ut habeantur excommunicatorum loco qui suos vassallos impedient, ne quid clero vendant, vel ab eodem emant, vel ejus denique terras colant.

6. Ut ad restitutionem adigantur sæculares judices qui clericos injuste detentos non prius a carcere liberaverint, quam ab iis pecuniam aut aliquid aliud extorserint.

7. Ut histriones impediantur ridiculas processiones cum cereis accensis agere; qui mos impietatem olet, populosque ad idololatriam trahere potest.

8. Ut puniantur clerici qui peregrinationes aliasque pœnitentias a sæcularibus judicibus impositas exequentur.

9. Ut religiosi mendicantes, parochi cæterique divini verbi præcones populum cohortentur ad decimas accurate solvendas, refractariis in ecclesiam ingressus & ecclesiasticæ sepulturæ privationem minitantes; hic articulus mendicantibus commendatur, ea, secus, indicta pœna, ut a reservatis casibus absolvendi potestatem amittant.

10. Ut episcopi & capitula conventiones, privilegia, & alia monumenta omnia quibus mutuo opus habere poterunt, sibi sine fraude communicent.

11. Ut decani & judices ecclesiastici sollicite canonices & clericos moneant, ne nisi congruis induti vestibus & cum tonsura in publicum prodeant, secus, eam pœnam subituri, ut distributionibus priventur.

12. Ut presbyterorum aut ecclesiasticorum nullus, sine episcopi approbatione, nova miracula edicat.

13. Ut temporales domini eorumve ministri excommunicationem subeant, si clerico, quem criminis accusatum receperint, caput abradi jubentes, tonsuram ademerint, aut clericalia, ut laicalia imponerent, indumenta detraxerint.

14. Ut eadem censura eos e sæcularibus spectet, qui, sua ipsorum auctoritate, se clericorum instar induere ausi fuerint.

15. Ut laici pariter judices excommunicationi subdantur, si ad jocum velut quemdam Silvanectensis concilii decreta traduxerint, clericis quos in carcerem conjecerint, intra dies octo, ex ejus concilii mandato, remissis, iterumque deinde captis, ut, quoad voluerint, eosdem detineant.

16. & 17. Ut ecclesiasticæ curiæ promotores & procuratores suis in actis nihil proponant quod partium honorem lædere possit, nec eos præter modum expensis premant, quæ jam eorumdem apud episcopos querela fuerat. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Parisiense, an. 1346.

Guillelmus de Melunio, archiepiscopus Senonensis, habuit concilium hoc in Parisiensi episcopali palatio, an. 1346. a 9. ad usque 14. Martii diem. Adfuere cæteri, cum metropolitano, suffraganei episcopi quinque, Fulchius Parisiensis, Petrus Antissiodunensis, Philippus Meldensis, Joannes Nivernensis & Joannes Trecensis; Carnutensis & Aurelianensis episcopi deputatos miserunt. Hujus concilii summa sequentibus articulis seu constitutionibus tredecim continetur.

Articulus primus incipit celebris Decretalis, *Clericis laicos*, a Bonifacio VIII. olim editæ verbis ipsis. In eo deinde exponuntur omnia laicorum judicum in clericos ausa. Hos ii retineri, in carcerem trudi, cruciari, & ad extremum supplicium duci jubebant, in ecclesiasticæ, inquit concilium, jurisdictionis & libertatis præjudicium. „ Si ergo, subdit, in Senonensis „ provinciæ ambitu, post canonicas monitiones, pergi- „ tur ita fieri, divinum officium intermittetur, qui- „ bus in locis, seu exempta seu non exempta sint, „ clerici in carcere detinebuntur, & in quibus aderunt „ qui eos in carcere retinent aut retinendos curant, „ quique eos ad extremum supplicium damnant cu- „ rantve damnandos. Pronuntiatur præterea in omnes „ harum violentiarum auctores & conscios excommu- „ nicatio; quam quidem dominicis festisque diebus, „ parochi suis in parœciis sedulo edicent. “

II. Articulus renovat decretum quartum provincialis concilii, quod habuit an. 1320. Guillelmus de Melunio, archiepiscopi decessor & consanguineus, quem hoc loco cernimus an. 1346. concilio præesse; clericorum vestes spectat canon hic. Vetantur hi scilicet rubras, virides, cæruleas & ad ejus temporis sæcularem usum ocreas, itemque argenteis fibulis instructos calceos, in digito anulos & alia quæ mundanam licentiam olebant, ornamenta gestare. Prohibentur pariter affectare cæsariem barbamque in laicorum modum, cum tonsura parum congrua. Mandatur etiam, per hunc articulum canonis, ut nigri quidem, at albo variati coloris pelliceum ac villosum amiculum, vulgo *mozettam* deferant, quo distingui possent a beneficiariis cæteris quorum amiculum omnino nigrum esse debebat: nihilque non, ea, quoad canonicos, statuta pœna, ut distributionum dimidio priventur; beneficiariis reliquis arbitrariæ pœnæ subdendis.

III. Excommunicatos qui annum transegerint, quin se absolvendos curarent, tamquam hæreticos spectandos pronuntiat.

IV. Ecclesiæ judicibus mandat, ut hæreticos eosque qui de hæresi suspecti sunt, capi jubeant; mandatumque idem, sub excommunicationis pœna quoad laices judices aut temporales dominos, cum id ab ecclesiasticis rogati fuerint.

V. Ea quæ ecclesiis legata sunt, in alios usus conferri vetat. Commendatur hujus pecuniæ quamprimum usus; eam interea concilium in arca servatam vult, duabus appositis clavibus quarum unam christianæ reipublicæ decanus aut archipresbyter, æditui seu provisores alteram teneant.

VI. Eos vult, qui provinciæ concilio adesse non poterunt, se per litteras excusare; & observantiam atque obedientiam concilio debitam in iis testari.

VII. Litteras ait quibus alicui apud ecclesiasticam curiam dies dicitur, nullas fore, nisi qui eas obtinuit, ejusque procurator, jurejurando, probet se cum eo contraxisse quem in jus vocatum vult, ac nisi eædem litteræ ab officiali ejusve vice-gerente subscriptæ obsignatæque sint. Nimirum ad ecclesiæ tribunal interdum ob injustas, nulliusve momenti causas dies dicebatur; quod accusatos, præter injuriam eorum famæ irrogatam, expensis admodum gravibus exponebat.

VIII. Prioratus & parœcias quibus æquo minor est redditus, uniri jubet. Diœcesanis episcopis commendatur, ut ecclesiasticos patronos ad portionem ex ecclesiarum redditibus quibus iidem gaudent, parochis debitam quos nominant, tribuendam adigant; quæ quidem in præsentia dicitur, *portio congrua*.

IX. Commendat, ut Decretales & Clementinæ super hospitalibus, leprosorum nosocomiis & largitionum præfecturis serventur.

X. Abbates, priores, parochos aliosque beneficiarios vetat, ne sua ædificia corruere sinant, suarumque terrarum culturam negligant. Si congruis omnibus reparationibus perficiendis non sunt, jubentur ipsi suorum redditnum partem, e diœcesani episcopi æstimatione, quotannis relinquere, ut, quicquid ab iis beneficiis pendet, reparare paulatim possit.

XI. Prælatos regulares non patitur prioratus & alia peculiaria beneficia quæ ex eorum quidem dispositione sunt, ad eorumdem tamen mensam non pertinent, sibi addicere. Iidem prohibentur veteres pensiones augere, aut novas instituere.

XII. Commendatur Clementinæ executio, qua præcipitur, ut æquabiliter, simpliciter & sine contentiosi fori apparatu, in matrimonii, usuræ, decimarum causis, aliisque nonnullis eodem spectantibus procedatur. Afficit hæc concilii sanctio parochos ecclesiasticosque quibus harum rerum demandata discussio est. Mandat præterea concilium, ut, qui decimis subsunt, primum quidem canonica monitione, deinde vero censuris Ecclesiæ sollicitentur. Ut ecclesiasticorum super hac re studium & operam excitent, concilii Patres constitutionem proferunt e Decretalium Sexto, libro in Gallia male recepto ob Bonifacii VIII. cum Philippo Pulcro dissidium; quod eos tamen non impedit, quin hujus decreti, a Gregorio IX. ad Fratres Prædicatores & Minores missi suæ sanctioni inserant verba ipsa: “ Interdicimus vobis luculentissimis verbis, inquit Pa- „ pa hic, ne in sermonibus vestris aut alibi, audito- „ ribus ea proponatis quæ eos a decimarum solutione „ avocent. Eorum animum haud pravis effatis cor- „ rumpite, sed potius, verbo & exemplo, instituite, „ ut, quicquid ecclesiis debetur, libenter solvant. “

XIII. Canon præscribit, ut sanctio quam super parva prece ad extincti ignis horam statuta Joannes Papa XXII. edidit, accurate servetur. Ita tempus appellabatur quo agricolæ, eorumque exemplo in urbibus quisque domum se recipiebant; quod ad pomeridianam horam septimam contingebat, ac tum quidem æra campana in ecclesiis pulsabantur. Parva prex a Joanne XXII. & ab episcopis tantopere commendata Angelica salutatio erat ter repetita. Erat iis indulgentia, qui huic piæ consuetudini fideles essent. Parisiense concilium in eorum omnium gratiam qui tunc Dominicam Orationem & Angelicam Salutationem, pro Ecclesia, pro pace, pro rege, pro regina & pro regia familia dicerent, peculiarem indulgentiam singulis diebus addictam, quam late patebat Senonensis provincia, scilicet, indulgentiam dierum triginta, metropolitani auctoritate, & dierum viginti a suffraganeis singulis concessam addidit.

Concilium Toletanum, an. 1347.

Ægidius, archiepiscopus Toletanus, Aprilis die 24. an. 1347. habuit, Compluti, concilium hoc, in eoque edidit statuta quatuor.

1. Episcopi lanea & neutiquam serica humeralia deferent, sub pœna mulctæ marbotinorum mille; quæ summa trifariam secta æque fabricæ, denuntiatori & captivorum redemptioni cedet.

2. Qui ecclesiasticorum personas aut bona impetunt, excommunicatione plectentur; si quindecim post dies quam jussi fuerint, renuant facere satis.

3. Aliarum diœceseon quæstuantes, nisi Papæ aut archiepiscopi Toletani litteras habeant, suffraganei non ferent.

4. Qui aliquid ultra præscriptam taxam ob sigillum & ob dimissorias litteras exigent, marbotinos mille, ut supra, impendendos solvent. *Ibid.* & de Aguirre, *Concil. Hispan. Tom. V.*

Concilium Biterrense, an. 1351.

Petrus de la Jugie, Narbonensis archiepiscopus, die 7. Novembris an. 1351. cum episcopis, abbatibus, decanis & prioribus suæ provinciæ, celebravit concilium in quo edidit super disciplina canones duodecim quorum decem, prope ad verbum, ex conciliis an. 1326. & 1337. Avenione habitis repetuntur.

I. Commendatur, ut caput, sancto Jesu nomine pronunciando, flectatur. Indulgentia dierum decem toties obtinenda, quoties illud flectetur in divini officii recitatione.

II. Parochi hortabuntur fideles, ut S. Sacramentum comitentur, cum ad infirmos defertur. Iis indulgentia dierum decem, qui illud interdiu aut noctu comitabuntur; dierum viginti, si interdiu cum lumine; & dierum triginta, si cum lumine itidem noctu. Eadem iis indulgentia qui faces suo nomine ferendas mittent.

III. Iis indulgentia dierum duodecim qui pro Papa, Rege & provinciæ prælatis, ad missam, oraverint.

IV. Jubentur parochi & vicarii baptismales fontes clave concludere, nitidosque & aptos tenere.

V. In singulos homines excommunicatio, & in communitates interdictum, qui Ecclesiæ bona usurpaverint, nisi, sex dierum spatio, fecerint satis.

VI. Sub excommunicationis pœna, in parochos interdictio, ne sinant communionem a parochianis suscipi,

scipi, vel a quopiam administrari Paschatis tempore, alibi quam in parœciis, aut quibus in locis suas parochi functiones edere consueverunt; excipitur morbi casus. Monentur etiam præsules, ne, nisi æquis de causis, eo quidem tempore extra parœciam communicandi facultatem concedant.

VII. Clericos beneficiarios & in sacris ordinibus constitutos hortantur concilii Patres, ut sabbato abstinentiam servent. (In secundo Avenionensi concilio statutum id erat, ea pœna, ut, qui secus ageret, ad mensem, Ecclesiæ aditu prohiberetur. Perspicitur hinc eo nondum tempore abstinentiam sabbati apud omnes fideles in legem abiisse.)

VIII. Instaurantur pœnæ in eos latæ, qui excommunicationem in superiores pronuntiare audent, a quibus ipsi censuris perculsi fuerunt.

IX. In latores aut executores actorum ecclesiasticæ jurisdictionis omnis violentia prohibetur.

X. Mandatur, ut testamenta coram parocho fiant, sive saltem detur eorum notitia quæ in iis continentur.

XI. Beneficiarii qui in ecclesiam ingredientur, quin, ut decet, induti sint, mulctæ denarios duodecim solvent. Canonici, ob eamdem culpam, manualibus ejus diei distributionibus privabuntur.

XII. Confessarii scribent eorum nomina, quorum confessiones excipiunt, ut certo constare possit, an annuæ confessionis præceptum servatum fuerit. Si quis alteri ad confessiones audiendas approbato presbytero confitetur, ei præcipitur, ut, semel in anno, proprium presbyterum certum faciat se confessum esse, aliter eam pœnam subiturus, ut, quoad in vivis fuerit, ecclesiæ aditu, & post mortem ecclesiastica sepultura privetur. *Ibid.* & Balutius, *in Concil. Gall. Narbon.* & Martenne, *Thesaur. Tom. IV.*

Concilium Andegavense, an. 1365.

Simon Renoul, archiepiscopus Turonensis, habuit cum suis suffraganeis, die 12. Martii an. 1365. concilium hoc, in eoque indixit, super disciplina, statuta triginta quatuor.

Priora quatuor ad ecclesiastica judicia referuntur. Nonnulli, apostolicorum rescriptorum favore, ad tribunalia admodum dissita accusatum trahebant. Dictum fuit in concilio necesse fore, ut, quoad diœceses Turonensem & Andegavensem, iter bidui, seu leucas viginti quatuor, quoad Cenomanensem vero & Britanniæ diœceses, leucas viginti terminus nunquam excederet; &, quoniam interdum Romanæ curiæ rescripta corrumpebantur, aut falsa supponebantur, statutum fuit, ut ea, in exemplari ipso, ab ordinario visa & approbata ostenderentur.

Quæ sequuntur statuta quinque rem beneficiariam attingunt. In eos qui beneficia in Romana curia obtinent, interdictio, ne eorum quam edunt, acceptationem occultam teneant, & possessionis susceptionem ultra sex menses differant. Jubentur ecclesiastici collatores, tam sæculares quam regulares, collationem quam ediderint, intra sex menses, publicam facere, nec alios nominare quam qui ea ætate sint, ut saltem subdiaconatum intra annum suscipere possint, si ex eorum genere beneficia sint, quæ sacros ordines postulant.

X. & XI. De archidiaconis agunt. Vetantur qui parochos examinant, pro expeditione litterarum *Visa* & pro sigillo quicquam sumere. Quinquaginta aut centum solidi ad cujusque parochi mortem pro lecti jure generatim archidiaconis conceduntur; quinquaginta quidem solidi si decimæ quinquaginta libras parœcia fert, & solidi centum, si libras centum.

XII. & XIII. Ecclesiasticos vetant calceos in acumen productos ferre, vestibusque in superiore parte patentibus aut brevioribus, quam par est, indutos incedere; ajuntque oportere, ut eæ saltem ad genu descendant.

XIV. & XV. Super officii defunctorum & sanctæ Virginis recitatione versantur. Prohibentur omnes presbyteri, e sanctæ obedientiæ virtute; defunctorum Missam dicere, quin prius eorumdem officium dixerint; jubenturque tum parochi ferialibus diebus singulis defunctorum officium dicere, tum omnia Capitula, tam sæcularia quam regularia sanctæ Virginis officium quotidie canere, exceptis majoribus festis, adventu & diebus quibus fit *de Beata*.

XVI. Statutum prohibet, proposita sanctæ obedientiæ lege, divinique judicii comminatione, ecclesiastico cuique, atque adeo episcopis ipsis, ne quo unquam tempore sibi mensam obsoniis pluribus quam duobus instructam velint. Excipitur casus receptionis Principis, aut admodum spectati viri.

XVII. & XVIII. Parochis residentiam commendant, ea indicta pœna, ut proventus amittant, si ad mensem unum, & beneficiis priventur, si ad sex menses abfuerint. Canonicis idem præcipitur, ea pœna, ut, nisi horis a psalmorum primo, & Missæ a prima oratione usque ad finem adfuerint, distributiones amittant.

XIX. & XX. Mandant S. Benedicti monachis, ut longa, lata & clausa indumenta ferant; canonicisque regularibus, ut in ecclesia & alibi superpelliceis induti sint. Utrisque breves vestes interdicuntur.

XXI. Qui provisiones dant ad largitionum præfecturas, ad leprosorum nosocomia, ad xenodochia & hospitalia maxima, quicquam pro litterarum expeditione aut pro sigillo sumere prohibentur.

XXII. Butyri & lactis per quadragesimam usus damnatur; hunc synodus casum episcopis reservatum vult.

Sequentes articulos octo sibi vindicat ecclesiastica immunitas. Renovantur in eos omnes pœnæ & censuræ, qui clericos molestia, seu in bonis, seu in personis afficiunt. Est hæc canonum repetitio, quos innumera concilia ediderant, quique semper male servati fuerant.

XXX. Concubinarios & adulteros notorios excommunicatione plectit.

XXXI. Commendat, ut excommunicationis sententia ab ecclesiastico judice lata intra mensem edicatur.

XXXII. Ait necesse fore, ut hujus concilii statuta quotannis ad perpetuitatem enuntientur, dominicis diebus quinque; videlicet, prima Adventus, prima Quadragesimæ, dominica Passionis, dominica Trinitatis, & dominica post sanctæ Virginis Assumptionem.

XXXIII. Eos monet quibus episcopi eam veniam dederint, ut suis in domibus aut privatis capellis missam dicendam curent, esse dominicas per annum sex quibus non nisi parocho, aut alteri, ejus nomine, sacerdoti in his capellis celebrare licebit. Dominicæ porro quas statutum designat, eædem quæ supra, sunt; quibus additur dominica post Epiphaniam.

XXXIV. Cuique per suam diœcesin episcopo a censuris in concilio indictis absolvendi facultatem concedit. *Reg. Tom. XXIX. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Eboracense, an. 1367.

Joannes, Eboraci archiepiscopus, habuit, Septembri mense, hoc suæ provinciæ concilium in quo edidit constitutionum articulos decem.

Prohibetur in primo, ne mercatus, vel ad lites tribunalia in ecclesiis aut in cœmeteriis habeantur.

Interdicitur in secundo, ne quid absoni fiat in ecclesiis, quibus diebus Sanctorum vigiliæ & mortuorum funera peraguntur.

3. Capellanorum retributiones moderatur, prout decrevit Guillelmus Zouches qui Joannem præcessit.

4. Patres, matres & nutrices vetat suis in lectis, cubitus ergo, lactentes infantes ponere, ne iis spiritum intercludant.

5. Decimarum solutionem mandat.

6. Ecclesiæ bonorum alienationes prohibet.

7. In vestitu modestiam ecclesiasticis præcipit.

8. Totus est in matrimonialibus causis.

9. Invehitur in clandestina matrimonia, & matrimoniales enuntiationes urget.

10. Mandat, ut in diœcesibus indicantur & serventur statuta hæc. *Ibid.*

Concilium Vaurense, an. 1368.

Petrus Jugius, archiepiscopus Narbonensis, cum ab Urbano Papa V. facultatem petiisset, ut se provinciarum Tolosæ & Augustæ Ausciorum prælatis adderet, quibuscum nationale quoddam concilium ex universa Occitania conficeret, illud in cathedrali Vaurensi ecclesia, an. 1368. ad 17. Mensis Maji diem indixit. Patuit igitur ea die cœtus, & ad Junii usque 13. perstitit. Hallucinati proinde tum Fleurius qui Junii die 3. absolutum, & Dupinius qui eadem Junii die 3. habitum ajunt. Petrus de la Jugie, archiepiscopus Narbonensis, Gaufriddus de Vayroles, archiepiscopus Tolosanus, & Arnaldus Albertus, archiepiscopus Auscienis concilio præfuere; priores duo quidem ipsi per se, tertius autem exhibitur a Philippo, Soregiensi abbate, ejus generali vicario qui, hoc titulo, episcopos omnes præcessit. In eo editi centum triginta canones seu statuta ad disciplinam spectantia.

Canon primus institutionem continet tributam in partes tres, quarum prima de Fidei articulis & sacramentis septem, altera de virtutibus & vitiis, tertia de Dei præceptis agit. Super Fidei capitibus, concilium declarat ea in Apostolorum symbolo contineri;

eorum

eorum nitidam pressamque explicationem edit, monetque, post Christum Dominum, omnibus explicitam Trinitatis & Incarnationis fidem inesse oportere.

Super Sacramentis septem, ea distinctione suam mentem aperit, ut, quæ paucis in id affert, Tridentini concilii compendium veluti quoddam videri possint. Docet Christum Dominum ea omnia ipsum per se proxime instituisse; duo tamen, confirmationem scilicet & extremam unctionem ab apostolis promulgata fuisse; materiam, formam & ministrum ad cujusque sacramenti substantiam pertinere; existere sacramenta quæ necessario seu reapse suscipi, seu saltem expeti debent; tria esse, baptismum, confirmationem & ordinem quæ non iterantur; neminem unquam in lethali peccato existentem ullum sacramentum recipere aut administrare debere; necesse esse, ut quisque confiteatur ore peccata quæ corde execratur; confessarios non debere tamquam lethale peccatum notare nisi quod in sacris Litteris, vel a sanctis Patribus ut ejusmodi expressum est. Super virtutibus & vitiis, concilium est paulo fusius. Occurrit ibi quicquid theologales & morales virtutes, dona fructusque Spiritus sancti, septem Dominicæ orationis, vulgo Pater, petitiones, beatitudines septem, opera misericordiæ, capitalia peccata septem, hisque oppositas virtutes spectat.

Denique, quod attinet ad Dei præcepta, distinguit priora tria quæ Deum spectant, & reliqua septem quæ proximum afficiunt; unumquodque quo referatur, & quam late pateat, compendiarium in modum ostendit; notatque postrema duo quæ illicita ipsa desideria prohibent, summopere ab iis secerni quæ facta damnant.

Octo qui sequuntur articuli sunt ad provincialium conciliorum & diœcesanarum synodorum celebrationem rectum ordinem constitutiones. Jubentur episcopi & abbates iis interesse, vel ad ea quempiam suo nomine mittere.

XIV. Nobiles viros, excommunicationis indicta pœna, vetat fœdera seu societates, *confraternitatum* titulo, inire; erat hæc plurium malorum occasio. Hi jactati confratres, jurejurando consociati, in eumdem modum induti, certoque sibi statuto capite, publicum ordinem perturbabant, innocentes opprimebant, & ecclesiasticos expilabant.

Sequentes quatuor renovant Ausciensis anno 1300. concilii super iis canones, qui ad beneficia electiones impediunt, aut pacificos possessores turbant, aut beneficia usurpant, aut incompatibilia beneficia possident.

XIX. Mandat, ut ordinarii inferiorum in acquirendis servandisque suorum beneficiorum juribus negligentiam suppleant.

XX. Eos ad ordines admitti vetat qui latine loqui nesciunt.

XXII. Alienos presbyteros quibus suorum episcoporum litteræ nullæ sunt, ad divina officia recipi prohibet.

XXIII. Altaria, absque ordinarii nutu, erigi vetat.

XXIV. Errones detentos vult qui se apostolos & religiosos venditant.

XXV. Archidiaconis interdicit, ne sine ordinarii facultate de matrimonii causis agnoscant.

XXVI. & XXVII. Commendat episcopis, ut causas gratis examinent, matrimoniales causas iis tantum committant qui canonum periti sunt, easdemque non nisi in præcipuis insignibusque suarum diœceseon locis actas velint, quo a viris in hoc rerum genere acutius cernentibus consilium sumi possit.

Ducti sunt sequentes canones ex conciliis Marsiacensi & Avenionensi an. 1326.

XXXVI. Sæculares judices a clericorum personalibus causis abstinere vult, nec eosdem decidere, justane an injusta censura sit; uno verbo, se spiritalibus seu ecclesiasticis negotiis, iisve quæ jus aut vetus consuetudo tribunali Ecclesiæ adjudicat, non immiscere.

XLVI. Cathedralium & collegialium ecclesiarum canonicis mandat, ut nigras in choro & processionibus cappas deferant, ab omnium Sanctorum festo ad Pascha usque.

LIII. & LVI. Statuunt, ut, post episcopi alteriusve prælati mortem, ad defuncti ecclesiastica bona administratores duo nominentur; & hi quidem, intra dies decem, accuratum eorumdem inventarium conficiant, ac successori de re tota rationem reddant.

LXI. Earum trium provinciarum archiepiscopum & episcopum quemque debere ait, dum vivit, completam ex pretiosa materie capellam, aureosve florenos centum suæ cathedrali ecclesiæ donare. (Mandatum hoc in tota Occitania adhuc vigere dicitur.)

LXV. & LXVI. De jure agunt quo parœciæ ad exaquiarum mercedem gaudent, quæ in aliis ecclesiis aut cœmeteriis peractæ sunt. Servari jubetur Bonifacii VIII. Decretalem quæ statuit, ut religiosi penes quos alienigenæ sibi sepulturam deligunt, stipendii quartam partem parochis dent.

LXXVIII. Parochos nominatos vetat ullam functionem obire, quin suam prius institutionem a diœcesano episcopo sumpserint; & id quidem, subdit concilium, nihil obstante quavis contraria consuetudine quæ potius abusus est.

LXXXII. Presbyterum vetat suo cum filio spurio sacrum facere. (Ne scilicet, ut videtur, eum sumat, ut sibi ad Missam respondeat.) Vetat præterea, ne Judæis ecclesiastica ornamenta vendantur, oppignerentur, aut conficienda dentur.

LXXXIII. Parochis mandat, cum suis in ecclesiis celebrat ut unum saltem clericum superpelliceo indutum sibi ad missæ servitium sumant.

LXXXIV. Parochianis commendat, ut dominicis festisque diebus missam suis in parœciis audiant. Id si consecutis dominicis duabus, ac sine legitima causa neglexerint, iis excommunicationem parochus minitabitur.

LXXXIX. Prohibet, excommunicationis æternæque maledictionis indicta pœna, ne quis, jejunii diebus, & potissimum per Quadragesimam, carne vescatur, nisi id eam facere necessitas cogat. Eadem in confessarios regulares non exemptos, & in sæculares pœna, qui vetitis diebus, extra necessitatem, carnis usum concesserint.

CX. Eos excommunicatione plectit, qui e diœcesi egrediuntur, ut matrimonium ineant, sine suorum parochorum venia.

CXI. Statuit, ut omnia capitula in quibus decem canonici sunt, e suis corporibus duos ad universitates mittant, qui ad theologiæ jurisque canonici studia ibidem incumbant; & ea quidem lege, ut absentes hi e suorum beneficiorum proventibus non nisi manualium distributionum jacturam subeant.

CXIII. CXIV. & CXV. Vetant, ne Christianæ mulieres Judæorum infantes nutriant; ne Christiani, generatim, Judæos sibi medicos aut chirurgos sumant, præter quam in magnæ necessitatis casu; denique, ne quis e Christifidelibus Judæorum conjugiis & funeribus adsistant.

CXXVI. Monet episcopos, ut sub se confessarios committant, qui a reservatis casibus absolvendi facultate polleant.

CXXVII. Iis triginta dierum indulgentiam tribuit, qui mane, flexis genibus, & ad æris campani sonum, quinquies *Pater noster*, & septies *Ave, Maria*, recitaverint.

CXXVIII. Confirmat statuta omnia in earum trium provinciarum conciliis edita.

Cæteri omnes articuli quos missos facimus, aut minoris momenti sunt, aut in Avenionensi, Marsiacensi, Nugarioleusi & Biterrensi conciliis repetuntur. Spectant plerique ecclesiasticam jurisdictionem, clericorum immunitatem, bonorum ad vacantes ecclesias pertinentium administrationem, decimas, vexationes quas Ecclesia a laicis subibat; quæ fere sollicitudinis episcoporum, eorumque censurarum argumenta erant. Vaurensis cathedralis ecclesia in qua celebratum concilium hoc, admodum male se habebat, minitabatur excidium; ei ornamenta & alia maxime necessaria deerant. Patres, antequam secederent, super hac re fidelium studium pietatemque excitarunt; atque ut bonum opus urgerent, quadraginta dierum indulgentiam iis concesserunt, qui contriti confessique, ad ejus ecclesiæ reparationem aut decorationem conferrent. Ad extremum sanctiones quascunque concilium ediderat, firmatæ fuere ab episcopis, edictæque, hac apposita clausula: „ Salvis correctionibus, detractio-„ nibus aut additionibus quas iis adhibendas esse Pa-„ pæ videretur. " *Reg. Tom. XXIX. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Narbonense, an. 1374.

Petrus Jugius, archiepiscopus Narbonensis, Aprilis die 15. in sua metropolitana ecclesia celebravit una cum suffraganeis concilium hoc, in quo canones edidit duodetriginta, quorum plerique ex Vaurensi concilio, an. 1368. habito, repetuntur. Novæ constitutiones sunt quæ sequuntur.

XIII. Ecclesiastici ab omni illicito negotio abstinebunt.

XIV. Omnis cum animarum cura beneficiarius semel saltem singulis mensibus debebit sacrum facere.

XV. Suos parochianos avocabunt parochi, ne in Deum, in B. Virginem & in Sanctos blasphemias evomant; quique suorum parochorum monitis hac in

re non

re non paruerint, ab episcopo punientur e juris regulis.

XVI. Suos etiam parochianos monebunt parochi, ut blasphemos apud Officialem denuntient.

XXV. Suum ecclesiastici nomen non commodabunt ad fraudulentas donationes, efficiendique animo, ut prædia quorum se donatarios simulant, a vectigalibus liberentur.

XXVI. Ecclesiasticæ sepulturæ, sine superioris mandato, non dabuntur qui in excommunicatione vel interdicto mortui sunt.

XXVII. Iis decem dierum indulgentia conceditur qui contriti confessique, semel Dominicam Orationem, *Pater*, & bis Angelicam salutationem, *Ave*, *Maria*, quotidie pro Papa & pro Rege dixerint. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.* & Balutius.

Concilium Londinense, an. 1382.

Guillelmus Curtenajus, archiepiscopus Cantuariensis, habuit concilium hoc quod ex episcopis octo pluribusque in theologia & in jure doctoribus & baccalaureis conflatum fuit. In eo damnatæ Wicleffi ejusque discipulorum propositiones viginti quatuor; videlicet, decem tamquam hæreticæ, & quatuordecim tamquam erroneæ, Ecclesiæque definitioni contrariæ.

Hæreticæ propositiones sunt: prima, materialis panis & vini substantiam in altaris Sacramento post consecrationem remanere; secunda, in eodem sacramento accidentia non remanere sine subjecto, tertia, Christum Dominum identice, vere & realiter secundum suam propriam corporalem præsentiam ibi non esse; quarta, episcopum aut presbyterum qui in mortali peccato est, omnino non ordinare, non consecrare, non baptizare; quinta, cum homo, ut oportet, contritus est, externam confessionem inutilem esse; sexta, nullum in Evangelio fundamentum esse, Christum Dominum Missam instituisse; septima, Deum ei legi subesse, ut diabolo obediat; octava, Papam, si reprobus & nequam homo, quodque inde consequens fit, diaboli membrum est, nulla in fideles, nisi forte per Imperatorem, potestate pollere; nona, nullum Papam, post Urbanum VI. agnoscendum esse, vivendumque, Græcorum instar, e propriis legibus; decima, cum sacra Scriptura pugnare, ecclesiasticos temporalia bona possidere.

Erroneæ propositiones sunt: prima, prælatum non debere quemquam excommunicare, quin eum a Deo excommunicatum sciat; secunda, eum qui aliter excommunicat, hæreticum & excommunicatum esse; tertia, prælatum qui clericum excommunicat, qui ad regem, vel ad ejus consilium appellavit, regem & regnum prodere; quarta, eos qui, ob hominum excommunicationem, a divino verbo seu nuntiando seu audiendo abstinent, excommunicatos esse, habendosque tamquam proditores in Dei judicio; quinta, cuique seu presbytero seu diacono id juris esse, ut Evangelium prædicet sine sanctæ sedis aut episcopi auctoritate; sexta, eos qui in lethali peccato versantur, nec episcopos amplius, nec prælatos, ac ne temporales quidem dominos esse; septima, temporales dominos ecclesiasticis qui in peccati assuetudine sunt, temporalia bona adimere posse, privatosque homines ea potestate gaudere, suos ut superiores, cum peccant, corrigant; octava, decimas esse puras putasque eleemosynas; parochianos posse eas retinere ob suorum pastorum peccata, ac tum solum dare, cum iis placuerit; nona, peculiares preces certæ cuidam personæ ab ecclesiasticis aut religiosis addictas non magis eidem inservire quam generales; decima, eos qui peculiari religioni nomen dant, Dei præceptis servandis se magis ineptos reddere; undecima, sanctos viros qui religiosos, seu dotatos, seu mendicantes instituerunt, hanc institutionem facientes peccasse; duodecima, religiosos qui privatis in domibus vivunt, e Christiana Religione non esse; decima tertia, religiosos e suarum manuum labore, non autem emendicantes sibi victum quærere debere; decima quarta, eos qui eleemosynam religiosis tribuunt qui concionantur, quique eas recipiunt, excommunicatos esse. *Reg. Tom. XXIX. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII. Anglic. Tom. III.*

Concilium Saltzburgense, Salisburgense, an. 1386.

Pilgrinius, archiepiscopus Salisburgensis, sanctæ Sedis legatus, habuit e suæ provinciæ episcopis, Januario mense, concilium hoc in quo septendecim capitula protulit.

Mandatur in primo, ut officium in singulis diœcesis ecclesiis, e cathedralis ritu, celebretur.

In secundo, ut a casibus episcopo & sanctæ Sedi reservatis, nisi potestatem in id acceperint, presbyteri non absolvant.

In tertio, ut hac potestate qui gaudent, non abutantur, absolutionem ob pecuniam tribuentes.

In 4. ut confessarii, dubiis in casibus, ad superiores confugiant.

In 5. ut clerici se nunquam, aperto capite, seu publice, seu in ecclesia, in conspectum dent.

In 6. ut ne simplices clerici deferant eorum insignia, qui in dignitatibus constituti, aut canonici, aut doctores sunt: neque vero cingulis, corrigiis, marsupiis auro aut argento ornatis utantur.

Mandat 7. ut ecclesiarum ornamenta apta & nitida accurate serventur.

Vetat 8. ne religiosi mendicantes, divinum verbum nuntient, quin a parochis acciti sint; neve parochi utantur eorum opera, nisi ipsorum superioribus annuentibus, aut eosdem ad conciones habendas, vel ad confessiones audiendas admittant, quibus in locis ipsi resident, quin a diœcesano episcopo approbati fuerint.

9. & 11. Clericorum immunitatem spectant.

10. Eos impetit qui excommunicationis sententias contemnunt.

12. Eos qui usurpant ecclesiæ bona.

13. Usurarios.

14. Vetat, excommunicationis indicta pœna, clericos apud sæculares judices in jus vocari.

15. Ignotos presbyteros ad divinum officium admitti prohibet.

16. Mandat, ne notarii censeantur, qui apud locorum ordinarium ejusve officialem recepti non fuerint.

Postremus episcopos & archidiaconos jubet horum statutorum exemplum sumere. *Reg. Tom. XXXI. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Palentinum, an. 1388.

Cardinalis Petrus de Luna, cum in Hispaniis legatione fungeretur, habitum voluit, 4. Octobris die, concilium hoc, in eoque constitutionum articulos septem edidit.

Mandat, in primo, ut ordinarii clericorum correctioni, qui se criminibus obstringunt, invigilent.

Renovat, in 2. Valdoletani concilii an. 1322. in clericos concubinarios constitutionem.

Præcipit, in 3. ut clerici conjugati coronam & tonsuram clericales deferant, si clericaturæ privilegio frui volunt.

Vetat, in 4. alienationem bonorum ecclesiæ, & novarum commendarum institutionem.

Continet 5. super Judæis & Saracenis statuta.

Eos 6. jussos vult, ut festa servent.

Adulteros 7. & concubinarios publicos impetit. *Ibid.* & de Aguirre, *Tom. V.*

Concilium Londinense, an. 1396.

Thomas Arundelus, archiepiscopus Cantuariensis, habuit cum suis suffraganeis concilium hoc, in eoque errorum Wicleffi sequentes octodecim articulos, ex ejus Trialogo depromptos damnavit.

I. ARTICULUS.

Manet panis substantia post ejus consecrationem in altari, & non desinit esse panis.

II.

Sicut Joannes fuit figurative Elias, & non personaliter; sic panis figurative est Corpus Christi, & absque omni ambiguitate hæc est figurativa locutio: Hoc est Corpus meum; *sicut illa in verbis Christi:* Joannes ipse est Elias.

III.

In capite, Ego Berengarius, curia Romana determinavit, quod Sacramentum eucharistiæ est naturaliter verus panis, loquendo conformiter ut prius, de pane materiali albo & rotundo.

IV.

Definientes parvulos fidelium, sine baptismo sacramentali decedentes non fore salvandos, in hoc sunt præsumptuosi & stolidi.

V.

V.

Collatio sacramenti Confirmationis non est episcopis reservata.

VI.

Tempore Pauli, sufficiebant Ecclesiæ duo ordines clericorum, sacerdos & diaconus; nec fuit, tempore apostolorum, distinctio Papæ, *patriarcharum, episcoporum; sed sufficit, quod sint presbyteri & diaconi secundum fidem* Scripturæ, *quia superbia cæsarea alios gradus* adinvenit.

VII.

Antiqui qui ex cupiditate rerum temporalium, vel spe mutuorum juvaminum, aut ex causa excusandæ libidinis, licet de prole desperent, copulantur ad invicem, non vere matrimonialiter copulantur.

VIII.

Causæ divortii, consanguinitatis vel affinitatis, sunt infundabiliter humanitus ordinatæ.

IX.

Hæc verba: Accipiam te in uxorem, *eligibiliora sunt pro contractu matrimonii, quam hæc verba*: Accipio te in uxorem; *eo quod contrahendo cum una per hæc verba de futuro*: Accipiam te in uxorem, *& post cum alia per hæc verba de præsenti*: Accipio te in uxorem, *non debent frustrari verba prima propter verba secundaria de præsenti.*

X.

Isti duodecim sunt procuratores Antichristi, ac discipuli Antichristi; Papa, Cardinales, Patriarcha, Archipræsules, Episcopi, Archidiaconi, Officiales & Decani, Monachi & Canonici bifurcati, pseudofratres introducti jam ultimo & quæstores.

XI.

Numerorum 18. *& Ezechielis* 44. *præcipitur simpliciter negative, quod nec sacerdotes Aaronitæ, nec levitæ habeant partem hæreditatis cum aliis tribubus; sed quod pure vivant de decimis & oblationibus.*

XII.

Non est major hæreticus vel Antichristus, quam clericus qui docet, quod licitum est sacerdotibus & levitis legis gratiæ docari cum possessionibus temporalibus; & si aliqui ex prævaricatione in lege Dei sunt hæretici, apostatæ, vel blasphemi, sunt illi clerici qui hæc docent.

XIII.

Non solum Domini temporales possunt auferre bona fortuna ab ecclesia habitualiter delinquente; non solum eis hoc licet, sed debent hoc facere sub pœna damnationis æternæ.

XIV.

Si corporalis unctio foret sacramentum, ut modo fingitur; Christus & ejus apostoli ipsius promulgationem non tacuissent.

XV.

Quicunque est humilior ecclesiæ servitor, & in amore Christi quoad suam ecclesiam amabilior, ille tam in ecclesia militante major, & proximus Christi vicarius est.

XVI.

Ad verum dominium sæculare requiritur justitia dominantis, sic, quod nullus in peccato mortali est dominus alicujus rei.

XVII.

Omnia quæ evenient absolute, necessario evenient.

XVIII.

Quidquid Papa vel cardinales sui sciunt ex sacra Scriptura, deducere clare, illud dumtaxat est credendum, vel ad sua monita faciendum; & quidquid ultra præsumpserint, sic tamquam hæreticum contemnendum. Ibid. & Anglic. Tom. III.

CONCILIA

SÆCULI DECIMIQUINTI.

Concilium Oxoniense, an. 1408.

THomas Arundelus, archiepiscopus Cantuariensis, omnino tandem Wicleffi errores proscripsit per sequentia quæ edidit in hoc concilio, statuta tredecim.

1. Vetat, ne quis ecclesiasticus sæcularis aut regularis ad Dei verbum prædicandum admittatur, quin a diœcesano episcopo in examine positus & approbatus fuerit.

2. Sub interdicti pœna, prohibet ecclesiasticos & sæculares pati quempiam in ecclesiis vel in cœmeteriis concionari.

3. Divini verbi præcones ita dicere jubet, ut auditoribus congruit, quin in clericorum vitia & depravationes, laicis adstantibus, invehantur.

4. Vetat, ne quid super sacramentis aut super fide doceatur, quod non cum Ecclesiæ doctrina cohæreat, & ne quid edicatur quod sectam aut hæresin oleat, sub pœna excommunicationis *ipso facto*, a qua absolutio obtineri non possit, nisi abjurata solemnem in modum hæresi.

5. Liberalium artium magistros prohibet de theologia, seu de fidei dogmatibus agere, suosque discipulos pati de hoc rerum genere disputare; eum porro qui secus egerit, schismatis & hæreseos fautorem declarat.

6. Nullum in lucem librum emitti jubet qui ab Oxoniensibus aut Cantabrigiensibus academicis, vel a doctoribus duodecim quos episcopus delegerit, approbatus non fuerit; autographumque in universitatis scriniis manere vult.

7. Mandat, ut sacræ Scripturæ nulla toleretur in vulgarem linguam versio quam episcopus non approbaverit, ea in refractarios statuta pœna, ut excommunicationem majorem subeant, & tamquam hæreseos fautores puniantur.

8. Vetat, ne quis propositionem edat, quæ pravam significationem præseferat, prætexens sanam eidem notionem subesse posse.

9. De doctrinæ capitibus ab Ecclesia decisis disputari prohibet, nisi ut explicentur, ac decretalium & synodalium constitutionum auctoritatem impugnari.

10. Nullum presbyterum recipi vult, ut suam extra diœcesin celebret, sine proprii episcopi testimonialibus litteris.

11. Mandat, ut, qui in Oxoniensi academia & in collegiis cæteris primas tenent, singulis mensibus inquirant de suorum alumnorum doctrina & moribus, eosque puniant qui hæreseos convicti fuerint.

12. Eos qui constitutiones has non servaverint, beneficiorum ingressu ad triennium prohibitos vult.

13. Illudque postremum mandat, ut processus in hæresis negotio, tamquam in læsæ Majestatis crimine, summatim extraque ordinem instruatur. *Lab. Tom. XI. Hard. Tom. VIII.*

Concilium Parisiense, an. 1408.

A Rege Carolo VI. jussi omnes regni præsules, itemque universitatum & capitulorum deputati, prima Augusti die hujus anni 1408. Parisiis adesse, paruerunt; prima tamen concilii sessio non nisi die undecima ejusdem mensis haberi potuit. Cœtus locus sancta Pari-

Parisiensis Capella fuit, eique archiepiscopus Senonensis, Joannes de Montaigu præfuit, quoad Alexandrinus patriarcha, Simon de Cremaud, negotia quæ eum in Italia detinebant, ad exitum perduxisset. Advenit patriarcha, antequam constitutiones, qui unus concilii scopus erat, enuntiarentur.

Harum constitutionum prima edita fuit, 13. Octobris die. In ea pronuntiatur eos omnes qui a Petro de Luna, olim *Benedicto XIII.* nuncupato, aperte stant, aut eidem favent, suis omnibus dignitatibus, officiis & beneficiis jure ipso spoliatos esse; iisque, nulla interjecta mora, collatores providere debere, quin aliam declarationem expectent, reisve suas defensiones proferendi tempus relinquant, eos enim satis monitos fuisse, eorumdemque pertinaciam notoriam esse. Eos autem quos easdem partes sequi solum suspicio est, concilium a dignitatibus aut beneficiis tantum suspensos, horumque administrationem prudentibus viris demandatam vult, quoad accusati suam agendi rationem suique animi sensa significaverint.

In sessione quæ Octobris die 15. habita est, id statutum quod ad religiosorum, &, generatim, omnium exemptorum tam regularium quam sæcularium regimen pertinebat. „ Se regent omnes, inquit concilium, e suis constitutionibus & privilegiis, quemadmodum, antequam subtraherentur, agebant. Exemptorum qui solum a Papa pendent, abbates & superiores suam a diœcesano episcopo confirmationem suscipient, enuntiantes tamen suis id privilegiis nulli præjudicio fore. Ad finienda exemptorum negotia, Parisiis aderunt superiores majores quatuor, videlicet, abbates S. Germani de Pratis, & sanctæ Genevefæ, cum decanis duobus, uno Dominæ Nostræ, & S. Germani Antissiodunensis altero. Protendetur horum potestas ad omnis generis causas, ad eas ipsas quæ in Romana curia reapse pendent, quin nihilominus commissarios petendi libertas, qui lites in locis judicent in quibus contendentes nati fuerint, partibus adimatur. Ad casus reservatos & censuras quod spectat, exempti se a magno pœnitentiario absolvendos curabunt, si possint ad eum confugere; si minus, ad suos superiores accedent, qui absolutionem conferre poterunt, facultatum vi quæ e præsenti Gallicani Cleri cœtu promanant. Exempti vero quibus non alius quam Papa superior est, a judicibus paulo ante nominatis has absolutiones petent; exempti denique qui jurisdictionibus episcopalibus gaudent, absolvere & dispensare omnibus in casibus poterunt, in quibus episcopi possunt. “

Concilium sua postrema statuta edidit 22. Octobris die. Sunt nimirum articuli quinque super disciplina versantes ad rectum ecclesiarum ordinem, neutralitatis tempore.

Spectat primus peccatorum & censurarum absolutionem quæ jus Papæ reservat. Remittunt in id episcopi ad sanctæ Sedis pœnitentiarium; quod si non potest ad eum confugi, hanc, itemque a censuris quas Papa vel ejus delegati tulerint, absolvendi potestatem ordinario demandant. Quoad exemptos, expressa est in constitutionibus de quibus supra, peculiaris dispositio.

2. Articulus totus est in ætatis dispensationibus ad sanctos ordines. „ Has concedent ordinarii; sed in nobilium tantum & graduatorum favorem. In irregularitatis negotio, confugietur, si poterit, ad Romanæ Ecclesiæ pœnitentiarium, si minus, ad Ordinarium. Quoad matrimonii impedimentum, ex consanguinitate aut affinitate proveniens, pergetur iidem ad Romanæ Ecclesiæ pœnitentiarium; ac, si id fieri non potest, ad provinciæ concilium quod pariter a matrimonii impedimentis cæteris dispensabit. Si nominatos ad prælaturas dispensatione indigere contigerit, eam a suo quisque superiore petet, scilicet, episcopus a metropolitano, metropolitanus a primate; quod si de sede agitur quæ primatiam nullam agnoscit, negotium ad provinciæ concilium referetur. Si quæ dispensationes occurrant a Petro de Luna, ante neutrius partis studium, concessæ, sed quæ tamen hactenus sine executione remanserint, eas cleri cœtus ratas validasque declarat, nisi forte impetrantes schismatis fautores fuerint. “

3. Articulus justitiæ administrationem statuit. „ Celebrabit metropolitanus quisque, quotannis, suæ provinciæ concilium; id eo negligente, senior suffraganeus sibi hanc ejus loco curam sumet, Provincialia concilia hæc unius saltem mensis spatio perdurabunt. Edentur in iis examina, perquisitiones & judicia necessaria, etiamsi de accusatione in metropolitanum intentata ageretur. Invigilabunt etiam ordinarii provincialium capitulorum in S. Benedicti ordine & inter canonicos regulares convocationi. Præsens cleri cœtus, antequam dissolvatur, nominabit personas septem, ut capitulis præsint quæ prima in horum ordinum cœtibus habebuntur. “

4. Articulus jurisprudentiam continet cui quoad appellationes insisti oportebit. „ Servabuntur accurate singulorum tribunalium gradus; ab archidiacono pergetur ad episcopum; ab episcopo ad metropolitanum; a metropolitano ad primatem; &, si primatia nulla est, ad provinciæ concilium. In censurarum negotio, si periculosa fuerit absolutionis dilatio, eam suffraganeorum episcoporum decanus, dum expectatur concilium, conferre poterit. Si appellationis negotium congregati episcopi finire non possunt, commissarios qui illud finiant, nominabunt. Ad concilium appellatio proferetur intra menses duos, in nullitatis pœnam. Interdictio, ne deinceps ad Romanam curiam appelletur, si quæ tamen occurrunt ejus curiæ, ante neutram partem susceptam latæ, nec executioni mandatæ sententiæ, validæ firmæque erunt, modo earum executio intra mensem fiat. Denique, omnium litium decisio ad communis juris dispositiones, non autem ad Romanæ cancellariæ regulas exigetur, nisi commune jus eæque regulæ consentirent. “

5. Idemque postremus articulus fusam, super ratione conferendi beneficia, institutionem complectitur, cujus hæ præcipuæ dispositiones sunt. „ Locum habebunt electiones quoad episcopatus, &, generatim, quoad dignitates quæcumque suapte natura, & ab origine, electivæ sunt. Suffraganei episcopi se a metropolitano confirmandos curabunt, & metropolitanus a primate, si quem agnoscit; secus, electio a suffraganeorum episcoporum concilio confirmabitur. At novus archiepiscopus pallio non utetur, nisi cum aderit qui illud eidem tribuere possit. Ut fraudibus occurratur quæ in indices, universitatum aut Principum nomine, exhibitos irrepere possent, interdicitur, ne quis se pluribus indicibus, aut eidem bis inscribendum curet; mandaturque, ut beneficia exprimantur quæ jam possidentur. Quicumque quadringentas annui census libras ex ecclesiæ bonis habuerit, ad nominationes quas edent ordinarii, nullum amplius jus obtinebit. Excipiuntur viri nobiles, doctores & baccalaurei in theologia, doctores in jure, licentiati in medicina, magister supplicationum palatii, eleemosynarius, primus capellanus & medicus regis, reginæ & Principum sanguinis. Denique concilium statuit, ut, si quis ex nominatis ad beneficia ausus fuerit ex duobus ad papatum contendentibus unum agnoscere, amittat redditus titulumque; & præterea in eum summo jure processus fiat.

Additur, ad harum constitutionum calcem, eas editas esse sine præjudicio jurium coronæ Galliæ, libertatumque Ecclesiæ Gallicanæ, nec non reverentiæ quæ sanctæ apostolicæ Sedi, futuroque legitimo Papæ debetur.

Conciliorum postremæ editiones ajunt ex hoc Parisiensi concilio nihil aliud nobis superesse quam diei 20. Octobris actum, Tomo VI. in 4. Spicilegii relatum qui Petri de Luna fautores afficit; at ejusdem concilii nonnulla, eaque maximi momenti fragmenta in Historia Anonyma Caroli VI. in Historia Universitatis Parisiorum, & in Collectione Probationum Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. D. Du-Chatenet hæc omnia monumenta collegit. Vide *Historiam Ecclesiæ Gallicanæ, Tom. XV. p. 261. & seq.*

Concilium Remense, an. 1408.

Guido Royus, archiepiscopus Remensis, hoc suæ provinciæ concilium habuit, Aprilis die 28. an. 1408. Præter convocationis Epistolam quæ omni ex parte subsistit, & aliqua rerum indicia, de quibus ibidem actum, servatus est nobis sermo qui in hujus cœtus inchoatione ipsa a cancellario Gersone pronuntiatus fuit super eo Evangelii textu: „ Bonus pastor animam (vitam) suam dat pro ovibus suis. “ Est hæc admodum ampla officiorum quæ sancto ministerio addicta sunt, explicatio. Ea redigit orator ad tria quæ sunt: institutio, bonum exemplum & sacramentorum administratio; superque hoc triplici rerum genere affert ad curiositatem æque atque ad utilitatem plurima, stilo tamen paulo nimium scholastico expressa.

In hujus cohortationis quæ cœtui probata fuerat, consecutionem, edita generatim quoad parœciarum visitationem servanda ratio. Universa expositio quam continet monumentum hoc, ad doctrinam apprime facit, formæque etiamnum loco episcopis esse posset quibus officia sua maxime cordi sunt. Ibi commendatur initio statim iis qui visitationem obeunt, ut id expendant,

dant, quod cujusque loci pastorem afficit; eine satis redditum sit; an congruum in modum domus & supellex eidem suppetant; an ipse regulis imbutus sit quæ in sacramentorum administratione, in divinorum officiorum celebratione, in censurarum absolutione, in christianæ doctrinæ explicatione servandæ sunt; an ita se gerat, ut aliis exemplo, supraque omnem exprobrationem sit, quod continentiam, temperantiam & in confessionis sigillo custodiendo fidem potissimum spectat; studeatne sanctum chrisma & sancta olea pro dignitate servare, baptismales fontes claudere, singulisque mensibus, atque adeo sæpius, tabernaculi hostias mutare.

Ait deinde institutio ad parœciæ statum cognoscendum referri animum oportere. Inquiri debet, an adsint excommunicati, hæretici, magiæ dediti homines, blasphemi, usurarii & adulteri publici; an præcepta festa & jejunia serventur; an edatur confessio saltem in Paschate; an decimæ accurate solvantur; an in ecclesia, ac dum sancta mysteria celebrantur, reverentiæ specimina exhibeantur. Additur, tamquam unum ex gravioribus visitationis capitibus, visitantem, eumve comitantes ecclesiasticos accedentium quorumque confessiones audire debere; id autem, ut remedium incommodis afferatur, quibus fidentiæ erga consuetos pastores vitium in pœnitentiæ sacramenti administratione, occasionem præbere posset.

Traditur dein reservatorum casuum accuratus index; & hi quidem propemodum iidem sunt ac qui in plerisque nostrarum diœceseon ritualibus libris indicti nunc temporis comperiuntur. Monent, hac oblata occasione, concilii patres e re esse, ut ampla facultas ad hujusmodi peccatorum absolutionem iis qui e parochis idonei comperti fuerint, concedatur; ac, si ejusmodi parochi desint, oportebit, inquiunt, in vicinia, presbyterum sæcularem aut regularem committi qui regionis veluti pœnitentiarius sit, & ad quem, re ita ferente, confugi possit.

Ad extremum, notantur hoc ipso in loco ad omnem exactæ sapientiam regulæ quarum ope simonia, censurarum contemptus, bonorum ecclesiæ direptio, pravorum ministrorum ingressus in ecclesiasticum statum & in sanctos ordines impediatur. Ad ipsum regularium regimen monita protenduntur. Optat concilium, ut prælati, visitationis tempore, inquirant, an religiosi mendicantes suis in sermonibus & in sacramentorum administratione cum circumspectione se gerant; an ob quædam peccata ad pœnitentiarium remittant; an e suggestu aut in parochos, sepulturas in parœcia, & decimas invehantur; an excommunicatos ad ecclesiæ officia non admittant; an non res parum serias in cathedra venditent, nec facilius acta quædam inter mortalia peccata referant. Ejusmodi reapse est synodica hæc institutio quæ ostendit in ea Remensi provincia bonum in votis fuisse, ejusdemque regionis episcopos contra rectas Ecclesiæ regulas præscribi passos non esse. *Amplissima Collect. Tom. VII. p.* 416. *& seq.* Mansi, *in Supplemento Conciliorum P. Labbei, Tom. III. pag.* 786. *& seq. Historia Ecclesiæ Gallicanæ, Tom. XV. pag.* 279. *& seq.*

Concilium Pisanum, *an.* 1409.

Proposita fuit concilio huic extinctio schismatis quod in Ecclesia coortum erat post Gregorii Papæ XI. mortem quæ Martii die 26. an. 1378. Romæ contigerat. Cardinales sexdecim Bartholomæum Prignanum, Beriensem archiepiscopum elegerunt qui Urbani VI. nomen sumpsit. At duodecim ex eorum numero cum paulo post prope Anagniam ac subinde Fundos se recepissent, edixerunt, obstricta jurisjurandi fide, Urbani VI. electionem, utpote vi factam, ex canonibus nullam esse; elegeruntque, 20. Septembris die ejusdem anni 1378. Robertum, Gebennensi Comitis fratrem, qui sibi Clementis VII. nomen imposuit. Urbano VI. successit Bonifacius IX. Bonifacio IX. Innocentius VII. & Innocentio VII. Gregorius XII. Clemens VII. successorem habuit Benedictum XIII. Erant ergo Gregorius XII. & Benedictus XIII. qui se Papas jactabant, Pisani concilii tempore, quod Martii die 25. an. 1409. in cathedrali Pisarum ecclesia inchoatum fuit. Ei adfuere cardinales viginti duo, patriarchæ quatuor, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus & Gradensis; in eodem conspecti archiepiscopi præsentes duodecim, & per procuratores, quatuordecim; episcopi octoginta, aliorumque ducentorum procuratores; octoginta septem abbates, aliorumque ducentorum procuratores; priores unus & quadraginta; Dominicanorum, Chordigerorum, Carmelitarum, Augustinianorum Generales; Rhodi magnus magister, commendatoribus sexdecim eum comitantibus, cum priore generali equitum Sancti Sepulcri; procurator generalis equitum Teutonicorum, magni magistri totiusque ordinis nomine; deputati universitatum Parisiensis, Tolosanæ, Aurelianensis, Andegavensis, Monspelliensis, Bononiensis, Florentinæ, Cracoviensis, Vindebonensis, Pragensis, Coloniensis, Oxoniensis, Cantabrigiensis, aliarumque nonnullarum; deputati quoque capitulorum ecclesiarum metropolitanarum & cathedralium centum & amplius; theologiæ jurisque canonici doctores ultra trecentos; oratores denique regum Galliæ, Angliæ, Lusitaniæ, Boemiæ, Siciliæ, Poloniæ & Cypri; Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, Lotharingiæ, Bavariæ, Pomeraniæ; Marchionis Brandeburgi; Landgravii Thuringiæ, ac fere omnium Germaniæ Principum.

Ad Alexandri Papæ V. electionem usque, cardinalis de Malescio, Prænestinus episcopus, concilii præsidis munus obiit. D. Lenfant cardinalem hunc ait e Gregorii XIII. obedientia fuisse; *Ostiensis episcopi* nomen gessisse, missamque, pontificalem in modum, in sessione prima celebrasse. Idem auctor eos etiam confutat qui cardinalem Vivariensem, Joannem de Brognerio, concilio præfuisse dicunt. Hæ totidem hallucinationes sunt. Cardinalis de Malescio semper e Clementis VII. & Benedicti XIII. obedientia ad Pisanum usque concilium fuit; is quidem appellabatur *cardinalis Pictaviensis* ob suum primum episcopatum, & *cardinalis Prænestinus*, sui tituli causa; nunquam vero *cardinalis Ostiensis*; nec sacrum fecit ipse, cum concilium patere cœpit, sed cardinalis de Tbury, nec ad sessionem primam, bene vero cardinalis de Brognerio; ac nemo dixit hunc posteriorem cardinalem Pisano concilio præfuisse.

I. SESSIO, *die* 26. *Martii*. Facta est concilii officiariorum electio; recitata fidei professio; statutæ cæremoniæ precesque usui futuræ in sessionibus singulis, hoc ex ordine. Post missam & sermonem, prælati, sericis induti cappis, albisque mitris capiti impositis, suum quisque locum sumebant; tum aliquæ antiphonæ canebantur, & diaconus qui missæ deservierat, universum cœtum monebat, ut omnes & singuli se prosternerent, orarentque ad momenta aliquot. Subsequebantur e vestigio litaniæ, ad quas prælati omnes flexis genibus mitrisque depositis respondebant; Deinde vero cardinalium-episcoporum unus orationes quasdam pro Ecclesiæ pace recitabat. Tum vero consurgebatur; & cardinalium diaconorum unus, dalmatica indutus, evangelium legebat; denique cardinalis episcopus præcinebat *Veni, creator*, hymnoque hoc absoluto, nonnullas præterea preces edebat; tum vero universæ cæremoniæ finem dabat diaconi monitum, ut nempe, quicunque aderant, se in pedes erigerent, & in sua se loca reciperent.

II. SESSIO, *die* 27. *Martii*. Jussere Patres, ut ad ecclesiæ fores appellarentur Petrus de Luna, & Angelus Corrarius, se Papas dictitantes, ut, adessent, nec ne, palam fieret; eorumque nomine nemo comparuit.

III. SESSIO, *die* 30. *Martii*. Iterum acciti concurrentes duo; cumque nemo comparuisset, declarati fuere contumaces, in causa fidei & schismatis, per sententiam quæ ecclesiæ foribus affixa fuit.

IV. SESSIO, *Aprilis die* 15. In hac ad colloquium admissi oratores Roberti Bavari qui se Romanorum regem jactabat, quique Gregorio XII. magnopere addictus erat. Episcopus electus Verdenensis, eorum unus qui ab eo principe missi fuerant, recusationis in concilium capita viginti duo publice proposuit; at cum sociis furtim, nec expectato responso, Aprilis die 21. recessit.

V. SESSIO, 24. *Aprilis die*. Contumaciæ rursus accusati contendentes duo; conciliique promotor in eosdem proponi jussit articulos triginta septem qui totam schismatis historiam continebant, ostendebantque, quam prava esset eorumdem causa. Nominati commissarii qui super his factis inquirerent, cum veritate, necne, congruerent, quamvis omnia notoria essent.

VI. SESSIO, *die* 30. *Aprilis*. Episcopus Salisburiensis, habito sermone, significavit, antequam longius procederetur, subtractionem generalem esse oportere; declaravitque sibi suisque confratribus esse potestatis satis, ut unionis negotium prosequerentur, &, quicquid a concilio mandatum esset, suo ipsorum consensu firmarent.

VII. SESSIO, *die* 4. *Maji*. Doctor Petrus de Ancharano, in Bononiensi universitate professor, omnes eorum propositiones, quos Robertus, Romanorum rex, miserat confutavit.

VIII. SESSIO. Episcopi Salisburiensis & Ebroicensis ostenderunt collegiorum duorum unionem fieri non posse, dum Benedicti cardinales eidem parerent, cæ-

teris Gregorium non agnoscentibus, & subtractionem generalem esse oportere. Declararunt proinde patres legitimam collegiorum duorum unionem, riteque convocatum concilium; editaque sententia pronuntiarunt unumquemque potuisse ac debuisse, se Gregorii & Benedicti obedientiæ subtrahere, postquam constiterat suis eos technis eludere cessionis viam, cui se instituros jurejurando promiserant.

IX. SESSIO, *die 17. Maji*. Lectum est superioris sessionis decretum cujus vi a contendentium duorum obedientia recessum est.

X. SESSIO, *die 22. Maji*. Acciti ad ecclesiæ januam contendentes duo, ut testium depositiones audirentur. Tum ex harum depositionum articulis triginta septem lecta pars, notatumque, quot testibus singuli probabantur.

XI. SESSIO, *die 23. Maji*. Continuata est eadem lectio, petitumque, ut concilium declararet, quicquid in ea narratione continebatur, verum, publicum & notorium esse; quod in sequenti sessione factum.

XII. SESSIO, *die 25. Maji*. Pronuntiatum concilii decretum super notorietate factorum quæ contra Benedictum & Gregorium exposita fuerant.

XIII. SESSIO; Doctor Petrus Plaoul, Parisiensis universitatis deputatorum unus, habito sermone, ostendit Petrum de Luna schismaticum pertinacem, atque adeo hæreticum esse, & pontificatu excidisse; addens hanc universitatum Parisiensis, Andegavensis, Aurelianensis, Tolosanæ sententiam esse. Novariæ deinde episcopus scriptum legit quod enuntiabat omnibus concilii doctoribus qui numero trecenti convenerant, ita prorsus, ut Parisiensi universitati, videri; in eumdemque modum Florentinam & Bononiensem universitates sentire.

XIV. SESSIO. Fuit hæc præparationis loco sessioni decimæ quintæ; in ea scilicet declaratum est ad concilium, utpote universam Ecclesiam repræsentans, hujus negotii cognitionem pertinere, quippe quod, ad hanc rem quod attinet, est omnis superioris in terris nescium. Subtractionis generalis a duorum contendentium obedientia actus editus.

XV. SESSIO, *die 5. Junii*. Pronuntiata est definitiva sententia coram cœtu populoque cui aditus concessus fuerat. Enuntiat sententia hæc sanctum universale concilium totam Ecclesiam repræsentans, ad quam spectat cognoscere & decidere de causa hac, postquam expendit, quicquid super Ecclesiæ unione actum fuerat, declarare Petrum de Luna, dictum Benedictum XIII. & Angelum Corrarium, appellatum Gregorium XII. esse ambos notorie schismaticos, schismatis fautores, hæreticos & perjurii reos; sua ipsos pertinacia toti Ecclesiæ scandalo esse; excidisse dignitate omni, & ab Ecclesia *ipso facto* sejunctos esse; idemque proinde concilium vetare fideles omnes, excommunicationis indicta pœna, ne eos agnoscant, iisve faveant; abrogare prorsusque rescindere quicquid iidem in eos gesserunt qui ad unionem incubuerunt, & cardinalium promotiones quas postremas ambo ediderunt, nullas & irritas pronuntiare.

XVI. SESSIO. Lectum est scriptum per quod Patres promittebant fore, ut si quis eorum in Papam electus esset, præsens concilium prosequeretur, usque eo dum Ecclesia in capite & in membris reformata esset; ac, si absens eligeretur, is quoque, antequam enuntiaretur ejusdem electio, hanc ipsam promissionem edere juberetur. Tum concilium sententiam in duos concurrentes pronuntiatam firmavit.

XVII. SESSIO. Convenit, ut cardinales ab arrogatis pontificibus, invicem sejunctis, creati, ad electionem, hac quidem vice, procederent, sub concilii actoritate, quin contenderetur cardinalium ad Papæ electionem juri per id derogari.

XVIII. SESSIO. Habita est solemnis processio, ut subsidia ad Papæ electionem necessaria a Deo peterentur; proinde, cardinales, numero viginti quatuor, conclave ingressi quod in archiepiscopatu paratum fuerat, cujusque custodia Rhodi magno-magistro demandata fuit, in eo, decem dierum spatio, conclusi manserunt, quibus elapsis, Petrum Cretensem, e Fratrum-Minorum ordine, Cardinalem Mediolanensem, septuaginta annos natum qui *Alexandri V.* nomen sumpsit, unanimi sententia elegerunt.

Cum Alexander electus esset, Joannes Gersonius, Parisiensis universitatis cancellarius, pronuntiavit, coram novo Papa universoque concilio, sermonem in quo sibi textus loco sumpsit ex Apostolorum Actis verba hæc: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel*. Pisani concilii validitatem ejusdemque auctoritatem probavit e Nicæni concilii exemplo quod ab uno Constantino coactum fuit, itemque ex œcumenico, a patribus ipsis congregato, concilio quinto. Papam hortatus est, ut suorum officiorum nulli se eximeret, atque, haud cunctatus, schismatis radicem, per acrem vividamque duorum concurrentium persecutionem, evelleret; in cleri, potissimum vero monachorum mendicantium relaxationem invectus est; de abusibus in beneficiorum collatione verba fecit; denique Papam & concilii patres hortatus est, ut ad Ecclesiæ reformationem ex animo incumberent.

XIX. SESSIO, *die prima Julii*. Huic Papa præfuit; ibique sermonem habuit super his S. Joannis verbis: *Fiet unum ovile & unus pastor*. In eadem lectum de ejus electione decretum; & ipse sequenti dominica die coronatus fuit.

XX. SESSIO. Lectum est, Papæ jussu, decretum quo is omnes matrimonii, aliasque ad pœnitentiariam spectantes dispensationes, a Benedicto & Gregorio concessas approbabat firmabatque.

XXI. SESSIO, *Julii die 27*. Enuntiatum est, Papæ & concilii jussu, decretum quod omnes dignitatum, & beneficiorum collationes, provisiones, translationes, omnesque ordinationes quas contendentes ediderant, confirmabat, dummodo canonice factæ essent, iisque exceptis quæ in unionis præjudicium factæ fuerant.

XXII. SESSIO, *7. Augusti die*. Lectum decretum quod metropolitanis mandabat, ut provincialia concilia cogerent, ordinumque generales jubebat sua habere capitula quibus Papæ nomine præsides essent; ceterum, Papa ratum habuit quicquid cardinales, a die 3. Maji an. 1408. gesserant statuerantque, quodque Pisis peculiariter actum erat. Adhibitus Ecclesiæ negotiis modus qui adhiberi per prudentiam poterat, ut mala quæ schisma intulerat, repararentur. Quoad Ecclesiæ reformationem in capite & in membris, Papa declaravit eam se suspendere ad proximum concilium usque, quod in an. 1412. indixit, cum eam in præsentia non posset ob plurium præsulum discessum perficere; deinde concilium dimisit, plenaria iis concessa indulgentia, qui ei adfuerant, quique eidem adhærebant.

Pisani concilii auctoritas etiamnum theologis controversiæ argumentum est. Illud nonnulli tamquam conciliabulum spectant, quia sine Papæ auctoritate congregatum fuit, auxitque schisma, nedum extinxit. Ex hoc numero sunt Sanctus Antoninus, 3. *Part. Chronic. tit. 22. cap. 5. §. II.* Cardinales Cajetanus & A Turre Cremata, Sanderus, Rainaldi, Clemangis, &c.

At in eos hujus concilii auctoritas & œcumenicitas invicte probatur; 1. quia Galliarum, Angliæ, Lusitaniæ, Germaniæ, Boemiæ, Pannoniæ, Poloniæ, Septentrionalium regnorum, &, maxima ex parte, Italiæ Ecclesiæ ejus validitatem agnoverunt; 2. quia Roma ipsa ei subdidit, illudque legitimum habuit, Alexandrum V. ab hoc concilio in Papam electum, ejusque successorem Joannem XXIII. agnoscens; 3. quia Pisanum hoc ipsum concilium a generali Constantiensi quod ejus consecutio & continuatio veluti quædam erat, approbatum fuit.

Rationes quibus Pisani concilii adversarii nituntur, nihil habent soliditatis. Respondetur ad primam, cum Gersone, in Tractatu, *de auferibilitate Papæ ab Ecclesia*, non unam esse facti speciem in qua Papa de medio tolli seu deponi juridice potest a generali concilio, universam Ecclesiam repræsentante, etiam ejus ingratiis ac sine ulla ejusdem culpa, & non sine causa, ut si is suis edendis functionibus impar evaderet; si ejus electionem canonicam esse non probaretur; si id ageretur, ut, hac ratione, Ecclesiæ pax aut ingentis populi redintegratio compararetur; si se ipse cessurum promisisset; hæc omnino erat Ecclesiæ ratio, schismatis conciliique Pisani tempore.

Quia certo sciri non poterat, quis, e pluribus contendentibus, verus Papa esset, Ecclesia usa est jure quo gaudet, ut, rebus ita se habentibus, coeat & Papam eligat quem omnes ad unum fideles agnoscere debeant. Nec refert Pisanum concilium non id assecutum esse, ut schisma extingueret; non ejus, sed pertinacium contendentium id culpa factum; ac dicamus, necesse est, cum Spondano, ad an. 1409. n. 18. „ actum „ esse in Pisano concilio, quicquid Schismatis tem„ pore fieri poterat; " cum Patre Alexandro: (*Tom. VIII. in fol. p.* 350.) „ schisma ab hoc conci„ lio, quoad fieri per illud potuit, extinctum fuis„ se; " cum Bossuetio, Meldensi episcopo: (*Defens. Cler. Gallic. Tom. II. p.* 23.) „ schisma, illud crudele „ monstrum quod Dei Ecclesiam vastabat, si minus „ in Pisano concilio exterminatum fuit, eo saltem „ ictu perculsum fuisse, qui ejus extremæ absolutæ

„ que

„ que in Constantiensi concilio extinctionis præludium „ fuit. " *Regum Tom. XXIX. Lab. Tom. XI. Hard. Tom. IX.*

Concilium Romanum, *an.* 1412. & 1413.

Joannes Papa XXIII. Alexandri V. successor, habuit contra Wicleffitas & Hussitas concilium hoc cujus extat in hos hæreticos decretum, die 2. Februarii an. 1413. datum. *ibidem*.

Concilium Londinense, *an.* 1413.

Thomas Walsinganus, archiepiscopus Cantuariensis, concilium hoc in S. Pauli Londinensis ecclesia congregavit, ut procederet ad damnationem cujusdam Joannis Oldeastelli qui patrocinabatur hæreticis *Lollardis* dictis qui se Wicleffitis addiderant, quique Henrici VIII. schisma pararunt. *Ibidem*, & *Anglic. Tom. III.*

Concilium Constantiense, *an.* 1414.

Alexander Papa V. in Pisano generali concilio mandaverat, ut triennio post concilium alterum haberetur. Illud Joannes XXIII. quoad formam, indixerat in urbe Roma, ac deinde prorogaverat, quin ejus certum statumque locum aut tempus significaret; at se a Ladislao, Neapolis rege, impetitum videns, præsidium apud Imperatorem Sigismundum sibi quæsivit; conjunctisque cum hoc principe consiliis, generale concilium in urbem Constantiam ad 28. Octobris diem an. 1414. convocavit. Causæ convocationis concilii erant schismatis exstirpatio, & fidelium sub uno eodemque pastore redintegratio, Ecclesiæ in capite & in membris reformatio, fidei denique contra Wicleffi, Joannis Hus & Hieronymi Pragensis errores confirmatio. Patuit concilium die 5. Novembris per processionem quam omnes, mitra capiti imposita, præsules, & Papa thiaram & omnia pontificiæ dignitatis ornamenta deferens, concelebrarunt. Absoluta processione, missam Spiritus Sancti summus Pontifex celebravit, in qua media procurator generalis Cluniacensis, *Joannes Vercellensis* nomine, super gravibus argumentis quæ concilium erant occupatura, sermonem habuit; tum vero cardinalis Florentinus declaravit, Papæ nomine, feria sexta in 16. Novembris diem incidente, primam sessionem fore.

I. SESSIO. Ei Papa præfuit, & orationem pronuntiavit. In eadem lecta convocationis bulla; nominatique qui in concilio officiariorum munere fungerentur, videlicet, decem notarii, concilii custos, auditores Rotæ, advocati quatuor, promotores seu procuratores duo, & cæremoniarum magistri quatuor. Lectus ibidem undecimi Toletani concilii, sub Adeodato Papa, an. 675. habiti canon qui decorum notat cujus in ejusmodi cœtibus habenda ratio.

In intervallo quod primam inter & alteram sessionem extitit, conjectus fuit in carcerem Joannes Hus, tametsi commeatu munitus esset; & inchoata in eumdem acta. Accusatores retulere in libellum ejus errores, eumque concilio exhibuerunt. Accusabatur is docuisse communionem sub duabus speciebus populo tribui oportere; in altaris sacramento, panem remanere panem post consecrationem; sacerdotes, in lethali peccato existentes, sacramenta administrare non posse; contra vero, quemlibet unum e multis, qui quidem in gratiæ statu sit, id facere posse; nec Papam nec clerum debere per Ecclesiam intelligi; Ecclesiam temporalia bona possidere non posse; eaque a sæcularibus dominis eidem adimi posse. Nominati commissarii qui ejus processum instruerent.

In hoc ipso intervallo, procerum, tam ecclesiasticorum quam sæcularium, plures advenere Constantiam, inter alios celebris Petrus Alliacus, cardinalis Cameracensis. Eodem pervenit imperator Sigismundus 24. Decembris die; postridie, diaconi habitu, missæ a Papa pontificalem in modum celebratæ adstitit, in eaque Evangelium cecinit quod ad primam, Dominici natalis die, missam pertinet.

Februarius mensis deputatos attulit quos Benedictus & Gregorius schismatis auctores, in Pisano concilio depositi, miserant. Habitæ congregationes plures; data est opera, ut Papa Joannes XXIII. ad pontificatum abdicandum permoveretur; captumque consilium, ut patres per nationes opinarentur; in eum finem, universum concilium in nationes quatuor, scilicet, Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & Angliæ tributum fuit; quibus deinde addita Hispanica natio, cum processus Petro de Luna editus fuit. Nominatus est e quaque natione certus deputatorum numerus, cum procuratoribus & notariis sub præside qui singulis mensibus mutabatur. Existebant hinc peculiaria veluti tribunalia ad quæ cujusque nationis deputati seorsim privatimque conveniebant, ut de rebus ad concilium deferendis deliberarent. Articuli de quibus ibi convenerat, ad nationum quinque generalem cœtum afferebantur; quod si quis articulus unanimi consensu approbatus erat, subscriptione firmabatur & obsignabatur in sessione proxima deferendus, ut auctoritate muniretur a toto concilio quod ei sane nunquam non acquiescebat. Itaque, cum habebatur aliqua sessio, nihil non jam conclusum erat, nec amplius id agebatur, ut super ejusmodi rebus singulorum opinio sumeretur; sed tantum, ut, quod a majore nationum numero statutum fuerat, firmaretur.

In harum congregationum una, oblata est gravissimarum in Papam criminationum nota, ad eumque missi qui ei persuaderent, ut suapte ipse sponte se pontificatu abdicaret; qui sane respondit id se facturum, si reliqui duo contendentes idem consilium caperent; at in dies distulit claram præcisamque suæ cessionis formulam exhibere. Interea Constantiam advenere Parisiensis universitatis deputati, quos inter primas agebat celebris Gerson, ejus universitatis cancellarius, eodemque tempore Caroli VI. regis orator.

II. SESSIO, *die* 2. *Martii*. Pronuntiavit in hac Papa præcisam formulam qua se pontificatu cessurum jurabat, siquidem ejus abdicatio schisma extinguere potuisset. Eam in acta retulerant concilii nationes triginta; at cum in congregatione quæ deinde habita, propositum esset, ut novus Papa daretur Ecclesiæ, Joannes XXIII. agesonem simulans Constantiam clam abiit & se Scaphausam recepit. Imperator perturbationem videns quam in animis excitaverat Papæ fuga, declaravit Joannis XXIII. secessum impedimento non fore, quominus concilium ad Ecclesiæ redintegrationem incumberet. Gerson, nationibus consentientibus, ad concilii supra Papam superioritatem statuendam sermonem habuit.

Sermo hic controversiæ origo fuit quæ tunc acriter agitata fuit, an supra Papam concilium sit, necne. Probavit Gerson Ecclesiam seu concilium potuisse & posse pluribus in casibus convenire sine expresso consensu aut jussu Papæ, quamvis is canonice electus fuisset atque e regulis viveret. Jam vero casus hi, hoc sane auctore judice, sunt, 1. si Papa accusatus & in causam tractus, ut Ecclesiam audiat, eam congregare pertinaciter renuat; 2. si de gravibus negotiis agatur ad Ecclesiæ regimen pertinentibus finiendisque in generali concilio quod Papa convocare nolit. Continet hic sermo propositiones duodecim quarum postrema est Ecclesiæ non suppetere adjumentum firmius efficaciusque, ut in suis omnibus partibus se ipsa reformet, quam generalium & provincialium conciliorum persecutionem.

III. SESSIO, *die* 25. *aut* 26. *Martii*. Cardinalis Florentinus declarationem in ea legit editam concilii nomine, per quam dicitur, 1. legitime congregatum esse concilium hoc; 2. idem Papæ secessu nequaquam dissolvi; nec ante separandum, quam extinctum schisma sit, & reformata, quoad fidem & mores, Ecclesia; 3. Papam Joannem XXIII. non translaturum ex urbe Constantia Romanam curiam ejusque ministros, nec eos adacturum, ut ipsum sequantur, nisi ob causam rationi consonam & a concilio approbatam; 4. omnes præsulum translationes, beneficiorum privationes, &c. ab hoc Papa post recessum editas, nullius valoris nulliusque ponderis fore.

IV. SESSIO, *die* 30. *Martii*. Interfuit huic Imperator. In ea cardinalis Florentinus legit articulos de quibus inter concilii patres convenerat. Præcipuum decretum enuntiat dictum Constantiæ concilium, Spiritus Sancti nomine legitime congregatum, conficiens generale concilium quod militantem Ecclesiam Catholicam repræsentat, accepisse proxime a Christo Domino potestatem cui omnes & singuli, cujuscunque conditionis & dignitatis, etiam papalis extiterint, obedire debent in iis quæ fidem, schismatis extinctionem, Ecclesiæque in capite & in membris reformationem spectant.

V. SESSIO, *prima Aprilis die*. Relecti in hac articuli qui in quarta sessione jam lecti fuerant, unanimique consensu, perinde prorsus ac cæterarum sessionum decreta, approbati fuere.

Gallicani cleri cœtus, an. 1682. habitus, qui per celebres articulos quatuor quos edidit, nitidam præclaramque Gallicanæ Ecclesiæ, super potestatum duarum, ecclesiasticæ ac temporalis auctoritate, doctrinæ declarationem exhibuit, sancti œcumenici Constantiensis concilii decretis quæ in quarta & quinta sessionibus continentur, utpote a sancta apostolica sede approbatis, totius Ecclesiæ & Romanorum Pontificum usu confirmatis,

matis, omnique ex tempore a Gallicana Ecclesia religiose servatis suam inviolatam adhæsionem, in eorum quatuor articulorum altero, declaravit.

Addit idem cœtus haud sibi eorum opinionem probari qui impetunt decreta hæc aut infirmant, ajentes eorum auctoritatem non probe statutam esse; iis approbationem deesse, eorumdemve dispositionem non nisi ad schismatis tempus referri, quandoquidem Basileæ, & quidem extincto jam schismate, confirmata sunt.

Conclusum, in hac sessione, imperatorem perficere posse, ut, quicunque, simulata veste, Constantia recedere voluisset, retineretur.

VI. SESSIO, *Aprilis die* 17. *& seq.* Huic quoque imperator adfuit. Acciri jussus Papa Joannes XXIII. ut ad concilium veniret, aut bullam ederet qua declararet non amplius se Papam esse; at ejus ad deputatos responsum ostendit ei nihil aliud consilii esse, quam ut, verba dans, concilium vana spe detineret. Tum vero patres in eum, tamquam in schismaticum hæreticumque notorium agere statuerunt. Lectæ fuere Parisiensis universitatis ad suos ipsos ad concilium & ad imperatorem deputatos litteræ quibus ea utrumque hortabatur, ut redintegrationis negotium, Papæ absentia nihil obstante, constanter prosequerentur.

In sextæ ad septimam intervallo, inter theologos extitere dissidia super ratione qua decretum, errorum Wicleffi damnationem enuntians efferri oporteret. Bene multi eos articulos, Papæ nomine, per concilii approbationem, damnatos volebant. Cæteri contendebant tantummodo concilii mentionem faciendam esse, quin Papa nominaretur. Petrus Alliacus, cardinalis Cameracensis, in hac posteriore sententia fuit, & jam tum monumentum concinnavit quo suam opinionem firmaret. In eo asserit, per solida rationum momenta; 1. errorem atque adeo hæresin esse contendere, quod adversarii faciunt, concilium nulla ipsum per se, sed solum per Papam qui ejus caput est, auctoritate pollere; hinc enim consequens fieret Pisano concilio nihil auctoritatis inesse, quippe quod a nullo Papa coactum fuerit; adeoque Joannem XXIII. male electum fuisse, propterea quod Alexandro V. quem illud ipsum concilium elegerat, successisset.

2. Pisanum ipsum concilium evidenter supra Papam fuisse, quandoquidem non unum tantummodo Papam sed duos deposuit, quod idem facere quodvis aliud generale concilium potest; ex quo infert aperte falsam eorum opinionem esse qui putant unum & unicum Papam in concilio decidendi jure gaudere; consulendi tantum jus penes concilium esse; Papam posse consilii opinionem seu deliberationem non sequi, cum Papæ sententiæ standum sit, quamvis ipse omnino contra ac concilium, sentiret; atque ut hujus opinionis falsitatem ostendat, asserit universam Ecclesiam, &, quod inde consequitur, concilium quod eam repræsentat, in fide nunquam errandi privilegium a Christo Domino, non a Papa accepisse; privilegium, inquam, quod Papa non obtinet, utpote qui errare potest. Gerson, *Oper. Tom. II. p.* 950.

VII. SESSIO, 2. *Maji die*. Accitur Joannes XXIII. ut compareat ipse per se, cum suis asseclis, intra dies novem, ab hæreseos, schismatis, simoniæ aliorumque plurium enormium criminum accusatione se purgaturus; secus fore, ut in eum procedatur. Animadversione dignum est Joannem XXIII. Constantia effugientem se Scaphusiam recepisse, illinc Lauffemburgum, illinc Friburgum in Brisgovia, illinc Brisacum, illinc Neuemburgum, & inde Brisacum rediisse. Actum est etiam, in hac sessione, de Hieronymi Pragensis negotio.

VIII. SESSIO, *die* 4. *Maji*. In hac ventum est ad damnationem errorum Wicleffi, qui articulis seu propositionibus quadraginta quinque quibus jam Parisiensis & Pragensis universitates censuræ notam inusserant, continebantur. Hic magna ex parte iidem sunt qui Joannis Hus, in sessione prima relati. Omnes articuli, perinde atque omnes libri Wicleffi, generatim & peculiariter, damnati sunt; at concilium necesse non esse credidit unumquemque singillatim articulum designari. Per illud porro tempus quod octavam inter & nonam sessionem interfuit, Joannes XXIII. Friburgi retentus fuit, Austriaci Ducis opera, ex condicto cum imperatore quicum pacem inierat.

IX. SESSIO, *die* 13. *Maji*. Rejecta est Joannis XXIII. propositio, qua nominabat cardinales tres qui concilio se sisterent, & ad accusationes in eum propositas responderent. Nominati cardinales duo & prælati quinque qui Papam semel, iterum ac tertio ad Ecclesiæ januam acciri juberent; cumque non comparuisset, editus est hujus in jus vocationis actus. Post hanc sessionem, convenere patres, ut testium in eum depositiones audirent. Accessere testes decem e quorum numero episcopi, abbates & doctores fuere.

X. SESSIO, *die* 14. *Maji*. Testium depositionem retulerunt commissarii. Post novas ad Joannem XXIII. in jus vocationes, peractisque proclamationibus tribus, & quia non comparuerat, eum synodus declaravit impetitum convictumque, qui Ecclesiæ per pravos mores scandalo fuisset; qui publice simoniam, beneficiis vendendis, exercuisset; & ut talem ab omnibus Papæ propriis functionibus, & ab omni tam spiritali quam temporali administratione suspendit, prohibitis omnibus Christifidelibus ei deinceps directe vel indirecte parere, secus, eam pœnam subituros, ut tamquam lautores schismatis punirentur. Accusationes continebant capita septuaginta, omnia & singula rite ac recte probata; at horum quinquaginta solum in pleno concilio lecta; scilicet ea tantum quæ Papæ simoniam, licentioris vitæ oblectamenta, vexationes, perjuria spectabant; suppressis iis quæ referri non sinebat pudor. Ad eum missa rerum notitia quæ in concilio gestæ fuerant; qui respondit se nihil habere quod iis opponeret quæ sibi exprobrabantur, conciliumque tamquam sanctum, falli que & fallere nescium agnoscere; eodemque tempore Sigillum, Piscatoris anulum, & Supplicationum Librum, quæ ab eo petita, tradidit; rogatumque concilium voluit, ut ejus sustentationis & honoris rationem haberet. Cum hæc sessio habita esset, Joannes XXIII. Ratocelsum, Sabaudiæ urbem, duabus leucis Constantia procul, ductus fuit.

XI. SESSIO. Hieronymus Pragensis concilio se sistit, retentus fuit & in carcerem trusus.

XII. SESSIO, *die* 29. *Maji*. Depositionis XXIII. lecta sententia quam universum concilium unanimi consensu approbavit.

XIII. SESSIO. Editum est super communione sub utraque specie decretum cujus hæc summa est: 1. tametsi Christus Dominus Eucharistiæ sacramentum, post cœnam, sub duabus panis & vini speciebus, instituerit, consuetudinem tamen ab Ecclesia approbatam tenuisse ac tenere sacramentum hoc nec post cœnam celebrari, nec a fidelibus qui jejuni non sint, suscipi debere, exceptis morbi, alteriusve necessitatis casibus, ex jure & ab Ecclesia admissis concessisque.

2. Quamvis, in primitiva Ecclesia, sacramentum hoc a fidelibus, sub utraque specie, susceptum fuerit, subsecutis tamen temporibus non nisi a sacerdotibus celebrantibus sub utraque, a laicis vero sub una tantum panis specie susceptum fuit, quia firmiter citraque omnem dubitationem credendum est totum Corpus & Sanguinem Christi Domini vere sub panis specie contineri. Quamobrem hic ab Ecclesia inductus usus habendus est legis loco, quam pro arbitratu, sine Ecclesiæ auctoritate rejici aut mutari non licet; ac, dicere hujus consuetudinis prosecutionem sacrilegam aut illicitam esse, est in errorem labi; quique pertinaciter contra sentiunt, tamquam hæretici repellendi graviterque puniendi, atque adeo sæculari brachio, si opus fuerit, tradendi sunt.

XIV. SESSIO. In hac, lecta decreta plura quorum primum neminem non vetabat, quicunque tandem esset, ad novi Papæ electionem, sine concilii deliberatione, procedere. Recepta est Gregorii XII. abdicatio quam is suo nomine a Carolo de Malatesta edi voluit. Accitus in jus Petrus de Luna, ut idem ageret; qui pertinaciter id recusavit, in suaque recusatione perstitit ad mortem usque, quæ in an. 1424. incidit.

XV. SESSIO. Finis impositus negotio Joannis Hus qui coactus in medium prodire. Concilii promotor petiit, ut articuli quos Joannes Hus in Boemiæ regno & alibi prædicaverat, docueratque, utpote hæretici, seditiosi, captiosi, pias aures offendentes, a concilio damnarentur, & libri e quibus iidem articuli deprompti erant, comburerentur. Articuli quinquaginta octo, e Wicleffi scriptis ducti, lecti fuere damnatique. Lecti quoque nonnulli ex articulis Joannis Hus qui se reum esse nunquam fateri voluit; adeoque concilium, cum eos omnes articulos damnavisset, eum ipsum damnavit, ut gradu dejiceretur & sæculari judicio relinqueretur; proinde, ventum est ad ejus degradationem, isque dein traditus sæculari brachio cujus jussu flammis addictus fuit. Concilium deinde hæreticam, scandalo obnoxiam, & seditiosam declaravit Joannis Parvi propositionem, nempe, tyrannum posse licite, & meritorium in modum, occidi ab ejus vassallorum & subditorum quolibet, etiam clandestine, per occultas insidias, per assentationes seu blanditias, promissione, jurejurando & fœdere cum eodem inito nihil obstante, quin ullius sententia mandatumve expectetur.

XVI. SESSIO. Nominati fuere deputati qui impe-

rato-

ratorem comitarentur qui in Provinciam ire volebat, ut cum Aragoniæ rege conferret qui Petro de Luna addictus erat, & hunc ad pontificatum abdicandum adigeret. Hac sessione habita, Hieronymi Pragensis negotium in examine positum fuit.

XVII. SESSIO. Imperator abeundi facultatem sibi a concilio petiit, jussæque preces, ut ejus iter e voto cederet.

XVIII. SESSIO. In hac, lata decreta plura, mandatumque, inter alia, ut eadem fide eademque observantia, concilii, qua sedis apostolicæ, genuinæ bullæ susciperentur.

XIX. SESSIO. Jussus est Hieronymus Pragensis articulorum Wicleffi & Joannis Hus revocationem edere. Lata sunt etiam statuta duo quorum unum Fratrum-Minorum regularem disciplinam, alterum commeatus hæreticis a sæcularibus potestatibus concessos spectabat.

XX. SESSIO. Actum est de dissidio Tridentinum Episcopum inter & Fridericum Austriæ Ducem qui eum episcopatu bonisque spoliaverat. Concessit concilium episcopo monitionem quæ ferebat excommunicationis in eos pœnam, qui hujus Episcopi bona retinerent. Post hanc sessionem, cœtus ad Ecclesiæ reformationem, & ad simoniam reprimendam habitus.

Per id temporis, Petrus de Luna (Benedictus XIII. nuncupatur) qui Constantiense concilium agnoscere nolebat, in Paniscolum oppidum, ad maris oram, recesserat, suamque pontificatus dimissionem edere pertinaciter recusabat. Ei tertio significatum est fore, ut, ni cederet, iis rationibus omnibus ageretur, quæ aptiores ad obtinendum schismatis finem judicarentur. Quicumque ei ad illud usque tempus adhæserant, perinde ac Ferdinandus, Aragoniæ rex, ejus obluctatione defatigatus, suum esse crediderunt se ejus obedientiæ subducere.

Habitæ congregationes plures super multiplici rerum genere, & peculiariter super Joannis Parvi negotio, quoad novem propositiones quarum damnationem Galliæ rex Carolus VI. sollicitabat.

Habita est alia super Hieronymi Pragensis negotio, quem suspicio erat haud ex animo palinodiam cecinisse. Jussus is in generali congregatione se in conspectum dare, audacter palinodiam suam improbavit, de Joanne Hus, tamquam de sancto quodam locutus est, edixitque se ejus æque ac Wicleffi doctrinæ mordicus adhærere.

XXI. SESSIO, *Maji die* 30. *an.* 1416. Hieronymum Pragensem audacius locutum hortati patres, ut palinodiam caneret; cumque in contumacia perstitisset, declaratus fuit, per concilii sententiam, hæreticus, relapsus, excommunicatus & anathematizatus; deinde vero sæculari brachio traditus, quo jubente, sortem subiit Joannis Hus.

XXII. SESSIO, 15. *Octobris die*. Hæc ad Aragonenses concilio addendos habita fuit; at cum hi concilium, antequam ipsi convocassent, agnoscere nollent, consuetæ cæremoniæ, non nisi unione & convocatione peractis, editæ fuere. Mandata executio conventionis Narbonensis mensis Decembris an. 1415. initæ inter reges dominosque e Benedicti XIII. obedientia, ex una parte, & Imperatorem Sigismundum, ex alia, concilii causa & nomine.

XXIII. SESSIO, *die* 5. *Novembris*. Nominati commissarii qui in Benedictum XIII. inquirerent, ex eo capite, quod schisma fovebat; editique accusationum in eumdem propositarum articuli.

XXIV. SESSIO. Accitus in jus Benedictus, ut intra duos menses ac dies decem concilio se sisteret.

XXV. SESSIO. In concilium recepti qui a Fuxiensi Comite missi fuerant.

XXVI. SESSIO. Recepti oratores Regis Navarræ iisdem formis ac cæteri.

XXVII. SESSIO, *die* 20. *Februarii an.* 1417. Huic Imperator qui redierat, interfuit. Declaratus contumax Fridericus, Austriæ dux qui Tridentini episcopi bonis potitus fuerat, eumque in carcere detinuerat.

XXVIII. SESSIO. Quia dux hic non comparuerat, declaratus fuit perduellis, perjurus, & ut ejusmodi, omni honore ac dignitate spoliatus, ullisve possidendis ineptus, tum ipse tum ejus descendentes ad secundam generationem usque, denique Imperatoris justitiæ traditus.

XXIX. SESSIO, *die* 8. *Martii*. Jussum est, ut Benedictus XIII. ad ecclesiæ fores, ter in jus vocaretur. Sumptus in id actus, lectaque in eum gesta.

XXX. SESSIO. Audita deputatorum narratio, qui ad Benedictum missi fuerant; quodque ad eos dederat responsum invictam ejus pertinaciam ostendebat.

XXXI. SESSIO, *Martii die* 30. Lecta decreta quatuor quæ libellos famosos interdicebant.

XXXII. SESSIO, *Kalend. April.* Iterum Benedictus, ad ecclesiæ fores, in jus accitus, ac deinde, sub nomine *Petri de Luna*, contumax declaratus.

XXXIII. SESSIO, 12. *Maji die*. Commissariorum in Benedictum audita relatio.

XXXIV. SESSIO, *die* 5. *Junii*. Continuata in Benedictum acta. Lectæ accusationes in eum editæ depositæque, earumdemque accusationum probationes.

XXXV. SESSIO, *die* 18. *Junii*. Huic imperator adfuit. Joannis, Castellæ & Legionis regis oratores exposuerunt in eadem causas quæ eos impulerant, ut Constantiam venirent. In ea Valleoletius, Dominicanus, super Ecclesiæ reformatione, sermonem habuit, in quo cleri depravationes; & imprimis simoniam, mirum in modum libere, exposuit.

XXXVI. SESSIO, *die* 22. *Julii*. Accitus rursus Petrus de Luna, ut definitivam sententiam in se pronuntiatam audiret.

XXXVII. SESSIO, *die* 26. *Julii*. In hac pronuntiata est depositionis in Benedictum sententia. Declaratur in ea Petrum de Luna, nuncupatum *Benedictum XIII.* fuisse & esse perjurum; universæ Ecclesiæ scandalo fuisse: fautorem esse schismatis & divisionis, quæ ex tam longo tempore dominantur; hominem omni titulo indignum, exclusumque in perpetuum ab omni ad papatum jure; &, ut talem, concilium eum gradu dejicit, deponit privatque suis omnibus dignitatibus officiisque; eum vetat se deinceps tamquam Papam spectare; prohibet Christianos omnes, cujuscumque tandem ordinis fuerint, ne ei obediant, eam, secus, pœnam subituri, ut habeantur tamquam fautores schismatis & hæreseos, &c. Approbata fuit a toto concilio sententia hæc, & in urbe Constantia publice affixa.

XXXVIII. SESSIO, *die* 28. *Julii*. Lectum est decretum quo concilium omnes Benedicti XIII. in oratores, consanguineos aut fœderatos Castellæ regis, sententias censurasque abolebat.

XXXIX. SESSIO, *die* 9. *Octobris*. Reformationis inchoatum opus quod patres penitus funditusque aggredi non nisi post Papæ electionem volebant. Edita fuere decreta plura. Versabatur in eo primum, ut enuntiaret concilia crebro haberi necesse esse, ut schisma & hæreses antevertantur. Concilium mandavit, ut alterum generale concilium, post annos ab hoc ipso quinque, celebraretur; tertium, post annos septem; ac, deinceps, unum decimo quoque anno, quibus in locis Papa, post cujusque concilii finem, e consensu & cum approbatione ejusdem concilii, celebrandum indiceret; si forte bellum aut pestis impedimento essent, Papa, cardinalibus consentientibus, alium locum sufficere posset, habendique concilii terminum anticipare, non autem protrahere. Spectat decretum alterum ad schismatis tempus, mandatque, ut, si forte duo contendentes extiterint, proximo anno concilium habeatur; & duo contendentes, statim atque inchoatum concilium fuerit, ab omni administratione suspensi sint. Tertium ad fidei professionem pertinet, quæ a Papa electo, coram electoribus, edenda erat; in hac professione continentur priora octo generalia concilia, scilicet, Nicænum primum; secundum Constantinopolitanum; tertium Ephesinum; quartum Chalcedonense; quintum & sextum, Constantinopolitana; septimum, Nicænum alterum; octavum Constantinopolitanum, præter generalia Laterani, Lugduni & Viennæ concilia. Decretum quartum, sine magna necessitate, episcoporum translationem prohibet, & mandat, ne quam unquam Papa, nisi ex cardinalium consilio & ad majorem suffragiorum numerum, edat.

XL. SESSIO, 30. *Octobris die*. Propositum est in ea decretum continens octodecim reformationis articulos qui sedulo ad trutinam vocati fuerant. Ibi pronuntiatur Papam futurum, ad cujus electionem continuo deveniendum est, Ecclesiam in capite & in membris, itemque Romanam curiam, ex condicto cum concilio aut cum nationum deputatis, reformaturum.

Horum articulorum præcipui sunt annatæ, sedis apostolicæ reservationes, beneficiorum collatio & gratiæ expectativæ, causæ quæ debent aut non debent ad Romanam curiam deferri, commendæ, casus in quibus Papa deponi potest, extirpatio simoniæ, dispensationes, indulgentiæ.

Vehementius a cardinalibus & nationibus agitatus fuit annatarum articulus; & ea nationum conclusio fuit oportere eas penitus supprimi quoad præteritum tempus, in præsentia & in posterum; ob eam potissimum causam quod solum per voluntariam & gratuitam oblationem inductæ fuerant quam edebant eorum nonnulli quorum electio confirmabatur; deinde vero per obductam consuetudinem in obligationem abierant. Sane de annatis nulla mentio nisi post Clementem V. qui, in Anglia, ad triennium annatas imposuit; at huic impo-

impositioni Parlamentum, seu senatus obstitit; ac tum quidem ea tamquam subsidium, non tamquam jus petebantur. Jus hoc tamquam summorum pontificum dignitati addictum primus spectavit Bonifacius IX. Carolus VI. ex quo Constantiense concilium congregatum fuit, id juris supprimere statuit.

Jam beneficiorum taxam quæ facta fuerat, simoniacam exactionem esse decisum fuit; &, quamvis exigi potuisset, e re tamen erat eam supprimi ob scandala & querelas quibus in dies singulos causam præbebat.

XLI. SESSIO. Mandavit concilium, hac vice tantum, ut prælati sex, intra dies decem, deligerentur, qui, cum cardinalibus, ad summi Pontificis electionem procederent. In hujus mandati consecutionem, electores, die prima Novembris, conclave subierunt quod a principibus duobus, cum Rhodi magno-magistro custoditum fuit; ac, triduo post, cardinalis Columna in Papam electus qui Martini V. nomen sumpsit; petentibusque, post coronationem, ab eo nationibus, ut ad reformationem incumberet quam post electionem promiserat, obstrictam fidem renovavit.

XLII. SESSIO. Huic præfuit novus Papa, adfuitque imperator. Nationes obtulere Papæ libellum ad reformationis negotium; at Martinus, earum sollicitationibus ad molestiam pressus, exhibuit reformationis formam super articulis octodecim in quadragesima sessione propositis.

Inter quadragesimam secundam & quadragesimam tertiam sessiones, Papa Bullam dedit ad Constantiensis concilii confirmationem. In Agenoaensi editione, an. 1500. spectatur hæc tamquam concilii ipsius bulla, cum verbis his: *Sacro approbante concilio*; cum in editionibus cæteris, Papa videatur ipse approbare concilium, quia in ejus fronte ita legitur: „ Epistola Martini V, qui errorum Wicleffi & Joannis Hus damnationem, a Constantiensi concilio pronuntiatam approbat. " Ut ut res habeat, hujus Bullæ primus articulus ex eo capite est animadversione dignus, quod Martinus V. eum qui de fide suspectus fuerit, jurare vult se omnia generalia concilia, &, peculiariter, Constantiense, universam Ecclesiam repræsentans recipere; jubetque præterea, ut, quicquid hoc postremum concilium approbavit damnavitque, id fideles omnes approbent & damnent; quod argumento est concilium hoc ab hoc Papa tamquam œcumenicum & universale spectatum esse; hujus enim concilii ipsius decisiones omnes a nemine non approbatas vult; approbat ergo concilii supra Papam, quam vocant, superioritatem, quoniam superioritas hæc, in sessione quinta, decisa fuit.

XLIII. SESSIO. Edita decreta nonnulla quibus exemptiones & dispensationes coarctabantur; damnata simonia; renovati canones super ecclesiasticorum in vestitu modestia, at reformationis capita cætera in medio relicta; scilicet, ex octodecim articulis quos quadragesimæ sessionis decretum complectebatur, quique futurum Papam ad Ecclesiam reformandam adigebant, sex tantum in ordinem redacti fuerunt in hac sessione quadragesima tertia, & Papa Cardinalium Romanæque curiæ reformationem elusit, quamvis eam concilium mandasset.

XLIV. SESSIO. In hac Papa Bullam legi jussit, per quam, ut faceret tricesimæ nonæ sessionis decreto satis, Ticinum urbem ad proximi concilii celebrationem, cum patrum consensu, nominabat.

XLV. & ultima SESSIO, *die* 22. *Aprilis an.* 1418. Post solemnem missam, Papa sermonem legit; & cardinalium unus, Papæ & concilii jussu, adsistentibus dixit: „ Domini, ite in pace. " Stetit concilium hoc annis tribus, quippe quod die 16. Novembris an. 1414. inchoatum fuerat.

Protestantes & quoad Gallos Ultramontani Constantiense concilium ex œcumenicorum albo expunxerunt, tametsi de causis aliis. Has nos referre necesse est, & ad eas respondere.

Constantiense concilium, inquiunt Protestantes, naturale jus, justitiæque & humanitatis leges violavit, tradens sæculari brachio Joannem Hus, ut flammis daretur, contra publicam fidem quam eidem obstrinxerat. Nonne evincit agendi ratio hæc Constantiense concilium œcumenicum & infallibile nunquam fuisse?

Ejusmodi est ad hanc difficultatem responsio, commeatum Joannis Hus non Constantiensis concilii, sed imperatoris Sigismundi fuisse, conciliumque haud putasse naturale jus a se violari, dum legum severitati tradidit Joannem Hus, quamvis imperatoris commeatu munitus esset; seu quia Joannes Hus Constantiam venerat, ut ibidem judicaretur, quemadmodum edixit ipse, Papa discedens, se scilicet, siquidem reus compertus esset, paratum esse pœnam in hæreticos latam subire; seu quia non contendit imperator ei publicam fidem præbere, nisi prout huic enuntiationi, Augusto mense an. 1414. editæ respondebat; seu quia Joannes Hus sui commeatus limites prætergressus est, dum sua dogmata, quibus primum diebus Constantiam advenerat, disseminavit, & in ipsa Constantiensi cathedrali ecclesia e suggestu diceret, quemadmodum in ejus Historia ab Hussitarum quodam scripta conspicitur; seu denique quia violavit ipse primus obstrictam fidem, studens se concilii vigilantiæ fuga subducere.

At concilium tamen hac occasione defecisse ponamus, quid tum postea? Id unum consequens fieret illud hac in re se male gessisse, nequaquam vero, in suis dogmaticis decisionibus aberrasse; adeoque, nihil hinc in ejus œcumenicitatem aut infallibilitatem, ut nuncupant, inferri poterit. Oecumenicis conciliis promisit Christus Dominus ea se suis in decisionibus infallibilia, non in agendi ratione impeccabilia redditurum; nec quæ gessere concilia hæc, sed eorum solum decreta & definitiones tamquam fidei & morum regula Christifidelibus proponuntur; jam vero certum sane exploratumque est Constantiense concilium non edidisse decretum ullum quo pravam fidem, injustitiam, crudelitatem firmaret, nihilque absonum, veritatique aut naturali juri contrarium sensisse vel docuisse.

Opponunt quidem nobis Protestantes decreta duo ex hujus concilii decima nona sessione deprompta quæ præposteris ejusmodi effatis auctoritatem afferre videntur; at sua monumentis his responsa non desunt; sunt autem ejusmodi.

Enuntiat decretum primum: „ commeatus hæreticis „ a Catholicis principibus concessos nulli detrimento „ Catholicæ fidei aut ecclesiasticæ jurisdictioni esse de- „ bere, nec impedire, quominus, qui iisdem muniti „ sunt, examinentur, judicentur, puniantur, prout „ justitia postulaverit, siquidem renuant errores suos „ revocare, tametsi in locum in quo judicandi sunt, „ solum commeatus fide nixi venerint, sine qua sci- „ licet eo se minime contulissent; nec necesse fore, „ in hac facti specie, ut qui iis securitatem pro- „ miserit, obstrictam fidem præstet, quocunque se vin- „ culo obstrinxerit, quia perfecit quicquid ab eo pen- „ debat. "

Per decretum alterum declarat Synodus: „ nullam „ (Joanni Hus) fidem, in Catholicæ fidei detrimen- „ tum, servandam fuisse; imperatorem, quoad hunc „ hæreticum, fecisse quicquid poterat atque adeo de- „ bebat, commeatu quem eidem concesserat, nihil ob- „ stante. " Vetat proinde concilium, ne quis hac in re seu concilium ipsum seu imperatorem obtrectet, alioquin ei pœnæ futurus obnoxius, ut fine remissione puniatur tamquam hæreseos fautor & læsæ majestatis reus.

Respondetur hoc posterius decretum in concilii actis quæ innotuere, ad Von-der-Hardt collectionem usque, non reperiri. Illud doctor hic ex Viennensis bibliothecæ manuscripto codice eduxit; at ex eorum genere fuerit, oportet, quæ proposita solum fuere, cujusmodi in Constantiensis concilii actis alia non desunt; quodque hujus rei probationi inservire potest, in eo sane nullum occurrit concilii *placet*, nulla scilicet episcoporum quos deputaverat, aut cardinalis Vivariensis qui præerat, approbatio; quæ quidem solemnis forma nulli prorsus ex definitionibus Constantiæ editis deest. Cæterum semper, seu ante, seu post Constantiense concilium, in Ecclesia creditum fuit fidem hæreticis servandam esse.

Primum porro decretum est ab altero longe aliud; est nempe solummodo de punitionibus intelligendum quas Ecclesia infligere potest, de spiritalibus pœnis scilicet, cujusmodi est excommunicatio. Id unum ergo ait decretum hoc sæcularis Principis commeatum non impedire, quin de hæresi accusatus examinari, judicari, puniri canonice ab ecclesiastico tribunali possit.

Quod si quis oppositionem urgeat, inquiens, e concilii sententia, & e decreti vi ipsa verbisque, commeatus hæreticis a principibus concessos non debere eos a pœnis, vel corporalibus, in tuto ponere, nec necesse fore, ut princeps qui quoad caput hoc securitatem promiserit, suis ipse promissis stet, quia id promisisset quod ab ipso non pendet; asseritur haud futurum fuisse, in hac ipsa facti specie, ut concilium aperte decideret licere fidem hæreticis frangere; quæ sane omnino falsa & societati maxime perniciosa decisio esset. Quid egerunt igitur in hac facti specie ipsi concilii patres? Nihil aliud egerunt quam tamquam veram posuerunt opinionem falsam, ac tum quidem in tribunalibus & in scholis vulgo receptam, ut Fleurius propugnat; videlicet, excommunicatum qui Ecclesiæ censu-

censuras spernit, eique resistit, & præsertim hæreticum pertinacem, omne jus ad id amittere, quod possidet; non debere præsidio frui quod civibus concedunt civiles leges; principem nec posse nec debere ullum ei patrocinium concedere; ac, si illud ei promisit, eum tamen promissa facere non oportere, quia id promisit quod ab eo pendebat, & quia animum obfirmans, ut eidem patrocinetur, eo demum ipse se redigit, ut tamquam hæreticorum fautor habeatur, omnique ad sua ipsius dominia suasque ditiones jure, per excommunicationem, spolietur. Jam vero, aliud est effatum falsum pro vero ponere, aliud id ipsum decidere. Posuit ergo Constantiense concilium, 1. per excommunicationem, eos qui eam perferunt, quin faciant Ecclesiæ satis, jure quod habent ad sua temporalia, spoliari; 2. principem non posse commeatum concedere qui pœnis eximat quas in pertinaces hæreticos leges statuerunt; atque id nimirum pro certo habens, declarat ejusmodi commeatus impedire non debere, quominus leges in pertinaces hæreticos executioni mandentur; at hæc duo capita non decidit, nec unquam id actum fuit in concilio, ut ea ipsa expenderentur, multoque minus tamquam dogmata proponerentur.

Ita quidem corruunt Protestantium contra Constantiensis concilii œcumenicam auctoritatem difficultates. Ad eas veniamus quas Ultramontani proponunt.

Constantiense concilium, saltem quoad priores sessiones quinque, inquiunt hi posteriores, œcumenicum haberi non potest, 1. quia nondum concilium nisi ex Joannis XXIII. obedientia constabat, aliorum vero pontificum duorum obedientiæ se solum deinceps concilio addiderunt; 2. quia nec ab Ecclesia recepta, nec a sancta sede confirmata fuerunt hujus concilii decreta.

At iis respondetur eas duas obedientias cum ea comparatas quæ a Joanne XXIII. stabat, admodum parvi momenti fuisse, earumque absentiam impedimento esse non potuisse, quominus Constantiense concilium œcumenica vi polleret, quia episcoporum in aliquibus provinciis, aut etiam regnis existentium absentia non impedit, quin concilium universalem Ecclesiam repræsentare, &, quod inde consequitur, *œcumenici* titulum mereri possit. Nec Joannes, Antiochenus patriarcha, nec ex ejus patriarchatu qui plures provincias continebat, ullus episcopus Ephesino concilio aderant, cum in eo Nestorii hæresis damnata fuit; neque vero Tridentini concilii sessionibus primis aut Germaniæ, aut aliarum plurium provinciarum episcopi intererant; nihilo tamen minus hæc duo concilia constanter œcumenica sunt. Ex alia parte, eæ obedientiæ duæ, Gregorii XII. una, Benedicti XIII. altera, cum se concilio addidissent, nedum sessionum quartæ & quintæ decretis reclamarunt, sed potius quoad rem ipsam ea confirmarunt, pronuntiantes in sessionibus vicesima, vicesima nona & quadragesima, summos pontifices debere decimo quoque anno generalia concilia cogere, ut ad schismatum & hæreseon exstirpationem, ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ unionem, & ad Ecclesiæ universæ in capite & in membris reformationem incumbere possent.

Ad Constantiensis porro concilii, quam late patet, per universam Ecclesiam acceptionem, ejusdemque per sanctam sedem confirmationem quod spectat, est hæc tam certa res, quam quod certissimum; etenim, 1. Martinus Papa V. qui non nisi post duarum obedientiarum redintegrationem electus fuit, suam super Constantiensis concilii auctoritate mentem aperuit in duabus contra editis Bullis, quarum utraque 22. Februarii dies an. 1418. adscripta est. Prima ad regionum plurium quibus Hussitæ inerant, episcopos & inquisitores missa, præter damnationem quadraginta quinque articulorum Wicleffi, & triginta propositionum Joannis Hus, plurium interrogationum formam continet quæ iis proponendæ præcipiebantur qui eam hæresin deserere voluissent. Inter eas interrogationes, una erat his verbis concepta: „ Credisne omnes fideles id „ tenere & approbare debere quod Constantiense con„ cilium, universalem Ecclesiam repræsentans, in fi„ dei gratiam & ad animarum salutem approbavit & „ approbat, itemque oportere eos habere pro damna„ tis ea quæ idem concilium tamquam fidei bonisque „ moribus contraria damnavit & damnat? " Altera Bulla congerit decreta omnia, seu a papa Joanne XXIII. in Romana Synodo, seu a Constantiensi concilio in Wicleffum, Joannem Hus & Hieronymum Pragensem edita; tum Martinus V. enuntiat, „ se, per aposto„ licam auctoritatem, suaque ipsius certa scientia, „ approbare & rata habere ea omnia statuta & de„ creta, &, quicquid in iisdem deesse posset, sup„ plere. "

2. Idem Papa, in postrema sessione, per authenticum actum, monumenti loco posteritati futurum, solemnibus verbis declaravit, „ se velle tenere & ser„ vare inviolate quicquid a Constantiensi concilio in „ fidei negotiis conciliariter decretum, conclusum & „ determinatum fuerat; se approbare & ratum ha„ bere quicquid item conciliariter in fidei negotiis „ actum fuerat, non autem quod aliter & alio mo„ do. "

3. Oecumenica concilia Senense & Basileense quæ Constantiense consecuta sunt, ejus omnia decreta approbarunt.

4. Pius II. in sua Bulla *Retractationis*, diei 26. Aprilis, &, ante eum, Eugenius IV. in suis an. 1447. ad Fridericum III. Romanorum regem litteris, approbarunt & ipsi, sine ulla prorsus exceptione, Constantiensis concilii decreta omnia. Vide Patris Alexandri super Constantiensi concilio Dissertationem, *Tom. VIII. in fol. Hist. Eccl. p.* 354. *& seq.*

Concilium Salzburgense, Salisburgense, an. 1420.

Eberhardus, archiepiscopus Salisburgensis & sanctæ sedis legatus, hoc suæ provinciæ concilium habuit ad disciplinæ restitutionem, quam prope funditus schisma deleverat. In eo confirmata complura statuta vetera, & nova edita triginta quatuor.

1. Declarat errorem esse docere parochum aut sacerdotem qui in lethalis peccati statu est, nec absolvere nec consecrare posse; nec verum esse episcopum aut parochum non posse sacerdotem a fornicationis crimine absolvere.

2. Provinciales & diœcesanas synodos, prout a sanctis canonibus mandatum est, habendas pronuntiat.

3. Consuetudines contra ecclesiarum libertatem statutas abrogat.

4. Mandat, ne quis ad sacros ordines admittatur, quin prius confessus fuerit.

6. Spurios a clero arcet.

7. Inferioribus judicibus prohibet, ne ad superiores appellationem impediant.

8 Parochis mandat, suis ut vicariis congruum redditum præbeant.

9. Vetat, ne interdicti sententia leviter ac præpostere pronuntietur.

10. Prælatorum officia explicat, docetque, quid suis in visitationibus iidem ob oculos habere debeant.

11. Privatorum sacellorum capellanos, quin se episcopo vel archidiacono subdiderint, ibidem celebrare vetat, jubetque ad synodos convenire.

12. Eos qui absolutiones per vim extorquent, absolutionis fructu privat.

13. Mandat, ne quis excusetur qui sui superioris mandatum executus non fuerit, prætexens bonorum jacturam aut incommodum corporale, nisi fuerit probata res; quoad præcepta vero quæ negativa dicuntur, nullam prorsus excusationem receptam vult.

14. Statuit, ut cessiones coram episcopo aut officiali fiant, postquam partes juraverint eas ex animo fore.

15. Eos in jus vocandi rationem tradit, quos quia timent parochi, vocare non audent.

16. Ad laicum tribunal clericos traduci vetat.

17. Canones super vestium in ecclesiasticis modestia editos renovat, & religiosos qui episcopi creati sunt, suum religionis habitum deferere prohibet.

18. Clericos concubinarios suis beneficiis privat, aliisque possidendis ineptos declarat.

19. Mandat, ut clerici qui beneficium obtinent, antequam ejus possessionem ineant, apud episcopum aut archidiaconum jurent se, ut illud obtinerent, simoniace nihil egisse.

20. Patronis & collatoribus beneficiorum prohibet, ne quid ex eis, quacunque tandem obducta causa, retineant.

21. Eos qui aliquid diripuerunt, nisi intra mensem restituant, excommunicatione plectit.

22. Eum qui terram oppignerat cujus causa gaudet patronatus jure, jus hoc ipsum non oppignerare declarat.

23. Clericis aliisque testandi libertatem relinquit.

24. Mandat, ut servitium semel pro archiepiscopo aut episcopo defunctis dicatur; pro primo quidem, in omnibus provinciæ episcopatibus; &, pro altero, in ejus diœceseos parœciis singulis.

25. Parochum vetat ejus qui ex ipsius parœcia non est, confessionem audire, eidemve sacramenta administrare, quin in id ab ejus proprio parocho veniam petierit & obtinuerit.

26. Eos privat patronatus jure qui ecclesias quarum patro-

patroni sunt, post ejus mortem qui eas possidebat, expoliant.

27. Sacerdotes primæ missæ die epulas præbere vetat.

28. Parochos jubet suos parochianos baptismi formam docere.

29. Actiones prohibet quæ super ecclesiis instituuntur.

30. Mandat, ut in cathedralibus & collegiatis ecclesiis, Constantiensis concilii in simoniacos constitutiones ter in anno edicantur.

31. Eos communione privat qui mortuos, interdicti tempore, in cœmeteriis sepulturæ dederint.

32. In Hussitas editum est.

33. Judæos cornutum pileum, & Judæas tintinnabulum ferre jubet, ut dignosci possint.

34. In luxum & ornamenta feminarum invehitur. *Lab. Tom. XXIX. Hard. Tom. XII. Reg. Tom. IX.*

Concilium Coloniense, an. 1423.

Theodoricus, archiepiscopus Coloniensis, habuit in sua provincia concilium hoc, in eoque constitutiones undecim edidit.

1. In clericos concubinarios lata.

2. In dominos qui suis subditis commercium cum ecclesiasticis interdicunt.

3. Officiarios jubet in appellationum causis servare commune jus.

4. Vetat, excommunicationis indicta pœna, ne consuetudines aboleantur quas fidelium pietas induxit.

5. Alios quam presbyteros nominari vetat, ut indulgentiarum præcones sint.

6. Canonicos cæteros clericos, ea statuta pœna, ut octo dierum spatio distributionibus priventur, dum officium celebratur, garrire vetat.

7. Parochis prohibet, ne monachos mendicantes sibi vicarios sumant, cum alios nancisci possunt.

8. Concubinarios publicos spectat.

9. Super Hussitarum & Wicleffistarum eversione versatur.

10. Mandat, ut æs campanum, ter continuo repetitis ictibus, ad meridiem singulis feriis sextis pulsetur, iisque indulgentiæ dies quadraginta concedit, qui, dum æs campanum pulsabitur, ter *Pater*, & ter *Ave, Maria*, in honorem mortis & passionis Domini Nostri, flexis genibus, recitaverint; eademque indulgentia conceditur recitantibus, quotidie, ter Angelicam Salutationem, *Ave, Maria*, mane ad æris campani sonum.

11. Præcipit celebrationem festi Compassionis Mariæ Virginis. *Ibidem.*

Concilium Parisiense, an. 1429.

Joannes de Nantonio, Senonensis archiepiscopus, Kalendis Martiis, hoc suæ provinciæ concilium habuit in quo edidit constitutionum articulos quadraginta qui ad hæc quinque præcipua capita referuntur.

1. Mandat, ut divinorum officiorum celebratio magis e regulis, & majore cum dignitate perficiatur; nulli frivoli sermones in ecclesia; nulli ludi qui quædam festa dedeceant; nulla, canonicarum horarum tempore, absentia; nulla ad præbendas plures in aliis ecclesiis sollicitudo, in residentiæ & fidelium ædificationis detrimentum.

2. Episcopi de nonnullis ex eorum officiis monentur. Dabunt operam, ut eos examini subdant, qui se præsentaverint, ut sanctos ordines suscipiant, aut parœcias possideant. Clericos super continentiæ voto prævenient quod subdiaconatui addictum est. Unius duorumque theologorum consilia ad suæ quisque diœcesis regimen sument. Ecclesiastici tribunalis officiariis invigilabunt, ne fraus aut vexatio in eorum muneris exercitationem irrepat. Denique Episcopi publice, atque adeo cum equo insident, suum ad cæremoniam pileum gestare debent; atque in ecclesia non prostabunt sine supparo, seu rocchetto supra talarem vestem, quæ nec ex heteromallo, nec ex bombycino damasceni operis panno erit.

3. Repetuntur, super religiosorum regimine, constitutionum pleræque quas Benedictus XII. summus Pontifex edidit. Itaque in vestitu modestia, regulæ executio, juniorum religiosorum institutio, ad idoneos parochos eligendos attentio, horum canonum argumenta sunt. Omnes e pecunia, vel e qualibet alia re stipulationes, ob ingressum in religionem, diserte prohibentur; at, post ingressum, si quid receptus dederit, id accipi non est vetitum.

4. Descenditur ad peculiaria capita super ecclesiasticorum secundi ordinis reformatione. Vetantur hi una cum laicis in cauponis versari, negotiationi vacare, suas vestes, publice pila ludendi causa, deserere, se studiosius ad temporis usum componere, talis ludere; imprimis incontinentia proscripta est; & commendatur episcopis, ut in eos sæviant qui hoc in capite rei fuerint.

5. Statuuntur articuli plures super agendi ratione a simplicibus fidelibus ineunda. Commendatur dominicorum festorumque dierum cultus, damnatur blasphemia, ecclesiastica justitia servatur, præcipitur decimarum solutio, matrimonia privatis in sacellis celebrandi mos, præterquam in quibusdam necessitatis casibus, interdicitur. Monentur parochi, suos ut parochianos ad confessionem quinquies in anno, præter Paschatis tempus, edendam hortentur, scilicet, in Dominici Natalis, Pentecostes, omnium Sanctorum, Assumptionis festos, & ad Quadragesimæ initium. *Ibid.*

Concilium Dertosanum, an. 1429.

Petrus, Cardinalis Fuxiensis, sanctæ Sedis legatus, hoc in Tarraconensi provincia concilium, ad schismatis extinctionem, habuit. Anti-papa Clemens VIII. in eo se abdicavit; agnitus Papa Martinus V. viginti præterea ibidem edita quoad disciplinam decreta.

1. Clericis beneficiariis, iisque omnibus qui in sacris ordinibus constituti sunt, in vestitu modestiam & simplicitatem commendat. Eos vetat vestes ferre, quibus acrior color insit, ut ruber aut viridis, quæve ex alia materie quam ex lana aut subtili texto constent. Neque vero easdem vestes æquo breviores aut longiores, vel armeniaco vellere, aliisve ejusmodi pellibus instructas esse, vel in anteriore parte, aut ad latera patere vult.

2. Carceris, omniumque beneficiorum privationis pœnam in clericos statuit qui in notorium concubinatum tertio reciderint.

3. Militarium ordinum religiosos equites quibus concubinæ sunt, publice communione privatos vult, iu eoque statu remanere, quoad bona fide & absque ulla fraude eas infames personas dimiserint.

4. Mandat, ut omnes clerici beneficiarii, quique in sacris ordinibus constituti fuerint, breviarium habeant; & ne quis diaconatu initietur, quin & ipse breviarium habeat, divinumque officium recitare sciat.

5. Vetat, ne quis ad sacros ordines evehatur, quin iis vere dignus sit, quo ipso tempore eos eidem conferri lubet.

6. Ecclesiasticos superiores perficere jubet, ut in compendium quod sex aut septem lectionibus explicari possit, redigatur quicquid a fideli populo credendum, petendum, agendum, vitandum, sperandum, denique timendum est; videlicet, articuli fidei, petitiones quæ in Oratione Dominica continentur, Dei præcepta, paradisi gloria & inferorum pœnæ.

7. Vetat, ne sacramenta privatis in domibus administrentur, neve ibidem missæ, ad nuptias, ad funera, ad secundas nuptias, seu ad novam, post matrimonii annos quinquaginta, nuptiarum benedictionem, celebrentur. Id nimirum significat vocabulum, *novinuptiis*, hoc in canone adhibitum.

8. Vetat, ne quod ecclesiasticum beneficium fundetur aut acceptetur, nisi ordinarius assentiatur, eique suppetat reddituum satis, ut presbyter ad ejus servitium nominatus subsistat. Ordinarium quoque vult, dum hoc beneficium approbabit & auctoritate donabit, nunquam non approbationi clausulam addere: *Salvis canonicis institutis, & auctoritate provide dispensantis*; subditque, in omissionis casu, censendum esse clausulam hanc appositam fuisse.

9. Ordinariis mandat, ut Neophytos qui, Judaismo aut Paganismo relictis, Christianam fidem amplexi sunt, operam dare jubeant, ut eorum filii, octavo a nativitate die, in ecclesia baptizentur.

10. Ordinariorum magnos vicarios aut præcipuos officiarios in sacris ordinibus constitutos vult, ea indicta pœna, ut acta, quæcunque sine conditione hac ediderint, nulla sint.

11. Mandat, ut clerici qui *familiaritatis litteras* fraudulenter a rege obtinuerint, priventur omnibus beneficiis, si quod habent; sin minus, ulli habendo ad triennium inepti sint.

Familiaritatis litteræ erant eæ litteræ quas quibusdam personis reges & principes concedebant, quæque efficiebant, ut hæ personæ quæ *familiares* appellabantur, e regum & principum qui eas concedebant, familia seu domo esse censerentur. Quia porro hæ litteræ secum trahebant privilegia quædam, quorum vi familiares a suis ordinariis superioribus non amplius pendebant; Dertonense concilium merito clericos punit qui

unt qui eas fraudulenter obtinent, ut sibi impunitatem comparent, suorumque superiorum correctionem eludant. *Familiaris* vocabulum adhuc in Italia perquam commune est, idemque significat ac *commensal* apud Gallos, at latiore quadam notione; ita enim patet, ut prælati domesticos eosque generatim omnes qui ejus servitio ac stipendiis addicti sunt, complectatur.

12. Mandat, ut edicatur Bonifacii Papæ VIII. Constitutio, *Qui, ut intelleximus*, in eos edita, qui, oppressionis specie, clericos ad sæcularia tribunalia pertrahere student.

13. Eos excommunicationis pœnæ subdit, qui procerum animos in Ecclesiam & in ejus libertates inflammant.

14. Divini Numinis & sanctæ Sedis ultionem monasticis superioribus minitatur qui negligunt suorum inferiorum flagitia corrigere.

15. Delegatos judices vetat sui officii fines prætergredi.

16. Excommunicationis, *ipso facto*, pœnam in eos pronuntiat qui quæstuari aut prædicare sine ordinarii, e scripto, venia ausi fuerint.

17. Eamdem pœnam pronuntiat in clericos aut religiosos qui audent Ecclesiæ prælatos, seu verbis seu scriptis, in infamiam adducere. Vetat etiam sæculares clericos a confessionibus esse, loci Ordinario non annuente, vel ab episcopalibus casibus absolvere sine episcopi litteris quæ hanc iis facultatem concedant. Religiosos præterea vetat sæcularium confessiones audire, nisi a suis superioribus præsentati ordinariis & ab his ipsis admissi fuerint.

18. Prælatos vetat bonis potiri de quibus religiosi aut clerici per testamentum dispofuerunt, e statutis aut consuetudinibus approbatis, dummodo prælatis his id reliquerint, quod secundum statuta aut consuetudines iisdem debetur.

19. Medicos, excommunicationis indicta pœna, prohibet, ne ægrotantem plus quam ter visitent, qui sui morbi tempore confessus non fuerit; mandatque ordinariis, ut, in suæ diœcesis seu territorii præcipuis ecclesiis, decretum hoc, quater in anno, enuntiari jubeant, videlicet, in Natali Domini, in Paschate, in Pentecoste, dieque Assumptionis B. Virginis.

20. Mandat, ut Clementina in Judæos & Saracenos servetur. *Ibidem* & *De Aguirre*, *Concil. Hispan. Tom. V.*

Concilium Narbonenense, *an.* 1430.

Habitum est, die 29. Maji an. 1430. hoc provinciale concilium, ut fieret querelis satis quas in archiepiscopi metropolitani sui ecclesiasticam curiam suffraganei episcopi proponebant. Aberat præsul hic. Ejus magnus vicarius hac occasione Castrensis episcopus fuit, præfuitque concilio. Suffraganei, quippe qui se a Narbonensi archiepiscopo læsos crederent, suam statim postulationem Castrensi episcopo, præsidi obtulerunt; ac bene multa actus hic exponebat læsionum capita quorum hæc præcipua erant: metropolis officialem admittere appellationis causas, antequam lata esset in ecclesiasticis episcopatuum curiis sententia, atque adeo antequam appellatum esset e juris regulis; quod de medio funditus episcoporum jurisdictionem tollebat, & criminosa diœcesanorum qui iisdem suberant, ausa fovebat; cœptum esse Narbone, appellationis specie, absolutionem *ad cautelam* tribui, quamvis fuerint ob notoria facta latæ censuræ; cum simpliciter judicandum sit, legitima ne an abusiva appellatio fuerit, ab ovo, quod ajunt, negotium repeti, quin illud ad diœcesanum officialem remittatur; cum vero remittitur, quamprimum, alterius appellationis specie, officialem metropolitanum rursus illud ad se trahere; statim ab interjecta appellatione, causis & ratione minime ponderatis, ad metropolis carceres, & quidem episcopi impensis, eos traduci, qui ex ordinarii in episcopatu judicis mandato capti sunt; non expectato judicio primi & præcipui officialis episcopi, foraneorum officialium appellationes Narbone recipi; per facinorum seriem in ordinariorum auctoritatem, episcopalis curiæ officiarios & diœcesanos cogi metropolitani judicis mandata exequi, expensas solvere, se extra diœcesin conferre, &c. in episcopalis dignitatis contemptum, mandata & sententias ad suffraganeos episcopos mitti, quin animo reputetur episcopos contentiosam ipsos per se justitiam non exercere, suosque iis officiales esse quibus ejusmodi acta significari debent; in matrimonii causis partes contendentes ad ordinarium, quemadmodum præcipiunt canones, non remitti; atque has fere injurias plerique e cœtus præsulibus deputatisque sibi illatas conquerebantur. Respondit ad hæc episcopus præses, facile fore Narbonensis archiepiscopi jurium judicem conquerentibus exhiberi, quo contenti esse possent; atque archiepiscopi procurator, exprobrationes singulas repetens, alias quidem falso congestas esse, alias vero non tamquam abusus, sed potius tamquam constantes approbatasque in ea metropoli consuetudines spectari posse contendit; cumque singula fusius explicanda sibi sumere vellet, episcopi de cœtus fine solliciti, ut ad Occitaniæ generales ordines se conferrent, conditione ab eodem oblata contenti fuere, ad dissidii conclusionem usque reclamarunt, & se ad Papam appellaturos minati sunt. *Ibid.*

Concilium Nannetense, *an.* 1431.

Philippus de Coetquisio, Turonensis archiepiscopus, hoc suæ provinciæ concilium habuit cujus suppetunt nobis aliquæ, & quidem prope eædem atque Andegavensis an. 1365. constitutiones. Causa exempli; jubentur ecclesiastici qui in Romana curia provisiones obtinuerint, suorum beneficiorum possessionem intra sex menses inire; itemque prælati sibi sacram Scripturam, mensæ tempore, lectam velle; & obsonia haud plura allata quam duo, nisi forte principes aut gradu præstantes viros excipere necesse habeant; nemo non prohibetur ulla a clericis jura ob mobilium rerum aut annonæ translationem exigere. In archidiaconos & archipresbyteros interdictio, ne quid sibi præterquam quod iis per canones adjudicatum est, ob id quod appellabatur *lecti jus*, post rectorum mortem attribuant. Vetitus ridicularum cæremoniarum usus, Kalend. Maji, postridie Paschatis, & fatuorum festo die. Prima die Maji, pro libertate extorquebatur ab iis pecunia, qui in lecto deprehensi fuerant. Postridie Paschatis, qui itidem cubantes comperiebantur, ad ecclesiam ducebantur, iisque baptisma veluti quoddam administrabatur. Postremum denique festum erat mimica larvatorum chorea quæ a Domini Natali incipiebat, & ad Innocentium usque festum diem perdurabat; ita induebantur puerorum nonnulli, ut eorum alii summos pontifices, alii cardinales, alii episcopos exhiberent; ipsaque Innocentium die, officium in collegiatis ecclesiis a chori pueris & ab infimo clero peragebatur. Totum id irreverentiis, scandalis & depravationibus infartum erat.

Editæ præterea, in Nannetensi concilio, constitutiones in pecuniarias vexationes ob censurarum absolutionem; in rumores ad scandalum absonos qui in secundis nuptiis (quod etiamnum *charivari* dicitur) edebantur; in concionatores qui super tabulatis in plateis publicis prædicabant; huic postremæ consuetudini, causæ loco, auditorum frequentia prætexebatur; at id in spectaculum ac theatralem actionem, ad divini verbi contemptum, degenerabat. Lobineau, *Historia Britannicæ*, *Tom. I. p.* 202. 204. 585. 586. Travers, *Historia compendiaria Nannetensium Episcoporum*, in *Tom. VII. Monum. Litter.* & *Hist.* apud Simartum, *II. Par. p.* 336. 360. 373. 391. P. Berthier, *Historia Ecclesiæ Gallicanæ*, *Tom. XVI. p.* 204. 205.

Concilium Basileense, *an.* 1431.

Martinus Papa V. ut tricesimæ nonæ Constantiensis concilii sessionis decreto faceret satis, quod mandabat, ut, quinquennio post Constantiense concilium, generale alterum haberetur, illud Ticini seu Papiæ indixit, qua in urbe, mense Majo an. 1423. apertum fuit; at, peste Ticino minitante, concilium Senas translatum Junii die 22. ibique apertum itidem 22. Augusti die, vel, ut alii numerant, 8. Novembris ejusdem an. 1423. Ibi nonnullæ sessiones habitæ, editumque in hæreses Constantiæ damnatas, in eosque decretum qui Wicleffistis & Hussitis suppetias ferrent. Per decretum aliud, actum est de Græcorum conciliatione quæ in aptius tempus remissa fuit; remissum est etiam reformationis negotium ad concilium quod Basileæ indictum, soluto Senensi, die 19. vel, ut alii volunt, 26 Februarii an. 1426. tum ob præsulum qui ibidem aderant, æquo minorem numerum, tum ob metum bellorum & conatuum Alphonsi, Aragoniæ regis, ad schisma instaurandum.

Aperiendo Basileensi concilio statuta erat dies 3. Martii an. 1431. at homo unus & unicus, ad sessiones inchoandas, ea die Basileæ extitit, scilicet Abbas de Vezelai, ex Augustodunensi in Burgundia diœcesi, qui ipsa die 3. Martii se stitit in cathedrali ecclesia, ut concilium inchoaret; quique, neminem nactus, postridie, coram ejus ecclesiæ canonicis, id quod pridie gesserat, in acta retulit. Successerat Eugenius Papa IV. Martino V. die 3. Martii, & Juliano Cæsarinio, cardinali Sancti Angeli dignitatem præsidis con-

cilii firmaverat; at, quia cardinalis hic erat etiam in Germania legatus, Joannem Polemarium, in canonico jure doctorem, & Joannem Ragusiensem, e Fratrum Prædicatorum ordine, doctorem in theologia facultatis Parisiensis, ut ipsius vices in concilio agerent, nominavit. Hi duo subdelegati aperuere concilium die 23. Julii, una cum abbate de Vezelai, Parisiensis universitatis deputatis, & Basileensium ecclesiasticorum nonnullis; at eorum cœtibus nondum tributum *sessionum* nomen. Cardinalis Sancti Angeli, cum, non Octobre solum mense, quod ait Fleurii continuator, sed ad medium Septembrem, Basileam pervenisset, omnes Christiani orbis archiepiscopos, per encyclicas litteras, ut ad concilium convenirent, hortatus est, iisdem præterea mandans, suis ut suffraganeis jussa hæc ipsa significarent. Suppetunt nobis ejus epistolæ in hanc rem duæ, quarum unam ad Renaudum Carnutensem, archiepiscopum Remensem, die 19. Septembris dedit, alteram ad regem Carolum VII. ejusdem mensis die 22. scripsit.

In hujus concilii convocatione spectabantur imprimis hæc: Ecclesiæ Græcæ cum Romana redintegratio, Hussitarum reductio, disciplinæ reformatio, & Christianorum principum conciliatio. Vix ad magna argumenta hæc admota manu, summus Pontifex Eugenius IV. ad cardinalem Sancti Angeli Bullam misit, in qua ei mandabat, ut, *quod concilii aderat Basileæ*, dissolveret, illudque, octodecim post mensibus, in urbe Bononia aperiendum remitteret; data est hæc Bulla die 12. Novembris, non autem 12. Februarii, ut conciliorum Collectores dicunt. Per alteram Bullam, 18. Decembris die, ad omnes fideles missam, declarabat Basileense concilium dissolutum & Bononiam translatum esse.

I. SESSIO. Id impedimento non fuit, quominus Basileense concilium, 14. Decembris die, suam primam sessionem haberet. Statutus fuerat in prodromis congregationibus, quoad expendenda & finienda negotia, per omne concilii tempus, servandus ordo. In eo distinctæ nationes ut in Constantiensi concilio, definitumque nationes, unam Italiæ, unam Galliæ, unam Germaniæ, Hispaniæ denique unam fore; mandatum præterea, ut in eumdem modum tribunal, *deputatio* nuncupatum, & ex personarum, seu præsulum, seu simplicium doctorum pari numero conflatum institueretur; ut unumquodque tribunal, seu deputatio peculiares seorsim cœtus haberet, non sine suis, præside, promotore & officiariis cæteris; ad hæc, ut personarum duodecim quarum tres e quaque deputatione, collegium crearetur judicaturum, digna ne quæ proponerentur, negotia essent, an vero ea rejici oporteret; ut, cum in deputationum una, e suffragiis pluribus, esset aliqua decisa res, eadem ad tribunal reliquarum deputationum trium deferretur; ut, post harum trium deputationum judicium, totius concilii præses eamdem quæstionem in generali cœtu proponeret qui singulis hebdomadis habendus erat; ut demum, si decisionem cœtus hic approbaret, ei tribueretur decreti vis, quod in proxima sessione solemnem in modum enuntiaretur.

In sessione prima quæ habita 14. Decembris die, cardinalis Julianus sermonem habuit in quo patres, ut puram sanctamque vitam agerent, sinceram mutuo charitatem foverent, & ad Ecclesiæ rem incumberent, hortatus est. Lectum Constantiensis concilii super conciliorum celebratione decretum, convocationis Bulla Martini V. per quam cardinalem Julianum Basileensis concilii præsidem nominabat, & Papæ Eugenii IV. super hac ipsa re, ad eumdem cardinalem Epistola. Convocationis concilii expositæ causæ sex; 1. ut hæreses extirparentur; 2. ut universus Christianus populus Catholicæ Ecclesiæ redintegraretur; 3. ut documenta super fidei veritatibus præberentur; 4. ut bella inter Christianos principes sedarentur; 5. ut Ecclesia in capite & in membris reformaretur; 6. ut, quoad fieri posset, vetus Ecclesiæ disciplina restitueretur. Instaurata Constantiensis concilii in eos decreta qui seu per occulta molimina, seu per apertam vim, concilium turbarent, itemque in eos qui, rationibus, cur id facerent, non expositis, ab eodem recederent. Denique, synodus decretum edidit enuntians sanctum Basileense concilium legitime congregatum esse, omnesque prælatos ad illud convenire debere.

In intervallo quod primam inter & alteram sessionem intersuit, cum exploratum esset id Eugenium Papam consilii cœpisse, ut concilium dissolveret, ad rationem qua id impediretur collata opera. Galliarum episcopi Bituricem convenerunt, & regi Carolo VII. exposuerunt, quia Basileæ legitime convocatum concilium erat, ei se supplicare, ut suos ad Papam oratores mitteret qui eum permoverunt, ut illud concilium prosequeretur, eamque ejus regni præsulibus veniam daret, ut eo se conferrent; quod iisdem concessum fuit.

II. SESSIO, *die* 15. *Februarii an.* 1432. In hac confirmata celebria decreta duo quæ in sessionibus quarta & quinta Constantiense concilium ediderat; & confecta fuere decreta duo. Per primum edicitur, synodum Sancti spiritus nomine congregatam quæ generale concilium constituit & militantem Ecclesiam repræsentat, suam proxime a Christo Domino potestatem habere, omninoque necesse esse, ut ei unusquisque, cujuscumque status & dignitatis fuerit, atque adeo Papa ipse in iis obediat quæ fidem, schismatis extirpationem, & generalem Ecclesiæ in capite & in membris reformationem spectant. In altero concilium declarat fore, ut, quicumque, ne Papa quidem excepto, hujus & cujusvis alterius generalis concilii sanctionibus & decretis obsequi recusaverint, cujuscumque dignitatis & conditionis extiterint, pœnitentiæ subdantur puniantur que. Editum fuit decretum hoc occasione nuntii quod allatum fuit Papam Eugenium ad concilii dissolutionem decretum tulisse, prætextentem Græcorum cum Latinis unionem non pati concilium præcipitari. In hanc ipsam rem cardinalis Julianus duos ad Papam Eugenium litteras dedit, ut eum adigeret, ne concilium dissolveret. Earum vero apostolicus stilus est, vi & libertate Christiana refertus, quæ in iisdem ubique viget eminetque. 1. Solide refellit obductam a Papa causam, Basileense concilium scilicet non esse legitimum; ei proinde significat de Basileensis concilii auctoritate dubitari non posse, quin eodem tempore Constantiensis quoque concilii auctoritas impugnetur, quia horum conciliorum unum ab altero pendet; de hujus posterioris auctoritate neminem dubitare; alioquin, Joannis XXIII. depositionem non fore canonicam, non item legitimas Romanorum pontificum subsecutas electiones, &, quod inde consequitur, ne ejus quidem electionem ipsam; 2. probat eum solvendi concilii potestate nequaquam pollere, quia Constantiense concilium definiit Papam generalis concilii decretis in rebus ad fidem, schismatis extinctionem, Ecclesiæque in capite & in membris reformationem spectantibus parere debere, ac proinde, cum concilium in his tribus capitibus Papæ superius sit, Eugenium debere in his ipsis capitibus seu casibus ei se subdere.

Concilii patres, cardinalis Juliani menti ac sententiis obsecundantes, synodicum responsum ad Papæ legatos dederunt, in quo eadem principia ponunt, solidisque rationibus fulciunt; 1. scilicet, ecclesiæ auctoritatem impugnare neminem posse; quicquid ea recipit, ab omnibus fidelibus esse recipiendum; eam unam & unicam infallibilitatis privilegio gaudere; adeoque eam unam & unicam posse leges ferre quæ omnes universim fideles obligent; 2. generalibus conciliis auctoritatem inesse ei prorsus æqualem qua pollet Ecclesia ipsa, quippe quæ Ecclesiam ipsam Catholicam repræsentant, tenentque suam potestatem proxime a Christo Domino, quemadmodum expressis verbis Constantiense concilium definiit; generalia proinde concilia esse fallere & falli nescia, quandoquidem sunt Ecclesia ipsa; 3. Papam, licet ministeriale caput Ecclesiæ sit, non esse tamen supra totum mysticum corpus, quia mysticum corpus hoc, vel quin habeatur Papæ ratio, in fidei rebus errare non potest, cum Papa, tametsi corporis hujus caput, errare possit; quod experientia compertum est. Præterea corpus hoc ipsum Papas erroris in fide convictos deposuit; at, e converso, Papa nunquam reliquum Ecclesiæ corpus damnavit aut anathemate perculit. Cum tamen harum rationum soliditas Eugenium non permoveret, quin in suscepta sententia persisteret, ut concilium solutum vellet, hoc ipsum concilium se debere credidit ejus auctoritati suam opponere.

III. SESSIO, *Aprilis die* 29. Enuntiat hæc inter alia, præsens concilium legitime congregatum, a Spiritu Sancto gubernatum, totaque generalis concilii auctoritate munitum commonere, rogare, obtestari & interpellare Papam Eugenium, ut omnino decretum revocet quod ad præsens dissolvendum concilium tulit, eique adsit ipse per se, intra menses tres, siquidem per valetudinem potest, aut ad illud personas mittat quibus ejus nomine agendi plena potestas sit; quod si facere forte neglexerit, concilium pronuntiat se Ecclesiæ necessitatibus provisurum, prout ei Spiritus Sanctus dictaverit, & acturum ex jure.

IV. SESSIO, 20. *Junii die*. Publica fides Boemis data qui ad concilium mitterentur, ut, quoti voluissent, ad illud accederent, dummodo infra ducentos essent; iisque concilium absolutam securitatem concessit, Epistola ad eos data, de consilio gratulandi causa,

quod

quod in urbe Egra ceperant, ut ad concilium deputarent; quod proxime conciliationis spem præbebat. Quoniam vero Papa Eugenius tum ægrotabat, edito concilium decreto statuit, 1. ut, si sanctam sedem vacare contingeret, cardinales non alibi quam in concilio ipso Papam eligerent; Papa, celebrationis concilii tempore, novos cardinales creare non posset, quia magnus eorum numerus Ecclesiæ gravis erat; ac, si quem creasset, creatio nulla declararetur; 2. ut nemo exemptus esset, quin ad concilium veniret, jusjurandum fidemve Papæ obstrictam prætexens; promissa hæc concilium nulla declarat.

V. SESSIO, *die 9. Augusti*. Instituti judices tres qui causas ad fidem spectantes, antequam definitivum judicium a judicio ferretur; tres item episcopi qui de omnibus causis ad concilium devolutis cognoscerent, iis exceptis quæ fidei essent. Per id temporis quod a sessione quinta ad sextam excurrit, habitæ sunt congregationes duæ; auditi quos Papa Eugenius miserat, legati quatuor. Tarentinus episcopus magnopere Papæ auctoritatem extulit, contenditque ad eum unum pertinere de conciliorum tempore, loco & celebratione statuere; Papam non posse Italiam deserere, nullumque non locum qui quidem ecclesiasticæ ditioni subesset, pro arbitratu exhibere. Responderunt ad hæc patres velle concilium legitime congregatum dissolvere; esse schisma in Ecclesia renovare velle; eos qui ita se gererent, contristare Spiritum Sanctum & a suo ipsorum corde eumdem expellere; unumque & unicum vinculum quod eum retinere potest, nempe charitatem disrumpere.

VI. SESSIO, *die 6. Septembris*. Quia Papa Eugenius nec bullam revocaverat quæ super concilii dissolutione versabatur, nec ipse per se, nec per procuratorem comparuerat; concilii promotores petierunt, ut, postquam ter ad ecclesiæ januam accitus esset, contumax declararetur.

VII. SESSIO, *6. Novembris die*. Renovatum decretum quod in sessione quarta editum fuerat, super Papæ electione, si forte sancta sedes vacaret, quodque enuntiat tum quidem haud eam cardinalibus veniam fore, ut, sine concilii consensu, ad novi Papæ electionem procederent.

VIII. SESSIO, *die 18. Decembris*. Convenit juridice in Papam agendum esse, ut contumax declararetur, & canonicæ pœnæ in eumdem adhiberentur; at ei concessa bimestris prorogatio, ut, quin diutius differret, suam dissolutionis bullam revocaret; secus fore, ut in eum, sine alia nova citatione, ageretur. Decretum editum quo patres declararunt, quoniam sancta & catholica Ecclesia una est, & articulus hic ad fidem pertinet, non posse nisi unum & unicum generale concilium, catholicam Ecclesiam repræsentans, haberi; adeoque, dum Basileæ concilium constiterit, aliud alibi congregari non posse; quemlibet alium cœtum conciliabulum & schisma fore, omnesque qui eo se conferrent, excommunicationem *ipso facto*, & beneficiorum jacturam subituros.

Qui ex Boemia Basileam deputati venerant, obtulere concilio, die 16. Januarii an. 1433. articulos quatuor per quos petebant, 1. ut sibi liberum esset eucharistiæ sacramentum, sub utraque panis & vini specie, tamquam ex utili consuetudine, omnibus fidelibus administrare; 2. ut omnia lethalia & præsertim publica peccata ab iis ad quos pertinet, ex Dei lege reprimantur, corrigantur & puniantur; 3. ut Dei verbum fideliter & libere a prælatis & diaconis qui huic officio idonei fuerint, enuntietur; 4. ut ne clero liceat, in gratiæ lege, ullam auctoritatem super bonis temporalibus exercere; tum declararunt sua omnia cum Catholicis dissidia ad quatuor hæc capita redigi; ac, si ea servare sinerentur, se quidem paratos esse se Ecclesiæ addere, omnibusque legitimis superioribus obedire. Hi quatuor articuli in peculiari congregatione ad examen vocati fuere, statuitque concilium deputatos in Boemiam mittere.

IX. SESSIO, *die 22. Januarii*. Concilium remunerari volens Sigismundi imperatoris erga se sollicitudinem studiumque, qui nempe suis omnibus subditis per patentes litteras significaverat se Basileense concilium in suum patrocinium recipere, nec passurum, ulla prorsus ratione, ejus auctoritatem aut libertatem lædi, declaravit, quicquid Papa in Sigismundum imperatorem ageret, nullum nulliusque momenti fore.

X. SESSIO, *die 17. Februarii*. Concilii promotores petierunt, ut Eugenius contumax declaretur, quippe qui obfirmato animo Bullam revocare nollet quam ad concilii dissolutionem ediderat. Ad deliberandum super hac re, temporis non nihil captum, novæ apud Eugenium sollicitationes adhibitæ; imperator Sigismundus Juliani cardinalis precibus suas addidit; cæteri principes & peculiariter Galliarum rex, patrocinii quod concilio concedebant, specimina præbuerunt.

XI. SESSIO, *die 27. Aprilis*. Statutum fuit, ut, si Papa negligeret, decimo quoque anno, concilium cogere, prout Constantiensis concilii in nona sessione decretum enuntiat, convocandi jus ad prælatos devolveretur, quin eos oporteret in id veniam a Papa petere, & quin id Papa ipse impedire posset. Declaratum quoque differendi concilii prohibitionem, a Constantiensi concilio pronuntiatam in hæc verba, *nullatenus prorogetur*, ita absolutam esse, ut Papam obliget; ac proinde concilium reapse coactum differri, transferri, intermitti a Papa non posse, nisi patrum duæ tertiæ partes in id consenserint. Hæc inter, Eugenius Papa legatos ad concilium mittere voluit, qui ejus nomine eidem præessent; at eos admittere concilium renuit, utpote quibus Eugenius plenam cum concilii patribus decidendi potestatem tribuerat; quod omnino patres ipsi pati noluerunt, quia id erat, ajebant, legatis aliquid contra concilii sententiam definiendi libertatem conferre, & quia legati veniebant novum potius concilium celebraturi, quam quod reapse habebatur, confirmaturi, quoniam Eugenius concilium, quod Basileæ habebatur, non agnoscebat; ex quo illud consequens foret concilium hoc hactenus legitimum non fuisse.

XII. SESSIO, *die 13. Julii*. Questum est concilium de Papæ mala fide, cujus agendi ratio, quemadmodum ferebatur, eo spectabat, ut conciliorum auctoritatem deprimeret; eum ergo, 1. per decretum, patres monuerunt, ut, intra sexaginta dies, initum concilii transferendi consilium revocaret, eam secus pœnam subiturus, ut tamquam contumax spectaretur; 2. renovarunt, itidem per decretum, electionum jus, ab Apostolis institutum, & a Nicæno concilio primo, in quarto & quinto canonibus confirmatum; prohibetur proinde Papa aliis reservationibus uti quam iis quæ in jure continentur, quæque ad terras a Romana Ecclesia pendentes pertinent; quia, multiplicatis in dies singulos reservationibus, electiones tandem ad nihilum redigerentur. Iis qui eligendi jure gaudent, decretum mandat, ut eos tantum eligant, qui ecclesiasticas dignitates replere valeant, qui, scilicet, provecta ætate, bonis moribus, in sacris ordinibus constituti sint; & simoniacæ electiones interdicuntur, nullæ declarantur, quique eas ediderint, eligendi jure privantur. Hortatur concilium principes, ne suam existimationem in electionibus interponant, aut libertati noceant quæ in iis dominari debet. Irritatus Eugenius Papa abrogavit, per Bullam, decreta omnia quæ concilium in eumdem tulerat, & peculiariter hujus sessionis decretum primum; edi jussit, suo nomine, litteras ad omnes fideles missas, quas tamen deinde improbavit. Ajebat in iis, si quando Papam inter & concilium super aliqua re non conveniat, Papæ esse legem imponere, quippe qui supra concilia potestate polleat, nisi id agatur, ut aliquod fidei caput determinetur, aut nisi periculum subsit, ne, quia minime fieret, quidquid mandatum esset, totus Ecclesiæ status turbetur; in qua facti specie, potius concilii sententiæ standum esset; Basileenses patres in errore versari, qui, omnibus in rebus, se supra Papam esse censerent; opinionem hanc hæresin esse.

XIII. SESSIO, *11. Septembris die*. Promotores petierunt, ut, quandoquidem duorum mensium terminus Papæ concessus ad finem vergebat, Eugenius contumax declararetur; verum ad Bavari Ducis preces, imperatoris nomine, alii triginta dies eidem concessi.

XIV. SESSIO, *7. Novembris die*. Imperator Sigismundus huic ipse adfuit. Nova trium mensium prorogatio Papæ concessa, ea conditione, ut, intra id temporis, concilio adhæreret, &, quicquid, tam ut illud dissolveret transferretque, quam contra duodecimæ sessionis decretum egerat, revocaret, & quidem per actum qui probe enucleatus, omnisque ambiguitatis expers esset. Hoc consilio, editæ formæ tres ad quas Papa hanc revocationem exigeret.

XV. SESSIO. Hæc quoque, imperatore præsente, habita. In ea editæ ad provincialium conciliorum convocationem constitutiones plures; mandatum scilicet, ut bis, aut saltem semel, annis singulis cogerentur; in iis ederetur ad omnes adsistentes cohortatio, ut vitam sui status sanctitati consonam agerent, ut populum dominicis festisque diebus singulis edocerent, ut Synodalia, super administrandorum sacramentorum ratione, statuta legerent; mandatum præterea, ut de cleri vita & moribus inquireretur, &c.

Quia Papa Eugenius, imperatore sollicitante, promiserat fore, ut se ipse Basileensibus patribus adderet, dummodo, quicquid in eum egerant, revocarent, ejus

ejus bonis animi præparationibus uti libuit. Ergo Galliarum regis & Burgundiæ ducis oratores ad eum missi qui propositam compositionem ad exitum perducerent; adeoque Papa selegit cardinales quatuor qui una cum cardinali Juliano concilio præessent; bullas quas ad concilii dissolutionem emiserat, revocavit, aliamque edidit formulæ quam concilium ad eum miserat, consentaneam. Enuntiabat hæc eum, tametsi Basileense concilium legitime congregatum abolevisset, nihilominus, ad gravia quæ suborta erant, evitanda dissidia, declarare concilium jam inde ab exordio legitime continuatum fuisse & in posterum continuari debere; illud approbare eique favere quoad ea quæ mandaverat & definierat, ac declarare, quam ipse fecerat ejusdem dissolutionem, nullam esse. Id agens Papa, inquit Bossuetius, Basileensi concilio, universæque quam concilium repræsentabat, Ecclesiæ, honorem præstitit; in eumdemque modum, illud supra se posuit, siquidem, in observantiæ erga ejus mandata argumentum, decreta revocavit quæ cum tota suæ sedis auctoritate protulerat.

XVI. SESSIO, *die 5. Februarii an.* 1434. Lectæ, coram imperatore, Eugenii ad concilii approbationem revocatio, ejusque quam perficere voluerat, dissolutionis revocatio. Aprilis die 24. ad Eugenii Papæ legatos concilii corpori addendos habita congregatio.

XVII. SESSIO, *Aprili die* 26. Legati jurare jussi se, ad concilii gloriam comparandam, studium & operam ex animo collaturos, ejusque decreta servaturos, eaque potissimum quæ ad Constantiensis concilii sessiones quartam & quintam pertinebant. Declaratum est haud fore, ut in præsides reciperentur, nisi ea conditione, ut solum auctoritate a concilio pendente gauderent, absque ulla coactiva jurisdictione, suasque conclusiones, prout a concilio decisum esset, pronuntiare deberent; editumque decretum enuntians fore, ut, si forte legati, quod a quatuor deputationibus definitum esset, id & ipsi statuere nollent, concludendi jus ad eum ex episcopis devolveretur qui præsidi proximus assideret, ob eam causam, quod generalis concilii leges auctoritatem non aliunde quam a concilio ipso mutuantur; quodque jus quo Papæ legati gaudent, ut conciliis præsint, in iisque pronuntient, mere honorarium est.

Consuli potest, super hoc argumento, P. Alexander in sua octava super Basileensi concilio Dissertatione, in qua demonstrat, tametsi Papa in conciliis majore quam quivis alius, auctoritate polleat, quippe qui iis ipse per se, per suosve legatos præest, explicat in iis decreta, horumque executionem præcipit; non proinde tamen consequens fieri œcumenici concilii auctoritatem ita ab ea pendere qua Papa pollet, ut ejus ipse decreta, pleno jure, mutare & abrogare possit; eum quidem certe primum concurrere, at ejusdem auctoritatem non nisi per cæterorum omnium concilii membrorum consensum, robore vique pollere; ac definitionum vim ipsam non a supremo pontifice derivari, sed ab omnium, ejus nempe & cæterorum consensu pendere; &, quemadmodum Papa S. Leo in sua ad Chalcedonensis concilii patres Epistola profitetur, quæ Cardinalis Cusani sententia est.

XVIII. SESSIO, *die 26. Junii*. Huic imperator non adfuit; Basileam scilicet urbem deseruerat. Instaurata quartæ & quintæ Constantiensis concilii sessionum decreta. Joannes, Antiochenus patriarcha, quoddam concilio scriptum obtulit eo spectans, ut generalium conciliorum auctoritatem, eorumque supra Papas superioritatem statueret.

XIX. SESSIO, *7. Septembris die*. Græci oratores quos imperator Joannes Paleologus miserat, huic adfuere. Actum est de negotiis pluribus quæ eos afficiebant; proposita multiplex concilii ex duabus Ecclesiis habendi ratio; decisum, ut legati Constantinopolim mitterentur, qui Græcos adigerent, ut urbem Basileam acceptarent; decretum editum, ordinarios hortandi causa, ut idoneos viros mitterent ad Dei verbum in locis nuntiandum in quibus Judæi & Infideles existerent; statutumque, ut, in hanc rem, duo in singulis universitatibus hebraicæ, arabicæ, græcæ & chaldaicæ linguarum professores adessent.

XX. SESSIO, *die 23. Januarii an.* 1435. Habita fuit ex Ecclesiæ in capite & in membris reformationis consilio. Editum est in cleri incontinentiam, videlicet, in publicos concubinarios decretum; enuntiat hoc fore, ut suorum beneficiorum fructibus priventur ad menses tres; si parere noluerint, ulli beneficio possidendo impares declarentur; si, post exhibita resipiscentiæ specimina, restituti reciderint, ecclesiasticis dignitatibus inepti, absque regressus spe, declarentur. Decretum alterum super excommunicatis versatum est. Non est tamquam talis vitandus, inquit concilium, vel in sacramentorum administratione, quispiam, ecclesiasticarum quarundam sententiarum seu censurarum prætexta specie, cum hæ quidem generatim solummodo latæ sunt; ac nisi ejusmodi censura seu sententia nominatim & peculiariter in certam personam lata sit, & a competenti judice pronuntiata, denique peculiariter significata.

XXI. SESSIO, *die 9. Junii*. Editum est in annatas decretum; quarum origo non alius quam ad Clementem V. ascendit. Mandat concilium, ut, quod, in Romana curia, electionum, provisionis, collationis & præsentationis ad laicos pertinentium confirmationem, ecclesiarumque cathedralium & metropolitanarum, dignitatum & beneficiorum ecclesiasticorum investituram spectat, nulla retributio ob bullas, sigillum, annatas communes, cujuscunque consuetudinis aut privilegii specie, exigatur; uno verbo, concilium, sub pœnis in simoniacos præscriptis, annatas omnino vetat; atque adeo hanc clausulam addit: si, quod Deus avertat, Romanus pontifex qui ad perficienda & servanda generalium conciliorum statuta cæteris exemplo præire debet, Ecclesiæ, contra præsens mandatum aliquid agens, scandalo esset, eum ad generale concilium deferri oporteret.

Animadvertendum est editum fuisse decretum hoc, quo tempore generale concilium erat, iis ipsis fatentibus qui maxime eidem repugnant. Concilio significationes super hac re factas voluit Eugenius, edixitque se consensurum, ut annatæ abolerentur, si concilium sanctæ sedis necessitatibus consulere voluisset. Legatis respondit cardinalis Julianus, veteres pontifices magna charitatis opera, quin ullum proventum ei qui annatarum est, parem perciperent, edidisse; conciliumque sanctæ sedis rationibus provisurum, si Papa, quod in eo erat, ejus decreta servare vellet; porro in annatas decretum non alio referri, quam ut simonia eliminaretur. Tertium decretum fuit *de pacificis Possessoribus*. Enuntiat hoc eos qui beneficii, ad triennium, pacifici possessores fuere, postquam per legitimum titulum in illud ingressi sunt, in sua possessione turbari non posse. Hæc in beneficii negotio legitima præscriptio est, quæ quidem a Basileensi concilio in Pragmaticam & Concordatum migravit, & triennalis possessoris regulam effecit. At possessio, ut hunc effectum sortiatur, debet, 1. colorato titulo niti, quem scilicet is contulerit, qui potestate gaudet, & quin vitii quicquam appareat; 2. continuata esse in eadem persona; 3. pacifica esse, quin ulla extiterit judiciaria intermissio, per contestationem in causa, nisi contendentem vis major, quin ageret, impedierit. Decretum quartum ad divinum officium spectavit. Concilium vult illud horis congruis, & per æris campani sonum innotescentibus, celebrari, concini graviter, decenter, edita, potissimum ad cujusque versiculi dimidium, pausa, &c. Confecta fuere super eodem negotio decreta plura, & peculiariter super modestia qua ecclesiastici divinum servitium celebrare debent.

XXII. SESSIO, 15. *Octobris die*. Damnatus liber a Religioso Augustiniano confectus, qui nonnullas propositiones ediderat in quo humanæ in Christo naturæ ea tribuebat quæ divinæ tantum conveniunt.

XXIII. SESSIO, *die 25. Martii an.* 1436. Plures editæ super summi pontificis electione ejusdemque fidei professione constitutiones. Concilium, ut Constantiensis, quoad cardinales, articulos exequeretur, eorum numerum viginti quatuor redegit, ne quid incommodi ob eorumdem æquo majorem copiam Ecclesia subiret; electionibus modum statuit, eas volens liberas fore. Omnes expectativas dictas, gratia, mandata & reservationes beneficiorum quæ Romani pontifices suo ipsorum emolumento addicebant, nulla declaravit. Hanc scilicet beneficiis in antecessum providendi rationem, itemque has anticipatas gratias Basileense Concilium proscribere voluit. Omnes hæ leges, canonica forma, editæ, in plenaque sessione enuntiatæ fuere.

XXIV. SESSIO, *die 14. Aprilis*. Legati duo sollicitarunt, Eugenii nomine, concilii patres, ut locum ad concilium quamprimum eligerent; dixeruntque, ut de hujus loci delecta cum eo consentirent, ipsum promittere, se ad sumptus Græcorum imperatori, totique ejus comitatui suppeditandos, de suo, scutorum millia sexaginta contributurum. De decreto quoad electiones & annatas acerbe conquesti sunt; at patres responderunt illud via & ordine factum esse.

Vicesimam quartam inter & vicesimam quintam sessiones, habita congregatio cui præsules ad tercentos usque quinquaginta septem, inquit Abbas Panormitanus, in sua hujus concilii Historia, interfuerunt; & in qua constitit e scrutinio duas & amplius suffragio-

rum

rum tertias partes ab ea ſtare ſententia, ut concilium Baſileæ haberetur, modo Græcis ita placeret; ſi minus, daretur opera, ut ad Avenionem urbem approbandam permoverentur, aut, ad extremum, res ad Sabaudiam redigeretur, qui locorum unus erat quem Græci ipſi propoſuerant. Itaque ad Eugenium Papam miſit concilium deputatos duos qui vehementer eum obſecrant, ut operam conferret ad magnum hoc opus perficiendum, Græcorum redintegrationem ſcilicet, per quam extrema œcumenico concilio manus imponeretur. Cum Romam perveniſſent deputati, Papam obteſtati ſunt, ut ad concilium veniret ipſe per ſe, ubi ex condicto ad indulgentiarum expeditionem, decimarumque impoſitionem, per quas neceſſariis ſumptibus ſubveniretur, incumberet; at renuit Eugenius ſuper his petitionibus Bullas edere.

Ex alia parte, Papæ legatis id erat conſilii, ſuis ut conatibus concilii patres diſcinderent, eorumque majorem partem ad petendum traherent, ut concilium ad Græcorum reductionem, Florentiæ, Mutinæ, vel in alia Italiæ urbe, non autem in locorum ullo quæ propoſita fuerant, & in quibus poteſtatis ad dominandum haud ſatis Papæ ſuppeteret, haberetur; at eorum omnia molimina inutilia fuere, quæ nempe ſolum exiguum patrum numerum pervicerunt, duabus & amplius tertiis partibus in eo quod ſtatutum fuerat, perſiſtentibus.

XXV. SESSIO, *Maji die* 7. *an.* 1437. A concilio decretum editum quo ſtatutum, ut œcumenicum concilium in quo de Græcorum cum Latinis conciliatione ageretur, Baſileæ, aut Avenione celebraretur; taxatique omnis generis eccleſiaſtici, ut decimam ſuorum quiſque redituum partem ad expenſas in id neceſſarias contribuerent. Baſilea quidem urbs, ut dicatur quod res eſt, nimium Græcis diſſita videbatur; at, ex alia parte, concilii patres quibus Eugenius Papa ſuſpectus admodum erat, verebantur, ne, tranſlationis ſpecie, Papa rurſus concilium diſſolvere aggrederetur, illudve in locum transferret, in quo ad reformationem incumbendi libertas non eſſet. Et, quia Græcis Italia magis congruebat, eratque Ferraria Papæ commodior, Baſileenſes patres id unum obtulere, ut concilium Avenionem, ſeu in Sabaudiæ urbem aliquam transferretur, quippe qui ſcirent Galliæ quæ propius illinc abeſt, quæque iis favebat, patrocinium ſibi præſto fore; ejuſmodi fuit omnium Papam inter & concilium altercationum cauſa. In hac ſeſſione, ſecuere concilium placita duo; major numerus illud Avenione coactum volebat; cæteri, iique pauciores, ſe legatis addentes, decretum edidere, concilii nomine, ut illud Florentiam transferrent. Confirmavit ſtatim Eugenius decretum hoc per Bullam quæ concilium Ferrariam transferebat; atque, ut impediret, ne in urbe Baſilea concilium perſiſteret, Venetiis triremes parandas curavit ut iis ſe opponeret quas concilium ad Græcos ſuſcipiendos miſſurum erat. Græcorum oratores, cum eas triremes una cum legatis tribus quos Papa in Orientem mittebat, conſcendiſſent, iis citius qui a concilio mittebantur, Conſtantinopolim pervenerunt; cumque paulo poſt adveniſſent concilii triremes, has conſcendere Græcorum imperator noluit. Baſileenſes patres de agendi ratione quam Eugenius inierat, certiores facti, ei pro viribus obſiſtere ſtatuerunt. Interea cardinalis Julianus a concilio receſſit; illud enim noluerat ejus conſilium ſequi, quod ejuſmodi erat, ut Græci qui Venetias pervenerant, obviam mitterentur legati qui eos una cum legatis Baſileam perducere conarentur. Baſileenſe concilium, ad viceſimam ſextam ſeſſionem uſque, tamquam vere œcumenicum, vulgo ſpectatur. Sane a decima quarta, 7. Novembris die an. 1433. habita in qua Papa Eugenius, ſuam diſſolutionis bullam revocans, concilio ſe addiderat, ad uſque viceſimam quintam, & hanc ipſam, Maji die 7. an. 1437. habitam, quod annorum trium ſpatium eſt, Baſileenſis concilii patres proſecuti ſunt ſeſſiones ſuas, ſuperque gravioribus negotiis decreta edidere.

XXVI. SESSIO, *die* 31. *Julii*. Confectum in ea decretum in quo patres, iis expoſitis quæ geſſerant per annos ſex, ut Eccleſiam in capite & in membris reformarent, conquerentes Eugenium nihil aliud interim cogitaſſe, quam ut eorum conſiliis adverſaretur, Papam interpellarunt, ut intra ſexaginta dies vel ipſe per ſe, vel per procuratorem ad concilium accederet. At Eugenius, ne dum diei ſibi a concilio dictæ rationem habuit, ad Baſileenſis concilii tranſlationem aut diſſolutionem bullam dedit, vetans, gravibus indictis pœnis, ne quis ſynodicus actus ea in urbe ederetur, niſi per dies triginta in id impendendos, ut cum Boemis oratoribus qui tum ibidem aderant, ageretur; eodemque tempore in urbe Ferraria concilium indicit. Eo Chriſtianam rempublicam univerſam accivit; & ejus convocatio male in Gallia recepta fuit; rex Carolus VIII. epiſcopos vetuit Ferrariam ire.

XXVII. SESSIO, 27. *Septembris die*. Nulla declarata eſt duorum cardinalium promotio quam ſine concilii conſenſu Papa nuper ediderat.

XXVIII. SESSIO, *prima Octobris die*. Cum ſexaginta dies qui Papæ, ut concilio ſe ſiſteret, dati fuerant, quin ejus nomine quiſpiam ſe proderet, excurriſſent, contumax declaratus fuit; mandatumque, ut in eumdem procederetur. At Papa ſuam ea ipſa die Bullam, *Doctoris Gentium*, per quam Baſileæ concilium Ferrariam transfert, emiſit.

XXIX. SESSIO, *die* 12. *Octobris*. Rejecta eſt Papæ ad concilii Ferrariam tranſlationem Bulla, per graviſſima rationum momenta. Significatum ſcilicet Avenionenſem urbem Græcis recipiendis peropportunam eſſe, quia erat mari proxima, & quia Græcis ipſique Eugenio probata fuerat; eum ipſum aſſenſum fuiſſe, ut triremes Avenione pararentur, ubi Græci expectarentur, interim vero Conſtantinopolim alias quæ a concilio miſſas anteverterent, triremes miſiſſe; hanc porro diviſionem Græcis ſcandalo non eſſe, novumque ſchiſmatis incendium non excitare non poſſe. Poſt ſeſſionem hanc Papa ſuum in urbe Ferraria concilium habuit, & poſt hanc ipſam cardinalis Julianus, quæ nonnullorum ſententia eſt, a concilio receſſit.

XXX. SESSIO, *die* 23. *Decembris*. In hac editum ſuper communione ſub utraque ſpecie decretum; declaratumque fideles qui ſacerdotes non ſunt, nullo divino præcepto ad euchariſtiæ Sacramentum ſub ambabus ſpeciebus ſumendum adigi; dubitandum omnino non eſſe, quin Chriſtus Dominus ſub unaquaque ſpecie prorſus integer totuſque ſit; & conſuetudinem in eo poſitam, ut laicis communio ſub una tantum ſpecie tribuatur, habendam eſſe legis loco, quam nemo damnare aut mutare ſine Eccleſiæ auctoritate debet.

XXXI. SESSIO, *die* 24. *Januarii an.* 1438. Edita decreta duo. Primum mandat, ut omnes cauſæ ſuis in locis finiantur, exceptis cauſis majoribus, &c. Interdictio, ne ad Papam appelletur, omiſſo Ordinario. Revocat alterum omnes expectativas, ut vocant, gratias ſeu conceſſas ſeu in poſterum concedendas, ea Papæ data venia, ut ad beneficium unum provideat in eccleſiis in quibus decem præbendæ ſunt; & quibus in eccleſiis præbendæ quinquaginta ſunt, ad duo: mandat præterea ut adſit in cathedralibus eccleſiis omnibus theologalis, & is quidem, canonicus, doctor aut baccalaureus in theologia, qui per annos decem in privilegiata univerſitate ſtuduerit; ut, in quaque cathedrali vel collegiata eccleſia, graduatis, doctoribus, ſeu licentiatis, ſeu baccalaureis in facultatum aliqua, præbendarum tertia pars tribuatur; ut in villis muratis parochi ſaltem magiſtri in artibus ſint; & ut regularia beneficia regularibus conferantur. Concilium inſuper Papam Eugenium contumacem declarat, ab omni tam ſpiritali quam temporali juriſdictione ſuſpendit, pronuntiatque, quicquid egerit, nullum fore. Tum quidem cardinalis Arelatenſis concilio præerat.

XXXII. SESSIO, *die* 24. *Martii*. Expunxit concilium rejecitque Ferrarienſem cœtum, tamquam ſchiſmaticum indignumque qui *concilii* nomen ferret, &, quicquid actum in eo erat, abrogavit. Editi in Eugenium articuli octo qui enuntiant catholicæ fidei veritatem eſſe, generale concilium eſſe Papæ ſuperius; idem ſine concilii conſenſu diſſolvi aut transferri non poſſe; & hæ quidem propoſitiones tamquam fidei articuli ſtatuuntur.

XXXIII. SESSIO, *die* 16. *Maji*, *an.* 1439. Cum epiſcopi numero plures ſenſim Baſilea receſſiſſent, in hac ceſſione non niſi viginti e Gallicæ & Germanicæ nationum epiſcopis aut abbatibus extiterunt; at abſentium epiſcoporum ſedes occuparunt eorum procuratores, aut archidiaconi, præpoſiti, priores, doctores, ſupra quadringentos. In ea ſtatutæ, per decretum, ac tamquam totidem fidei articuli, hæ propoſitiones tres. 1. Eſt catholicæ fidei veritas, ſanctum generale concilium ſupra Papam ſupraque quemvis alium poteſtate pollere. 2. Generale concilium, legitime congregatum, nec diſſolvi, nec transferri, nec ad tempus prorogari poteſt, auctoritate Papæ, ſine ejuſdem concilii conſenſu. 3. Quicunque pertinaciter his veritatibus obluctatur, hæreticus cenſeri debet. Habita eſt generalis congregatio, in qua ad Papæ depoſitionem conſilia inita. Hoc ipſo anno Panormitanus archiepiſcopus, abbatis Panormitani nomine notus, ſuique temporis omnium celeberrimus canoniſta, elaboravit ſuum de Baſileenſis concilii auctoritate Tractatum in quo probat, 1. concilium hoc vere œcumenicum concilium eſſe; 2. Eugenii in

tii in jus vocandi, in eumque e juris regulis agendi potestatem eidem esse; 3. hoc idem concilium nihil nisi e justitia contra hunc Papam fecisse. At, deinceps, hic idem Panormitanus suis in sententiis inconstantiæ multum ostendit; fuit enim Eugenio Papæ modo favens, modo contrarius.

XXXIV. SESSIO, *die* 25. *Junii*. Constabat concilium e prælatis triginta novem, tercentisque secundi ordinis ecclesiasticis. Papa Eugenius iterum in jus accitus, & tamquam contumax judicatus. In eum pronuntiata est depositionis sententia, in qua vehementiores acrioresque adhibitæ notæ. Depositionem hanc improbarunt Gallia, Anglia & Germania. Agebatur, eadem die, Florentiæ Græcorum & Latinorum unio.

XXXV. SESSIO, *die* 2. *Julii*. Consultum est, eligeretur, necne, statim novus Papa, captumque, ut id differretur ad menses duos.

XXXVI. SESSIO. Decretum in hac editum quo declaratum, opinionem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis esse opinionem piam, Ecclesiæ cultui, catholicæ fidei rectæque rationi consentaneam; mandatumque, ut Conceptionis festum die 8. Decembris celebraretur. Edidere deinde concilii patres suæ agendi rationis apologiam, ut esset ad decretum quod Papa Eugenius in eos tulerat, responsi loco.

XXXVII. SESSIO, 28. *Octobris die*. In hac statutum, ut futuri Papæ electio in concilio, non alibi fieret, & quidem, a cardinali Arelatensi, præside, prælatisque triginta duobus; ac, nisi duæ tertiæ partes consentirent, electio nulla esset.

XXXVIII. SESSIO, 30. *Octobris die*. Nominati conclavis officiarii; electus fuit, die 5. Novembris, Amadeus, Sabaudiæ dux, qui tum in Ripallensi solitudine, in quam secesserat, una cum suis eremitis degebat.

XXXIX. SESSIO, 17. *Novembris die*. Ad Amadeum designati viri viginti quinque, qui eum rogarent, ut in electionem suam consentiret; cumque is, ægre licet, assensum præbuisset, *Felicis V.* nomen sumpsit. Concilium mandavit, ut eum tamquam Papam fideles omnes agnoscerent.

XL. SESSIO, *die* 26. *Februarii an.* 1440. In ea confirmata est Amadei electio, in eosque omnes pronuntiata excommunicatio, qui eum Papæ loco non haberent.

XLI. SESSIO, *die* 23. *Julii*. Damnata est Eugenii Papæ sententia, qui Felicem ejusque fautores hæreticos declaraverat. Die quæ proxime hanc sessionem secuta est, Felix ad concilium e cæremoniæ legibus venit. Consecratus fuit episcopus a cardinali Arelatensi, magnaque cum solemnitate coronatus Papa. Suam populo benedictionem impertitus est, & indulgentias concessit. Ludovicus, Sabaudiæ dux, Amadei filius, pluresque e Germania & ex Helveticis pagis proceres huic cæremoniæ adfuerunt.

XLII. SESSIO, *die* 4. *Augusti*. Quia nullo Felix proventu, suæ dignitatis ergo, fruebatur, propterea quod S. Petri patrimonium ab Eugenio possidebatur; ei proinde facultas data, ut e beneficiorum reditibus, per quinque priores sui pontificatus annos, quintam, &, per sequentes quinque, decimam partem exigeret; operamque dedere patres apud seculares principes, ut ab iisdem agnosceretur. Electio hæc novo schismati causam præbuit. Stabant alii a Felice, ab Eugenio alii. Galli porro, quamvis Basileense concilium reciperent, & Florentinum rejicerent, agnovere tamen semper Eugenium; in ejusque depositionem consentire noluerunt, veriti ne mala quæ præcedens schisma pepererat, renovata viderent. Vetuit etiam per edictum Carolus VII. ne qua censurarum ratio, quas Papa Eugenius in Basileense concilium, quasque hoc ipsum concilium in Eugenium tulerat, haberetur. Angli pariter & Scoti, tametsi Basileense concilium agnoscerent, in obedientia perstiterunt; at Alphonsus, Aragoniæ rex, Pannoniæ regina, Bavariæ & Austriæ duces Felicem agnoverunt. Universitates Parisiorum, Germaniæ, & Cracoviæ ab eo fuerunt, & scripta plura ad Basileensis concilii auctoritatem propugnandam elucubrarunt.

XLIII. SESSIO, *Kalendis Julii*, *an.* 1441. Decretum editum ad festum Visitationis B. Virginis, 2. Julii die celebrandum. Fuerat hoc institutum per Bullam Bonifacii IX. grassante schismate; at nulla fit de Papa Felice mentio, quia plures eum principes non agnoscebant.

XLIV. SESSIO, *die* 9. *Augusti*. Edita constitutio, ut acta & personæ concilii in tuto ponerentur.

XLV. SESSIO, *mense Majo an.* 1443. Decretum, ut, intra annos tres, generale concilium quod Basileensis prosecutio esset, in urbe Lugduno celebraretur; &, post sessionem hanc, patres mutuo recesserunt. Perstitit concilium hoc quo de hactenus, annorum duodecim spatio, videlicet, a die 19. mensis Maji an. 1431. ad ejusmodi mensem usque an. 1443. & spatio annorum sex ad vicesimam quintam sessionem usque.

Super Basileensis concilii œcumenica auctoritate, vel, ut œcumenicitate, ita digladiati sunt inter se theologi & canonistæ, ut abierunt in opiniones omnino quinque. Illud alii, quam late patet, œcumenicum censent; alii prorsus omnique ex parte rejiciunt, quia summus Pontifex Eugenius IV. mandavit, ut statim a prima sessione dissolveretur, revocavitque facultatem quam cardinali Juliano contulerat, ut ejus loco eidem præesset. Sunt qui putent concilium hoc œcumenicum esse, saltem ad decimam sextam sessionem usque, in qua Eugenius IV. per suas litteras XVIII. Kalendas Januarias ann. 1433. datas declarat Basileæ generale concilium, legitime inchoatum, legitime quoque ab initio continuatum esse, perinde ac si nunquam solutum fuisset: *Generale concilium Basileense legitime inchoatum, a tempore prædictæ inchoationis suæ legitime continuatum fuisse . . . . . perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset*. Subdit Papa se revocare & abrogare bullas tres quas ad concilii dissolutionem dederat, illudque tamquam vere generale concilium observantia prosequi: *Sacrum generale concilium Basileense pure & simpliciter & cum affectu ac omni devotione & favore*. Alii Basileensis concilii œcumenicitatem protrahunt ad vicesimam quintam sessionem usque, eam nempe quæ divisionem inter patres coortam vidit; eam tandem alii tum solum desiisse volunt, cum concilium Ferrariam translatum fuit.

Qui postremam hanc opinionem cum P. Alexandro propugnant, (*Differt. VIII. de Conciliis Senensi & Basileensi, T. VIII. Histor. Ecclesiast. in Fol. p.* 503. *& seq.*) nituntur rationibus quæ sequuntur. 1. Confirmavit Eugenius Papa Basileense concilium ejusque decreta ad vicesimam octavam sessionem usque, quo illud tempore Ferrariam transtulit. Constat id ex ejus litteris XI. Kal. Aug. an. 1446. Romæ datis, & ad Leodiensem & Bononiensem episcopos, ad Joannem de Carvajal, apostolicæ cameræ auditorem, & ad Nicolaum Cusanum, Leodiensem archidiaconum, sanctæ Sedis, in Germania, Nuntios missis. En harum Papæ Eugenii litterarum verba ipsa: *Cum . . . . . Fridericus, rex Romanorum . . . . . necnon . . . . . sacri Romani imperii Electores . . . . . nobis nuper exposuerint . . . . . maxime convenire, ut auctoritas generalium conciliorum manuteneatur & conservetur, ... asserentes . . . . optimum fore decreta Basileensis concilii per ipsam Germanicam nationem acceptata, a nobis & apostolica sede, cum executorum necessaria deputatione recipi, approbari, confirmari; quod ut efficere dignaremur, instanter & humiliter supplicarunt: Nos ipsorum, Regis & Electorum supplicationibus inclinati, ad imitationem SS. Patrum prædecessorum nostrorum . . . . . sicut illi generalia concilia suis temporibus rite instituta atque canonice celebrata recipere, complecti & venerari consueverant*; SIC GENERALIA CONCILIA CONSTANTIENSE ac BASILEENSE AB INITIO USQUE AD TRANSLATIONEM PER NOS FACTAM, *absque tamen præjudicio juris dignitatis, & præeminentiæ sanctæ sedis apostolicæ, ac potestate sibi, & in eadem canonice sedenti, in persona B. Petri a Christo concessa, cum omni reverentia & devotione suscipimus, amplectimur & veneramur*. Iis ipsis Nuntiis quibus nulla non legatorum *a latere* potestas erat, Papa mandavit, ut Basileensis concilii decreta quæ quidem in Germania recepta erant, ejus & apostolicæ sedis nomine confirmarent. Videri possunt hæ litteræ in Raynaldi ecclesiasticis annalibus, ad an. 1446. *num.* 3.

2. Nicolaus V. Eugenii Papæ successor, in Bulla, *ut pacis* quam Spoleti dedit XIV. *Kal. Jul. an.* 1449. Basileensi cœtui *concilii* nomen tribuit; quod profecto non fecisset, si nihil aliud fuisse quam conciliabulum, non autem verum concilium credidisset.

3. Nicolaus ipse V. unus fuerat a legatis ab Eugenio ad Germaniæ prælatos & principes missis, ut Basileensis concilii decreta ejus nomine confirmarent. Quæ ergo ejus Papæ super hoc concilio sententia, quæ mens esset, probe noverat, ad eamque tum ante tum post suam ad summum pontificatum electionem se conformavit.

Videnda sunt in præsentia, quæ Itali, & peculiariter Lucas Holstenius, S. Petri in Vaticano canonicus, Basileensi concilio opponunt, & ad ea respondendum.

1. Basileense concilium a prima statim sessione dissolvit Eugenius Papa, ne dum sua confirmatione decoravit illustravitque.

Responsio. In promptu responsio est, Papam Eugenium scilicet, quod modo diximus, confirmasse concilium ad vicesimam octavam sessionem usque, & bullas per

las per quas illud dissolverat & damnaverat, revocasse.

2. Post legatorum sanctæ sedis discessum, Basileense concilium evasit concilium acephalum, quandoquidem Papa nec ipse per se, nec per suos legatos eidem præerat; ac solemne est Ecclesiæ effatum, quodcumque, inconsulto Papa, concilium habetur, acephalum concilium esse.

Resp. Legati non nisi in vicesima quinta concilii sessione se a cæteris Basileensibus patribus sejunxerunt, nec urbem nisi post sessionem tricesimam deseruerunt. Cæterum, generale concilium, legitime congregatum, quod nec Papam nec ejus legatos excludit, sed eos tamquam sibi præsides recipere paratum est, per eorumdem voluntariam absentiam, œcumenicitatem suam non amittit, ut probat exemplum Constantinopolitani concilii, an. 381. cui secundus inter generalia concilia locus tribuitur, licet ei nec litteræ nec deputati Papæ Damasi præsto fuerint; itemque concilii in eadem urbe Constantinopoli, an. 553. celebrati, quod ipsum quinto inter generalia concilia loco ponitur, etsi Papa Vigilius qui tunc sedebat in Petri cathedra, ei nec per se, nec per legatos præfuerit. Ratio est, quia generale concilium, legitime congregatum, auctoritatem suam tenet proxime a Christo Domino, quemadmodum Constantiense concilium definiit; &, quod inde consequens fit, tamquam acephalum concilium spectari non potest, quamvis ei Papa per se perque legatos præesse renuat, quoniam auctoritas quæ generalis concilii statutis vim ac robur tribuit, in Spiritu Sancto & in catholica Ecclesia potissimum residet, ex theologicæ Parisiensis facultatis doctrina quæ videri potest in palinodiæ formula quam ea P. Joanni Sarazinio, licentiato in theologia, ex ordine FF. Prædicatorum præscripsit qui in suo vesperarum actu contrarium propugnaverat, quique die 3. Martii an. 1430. publice palinodiam cecinit.

3. Tam pauci erant Basileensis concilii episcopi, ut, contra usum in reliquis legitimis conciliis servatum, nec obstante Panormitani archiepiscopi reclamatione, deliberativam vocem simplicibus presbyteris tribui necesse fuerit.

Resp. Basileensium episcoporum exiguus numerus spectat tempus illud quod concilii translationem secutum est, non autem quod eam præcessit. Cæterum, Thomas de Corsollis, Parisiensis doctor, scite admodum animadvertit Ecclesiam nullibi definiisse, quis tandem ad generale concilium conficiendum omnino necessarius episcoporum numerus sit; additque, cum Papa Eugenius, a prima statim sessione, Basileensis concilii dissolutionem pronuntiavit, vix ac ne vix quidem episcopos octo in urbe extitisse, & hunc tamen Papam ipsum, e suorum cardinalium consensu, deinde declarasse Basileense concilium legitime convocatum legitimeque a suis primordiis habitum fuisse.

4. Dum parvus episcoporum numerus Basileense concilium prosequebatur, aliud Papa multo frequentius Ferrariæ primum, tum Florentiæ celebrabat; jam vero generalia concilia duo uno eodemque tempore haberi non possunt.

Resp. Ferrariense seu Florentinum concilium, generatim, inter œcumenica non refertur (non illud œcumenicum censet Gallia); ac, siquidem ejusmodi esset, id unum consequeretur Basileense concilium œcumenicum esse desiisse, ex quo Ferrariam translatum fuit, at sine ejusdem œcumenicitatis præjudicio ad hujus translationis momentum usque, quæ in vicesima octava tantum sessione contigit.

5. Tam acriter pestis in urbe Basileensi, suas sessiones ibidem habente concilio, grassata est, ut, cum episcoporum qui e cœtu erant, plures e vivis sublati essent, ac bene multi se alio recepissent, qui pauci supererant, Ecclesiæ repræsentandæ & generali concilio conflando non essent.

Resp. Ratio hæc, ut summum, probat Basileense concilium œcumenicum esse desiisse, postquam Ferrariam translatum fuit, & postquam de Eugenio Papa deponendo cogitavit; quod solum post vicesimam quintam sessionem contigit æque ac vastatio quam pestis attulit.

6. Felix V. quem Basileense concilium Papam elegerat, hoc arrogatum concilium ipse damnavit, tiaram deposuit, & Nicolao V. Eugenii IV. successori se subdidit.

Pro pacis bono, & Caroli VII. Galliarum regis, ita expetentis ratione habita, Felix se pontificatu abdicavit, non autem quia de suæ electionis nullitate convictus esset; quod evincunt epistolæ tres quas is paulo ante cessionem suam in hanc rem scripsit; quibus epistolis promotiones, provisiones, collationes beneficiorum, absolutiones, dispensationes, omnia demum acta quæ sui pontificatus tempore ediderat, confirmat & ratas habet. Hæ tres epistolæ seu diplomata apud P. Labbæum, Conciliorum *Tom. XIII. pag.* 1344. & sequentibus videri possunt.

7. Basileense concilium, cum Lausonium translatum esset, in gratiam rediit cum Papa Nicolao V. qui, ad pacis bonum, assensus quidem est, ut, qui ab antipapa Felice beneficia obtinuerant, ea retinere possent; at concilii super doctrina moribusque decreta omnino non confirmavit.

Resp. Ex Lausoniensis concilii epistola, XIII. Kalendas Majas an. 1449. data, & a Raynaldo ad eumdem an. 1449. *n.* 5. relata constat, illud cum Nicolao V. pacem, non nisi post voluntariam Felicis abdicationem, & quin id Basileensis concilii decretorum auctoritati officeret, iniisse. Tantum abest, ut his decretis derogaverint Lausonii patres, ut potius in eadem epistola enuntient se tandem id consilii capere, ut Nicolai V. electionem confirment, seu potius communibus suffragiis eumdem eligant, quia certiores facti fuerunt eum credere & tenere dogmata omnia quæ in Constantiensi & Basileensi conciliis definita fuerant: *Fida quoque relatione intelligentes eamdem credere & tenere veritatem, pro conservanda manutenendaque sacrorum auctoritate conciliorum, in sacrosancta synodo Constantiensi definitam & declaratam, ac in sacro Basileensi concilio reservatam, necnon a Prælatis, Regibus & Principibus universitatibusque orbis susceptam, prædicatam & dogmatizatam*, &c.

8. Summus ipse pontifex Eugenius, Basileensis concilii continuationem approbans, non proinde tamen decreta approbavit, super quibus nunquam sancta sedes consulta fuit, quæque, quod majus est, damnavit Eugenius, cum ipse a concilio se rursus abalienavit.

Certum est Papam Eugenium approbasse Basileensis concilii decreta ad vicesimam sextam & hanc ipsam sessionem usque; 1. quia declavit Basileense concilium eatenus generale concilium fuisse, neque hanc declarationem edere potuit, quin ejus decreta approbaret, quoniam decreta generalis concilii quod universam Ecclesiam repræsentat, non minus infallibilia, minusve, quod inde consequitur, approbatione digna sunt, quam universæ ipsius Ecclesiæ decreta; 2. quia Eugenius Papa Thomæ, Bononiensi episcopo qui tunc ejus in Germania nuntius erat, quique deinde, Nicolai V. nomine, Papa fuit, in mandatis dedit, ut Basileensium decretorum ab eo editam confirmationem Germanicis Præsulibus & Principibus qui Francofurtum convenerant, significaret; 3. quia inter Bullas tres quas Eugenius revocavit, tertia quæ incipit his verbis, *Deus novit*, propositionem hanc continet cum Bulla cui inest, revocatam: *Super omnia concilia habet potestatem Papa*; 4. quia Eugenius, quicquid, in præjudicium auctoritatis concilii Basileensis, adeoque, in præjudicium auctoritatis ejusdem decisionum, ab ipso, vel ejus nomine gestum fuerat, revocavit; 5. denique, quia Eugenius novos ad Basileense concilium legatos misit qui tranquille cum cardinali Juliano ad sessionem usque vicesimam quintam ei præfuerunt. Quæ cum ita se habeant, tametsi concederetur Eugenium, deinceps, Basileensis concilii decreta damnasse, hæc tamen ejus mutatio infirmare decreta, quæ prius communi omnium consensu recepta fuerant, minime potuisset.

9. Lateranense concilium quintum, sub Leone Papa X. an. 1513. celebratum, damnavit, in sessione XI. Basileense concilium, dum illud *conciliabulum* & *conventiculum* appellavit.

Lateranense concilium quintum his locutionibus, quoad Basileense concilium, non est usum, nisi illud spectans, postquam Ferrariam translatum fuerat.

10. Saltem negari non potest Lateranense quintum & Florentinum concilia damnasse Basileensis concilii, quoad generalium conciliorum supra Papam positam auctoritatem, decreta; etenim, 1. Florentinum concilium, in sua professione, declarat Romanum Pontificem S. Petri, Apostolorum principis, successorem esse, verumque Christi vicarium, totius Ecclesiæ caput, omnium Christifidelium patrem & doctorem; eique Christum Dominum, in S. Petri persona, plenam absolutamque universæ Ecclesiæ pascendæ & regendæ potestatem tribuisse; 2. Lateranense concilium quintum, Pragmaticam in sua sessione undecima Sanctionem abrogans, perspicue luculenterque decidit Papam supra omnia concilia auctoritate pollere: *Cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tamquam auctoritatem supra omnia concilia habentem.... constat.*

Resp. Andreas Duvalius, doctor Sorbonicus, (*IV. Part. Lib. de suprema Romani Pontificis Potestate, Quæst. VII.*) qui Ultramontanis suspectus esse non debet, respondet Florentinum concilium nequaquam definiisse Papam supra generale concilium esse, quamvis eum esse Christi Domini vicarium, universæque Ecclesiæ caput, cum ejus-

ejusdem regendæ potestate, definierit; ut proinde Bellarminus, *Lib. II. de Concil. Auctor. cap.* 13. ita loquatur in hanc rem: *Florentinum Concilium non ita expresse.* Dici & illud potest oppositum Florentini concilii locum Ultramontanorum quos Galli nuncupant, contentionibus adversari, prout quidem ibidem dicitur: *Ipsi in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam . . . . plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in actis Conciliorum œcumenicorum, & in sacris canonibus continetur.* Verba hæc Papæ potestatem, quoad universæ Ecclesiæ regimen, ad rationem coarctant quæ ei per œcumenica concilia sanctosque canones præscripta est, &, quod inde fit consequens, his conciliis, hisque canonibus eumdem subdunt.

Quoad generale Lateranense concilium quintum, idem doctor ibidem respondet in hæc verba: *Ad concilium Lateranense . . . . variæ sunt responsiones. Quidam enim ajunt non fuisse vere & proprie generale, cum ei vix centum episcopi interfuerint. Alii dicunt caput illud in quo de auctoritate concilii supra Pontificem mentio fit, a Concilio non fuisse discussum, aut examinatum, sed tantum perlectum coram Prælatis Concilii, qui sine prævio examine illud approbarunt; ideoque dici non posse conciliariter conclusum & definitum. Alii sic rem expediunt: etiamsi, inquiunt, Concilium absolute fuisset generale, tamen rem ipsam, ut decretum fidei catholicæ non definiunt; nulla enim in verbis Concilii nota apparet ex qua definitionem fidei colligamus. Nam nec anathema pronuntiat in eos qui contra sentiunt, nec dicit se hoc expresse & proprie definire, aut esse de necessitate salutis ita credere, vel quid simile ex quo expressa definitio colligatur. Alii denique respondent, Concilium eatenus auctoritatem Papæ supra concilium definire, quatenus id e sacris Scripturis, Patribus & antiquis Canonibus manifeste constare censetur. Ad hæc enim, si omnia verba attente expendantur, vim suæ definitionis, si qua sit, revocat. Atqui, quod res illa de fide sit, ex nullo Scripturæ, Patrum aut antiquorum Canonum testimonio constat; igitur non potest dici a Concilio Lateranensi tamquam de fide definitum.*

Bellarminus ipse super hac re suam ita mentem aperit: (*Cap.* 13. *Lib.* 2. *de Concil. Auctoritate.*) *Quamvis postea in concilio Florentino & Lateranensi ultimo quæstio de superioritate Papæ definita videatur; tamen, quia Florentinum Concilium non ita expresse hoc definivit, & de Concilio Lateranensi quod expressissime rem definivit, nonnulli dubitant, an fuerit vere generale, adeo usque ad hunc diem superest etiam inter Catholicos.*

Denique, Lateranensis concilii quinti propositio quæ enuntiat supra omnia concilia Papam auctoritate pollere, incidens tantum propositio est quæ decretum non conficit quod Pragmaticam Sanctionem abolet, sed quæ tamquam decreti ratio solum affertur; jam vero, lippis, quod ille ait, & tonsoribus notum est falsas rationes a summis pontificibus & conciliis ad decretum aliquod fulciendum in medium proferri posse, quin eædem tamen ipsius decreti partem conficiant. Ejusmodi est igitur omnis patrum qui Lateranensi quinto concilio aderant, seu potius Papæ Leonis X. qui eidem præerat, ratiocinatio, Pragmaticæ Sanctionis auctoritas, etsi Basileense concilium eam confirmaverit, prorsus inconcussa non est, quia concilium hoc, cum ab Eugenio IV. Ferrariam translatum fuit, suam omnem auctoritatem amisit; neque vero, quin hæc translatio legitima fuerit, in dubium vocari potest; quandoquidem Papa supra omnia concilia auctoritatem obtinens, eo quoque jure gaudet, ut ea convocet, transferat, dissolvatque pro suo ipsius arbitratu.

11. Summus pontifex Eugenius, per suam constitutionem, *Moyses*, quam in Florentino concilio edidit, Basileensis concilii propositiones ad generalem supra Papam conciliorum superioritatem spectantes damnavit, declaravitque Basileenses patres sessionem quartæ & quintæ Constantiensis concilii decreta in pravum sensum traxisse.

Resp. 1. Eugenii Bulla hæc non spectat Basileensis, quod ad generalium supra Papam conciliorum superioritatem attinet, concilii decreta quæ in solemnibus ante concilium Ferrariam translatum sessionibus omnino sexies renovata & confirmata fuerant, sed solum propositiones tres, post hanc translationem, a Basileensibus patribus enuntiatas; videlicet, esse fidei caput, generale concilium supra Papam esse; illudque invitum & nolens transferre Papam non posse; & quicunque duas has veritates non credit, hæreticum habendum esse. Adhibenda est responsio hæc Bullæ Pii II. *In minoribus*, per quam id revocat quod super actorum decretorumque Constantiensis concilii canonicitate senserat, cum unus ei doctor aderat *Lucas Sylvius.*

2. Hæc ipsa Eugenii Bulla non nisi post Græcorum discessum, in Florentino concilio edita fuit; quo quidem illud universam Ecclesiam repræsentare non amplius poterat.

3. Constitutio hæc ex earum numero est quas Nicolaus V. dum pacem cum Basileensibus patribus iniit, omnino abolevit, ut probat ejus ad omnes Christifideles Epistola.

4. Bulla hæc ab universa Ecclesia non est recepta; eam semper Germania & Gallia rejecerunt.

12. Basileenses patres, suis edendis decretis non ingenue & ex animo, perque sui juris convictionem, sed cum dissimulatione, &, quod dicitur, *per fictionem juris*, egerunt.

Resp. Hæc Raynaldi oppositio nihil est aliud quam palmaris injuria, ecclesiastico auctore prorsus indigna, quæque nil responsi meretur. Basileenses patres jam semper egere bona fide, tamque semper iisdem persuasum fuit eo se jure pollere, quam constanter sua omnia acta suaque omnia decreta propugnarunt; estque eos graviter ac turpiter calumniari, id ponere tamquam certum, ipsos in tanti momenti negotio in quo nihil minus agebatur, quam ut id statueretur quod in Christianæ reipublicæ commune documentum bonumque cederet, egisse, locutos esse, solemnem in modum definiisse, licet apprime convicti essent se nihil tale facere posse.

Concilium Ferrariense, an. 1438.

Eugenius Papa IV. concilium hoc quod Basileensi apponeret, convocavit, seu potius ex urbe Basilea concilium Ferrariam transtulit, per Bullam Kalendis Januariis an. 1438. datam. Nicolaus, cardinalis Sanctæ Crucis, illud aperuit ejusdem mensis 8. die, primamque die 10. sessionem habuit in qua concilii ad Ferrariam urbem translatio approbata fuit; & Basileense concilium, itemque quicquid post translationem egerat, & quicquid deinceps ageret, nullum prorsus & irritum declaratum, præter id unum quod fortasse super Boemorum negotio statuisset. Eodem tempore, cardinalis Julianus qui Basileensi concilio præfuerat, eam urbem deseruit, ut se Ferrariam conferret, una cum quatuor tantum concilii præsulibus, cæteris omnibus Basileæ commoratis, cum Principum oratoribus, & Ludovico Germanico, cardinali titulo sanctæ Cæciliæ, vulgo *cardinali Arelatensi*, a sui archiepiscopatus nomine, nuncupato, qui perstitit concilii præses, illudque ad finem usque sustinuit.

II. SESSIO. Huic præfuit Eugenius Papa, episcopis circiter duobus supra septuaginta eum ducem sequentibus, pronuntiavitque in Basileenses patres decretum. Dum hæc agerentur, Græci quibus imperator Joannes Manuel Paleologus & Constantinopolitanus patriarcha præibant, Ferrariam pervenerunt. Marcus, archiepiscopus Ephesinus, eorum nomine dicturus erat. Erant prælati numero unus & viginti, aliique secundi ordinis docti viri qui numero circiter septingenti iis in societatem additi fuerant.

Antequam prima haberetur cum Græcis sessio, convenit de articulis qui in concilio discutiendi. Erant hi, 1. Spiritus Sancti processio; 2. additio *Filioque*, Symbolo facta; 3. purgatorius locus & animarum ante extremum judicium status; 4. azymorum in sanctis mysteriis usus; 5. sanctæ Sedis auctoritas & Papæ primatus. Et, quoniam imperator petierat, ut Principes Præsulesque Latini concilio interessent, hos Papa, per encyclicas litteras, hortatus est, ut Ferrariam contenderent, suam & ipsi operam ad Orientis cum Occidente conciliationem collaturi.

In prima sessione, cum Græcis habita, declaratum est œcumenicum concilium Ferrariæ apertum esse, concessique omnibus qui convocabantur, menses quatuor, ut eo se conferrent. At omnes invitationes hæ & hic œcumenici titulus quo suum Eugenius concilium insignitum volebat, haud plures quam aderant, ad cœtum traxerunt; quod magnæ Græcis admirationi fuit, qui dubio procul ignorabant reges & reliquos principes tunc temporis nihil intentatum relinquere, ut Basileensis concilii patres cum Papa Eugenio conciliarent, ac proinde non credere sibi quempiam Ferrariam mittendum esse.

I. *Cum Græcis* SESSIO. Positum est, his consentientibus, in examine, an Latinæ Ecclesiæ sententia super processione Spiritus Sancti, orthodoxa esset; & an jure additum fuerit eum a Filio procedere.

II. SESSIO. Rhodius episcopus de pacis commodis sermonem habuit qui totam sessionem occupavit.

III. & IV. SESSIONES. Andreas Colossensis, pro Latinis verba faciens, se dixit rogare Græcos, ut, si

qua

qua durior locutio excidisset, disputationis argumento potius quam disputantibus eam tribuerent. Vagi sermones, Marcum Ephesinum inter & Andream Rhodium, sibi vindicarunt sessionem quartam.

V. SESSIO. Expositum, quæ fides fuerit tercentorum decem & octo patrum e quibus Nicænum concilium conflabat, lectumque eorum Symbolum, itemque Chalcedonensis concilii, generalis quarti, definitiones. Protulere Latini manuscriptum cui multum antiquitatis esse testati sunt, secundi Nicæni concilii, generalis septimi codicem in quo Spiritus Sancti a Filio processionem occurrere contendebant.

VI. SESSIO. Ostendit fusiore sermone Andreas Rhodius, id quod Græci additionem esse contendebant, nec additionem nec mutationem esse, sed puram putamque ejus explicationem quod in principio continetur, e quo id per necessariam consecutionem ducitur; quod testimonio probavit Græcorum Patrum, &, inter alios, S. Joannis Chrysostomi qui Filium ait possidere quicquid habet Pater, excepta paternitate, secundum ea verba Filii Dei: „ Quicquid meus Pa„ ter habet, meum est. "

VII. SESSIO. Idem episcopus suum super eadem re sermonem prosecutus est, & ad auctoritates respondit quas Marcus Ephesinus in medium attulerat. Ostendit concilia, dum vetant, ne iis qui Christo nomen dant, alia fides exhibeatur quam quæ in Symbolo expressa est, non prohibere, ne eadem ibidem contenta fides clarius doceatur; & generale secundum concilium, *Constantinopolitanum* dictum, addidisse Nicæno Symbolo verba plura, idque, ut, contra novos hæreticos, fidei veritates exprimerent quæ non ita distincte notatæ erant.

VIII. & IX. SESSIONES. Bessarion Nicænus pro Græcis locutus est, & huic ratiocinationi semper institit, haud vetitum quidem esse fidem explicare, bene vero vetitum esse explicationes Symbolo inseri, idque Ephesinum concilium generale tertium interdixisse.

X. SESSIO. Cardinalis Julianus super interdictione ab Ephesino concilio lata solidissimas animadversiones edidit, aitque veniendum esse ad majoris momenti caput, videlicet, ad Latinorum super Spiritus Sancti processione sententiam; si enim, inquit, dogma hoc verum est, potuit ergo illud in symbolo poni ad explicandum mysterium quod impugnari libuit. Episcopus Fori Julii in hujus ratiocinationis subsidium venit, asseruitque non solum nullam legem esse quæ aliquam Symbolo explicationem addi prohibeat, sed ne ullam quidem esse legem posse quæ id Ecclesiæ interdicat; interdictionem sane hanc non spectare nisi privatos homines qui ejusmodi additiones sine auctoritate edere vellent.

XI. SESSIO. Idem episcopus animadvertit id quod locum dederat Ephesini concilii patribus, ut hanc prohibitionem statuerent, fuisse Nestorianorum pseudo-Symbolum quod a concilio damnatum fuerat; concilium non id tantummodo vetuisse. ne cui Symbolo quicquam adderetur, verum etiam ne nova fidei expositio ederetur; adeoque, si hæc interdictio ad Ecclesiam seu ad concilium protenderetur, consequens fore novam fidei expositionem confici omnino non posse.

XII. XIII. XIV. & XV. SESSIONES. Disputatum est in his quatuor sessionibus super eadem re. Latini in eo perstiterunt, ut peterent quæstionis vim & rationem ipsam, quasique fundum expendi, ut ita quidem, cum esset in bono lumine collocata res, si evidens fieret Spiritum sanctum a Filii persona procedere, tum demum additio Symbolo remaneret; sin is ab eodem procedere dici non posset, hæc additio rejiceretur. At Græci in eo animum obfirmarunt, ut peterent initio statim expungi particulam e Symbolo seu additionem Filioque, antequam quæstio funditus expenderetur; atque ita nihil inter partes convenire potuit.

XVI. & ultima SESSIO. Imperatori Papa concilium Florentiam transferendum proposuit, quia sumptus ad illud Ferrariæ continuandum necessarius Papæ gravis erat, & quia ea Græcis urbs tædio esse cœperat; ita, cum hi consensissent, enuntiata est translatio hæc, 11. Januarii die an. 1439.

Concilium Florentinum, an. 1439.

Habita est, 26. Februarii die, prima sessio. Cum Constantinopolitanus patriarcha qui morbo laboraret, huic adesse non potuisset, in ea non alii quam cardinalis Julianus & Græcorum Imperator locuti sunt, in eamque sententiam conspirarunt, rationem aliquam quæ ad conciliationem faceret, quæri oportere.

II. & III. SESSIONES. In his agitata materies super processione Spiritus sancti. Joannes, Dominicanorum provincialis & Latinorum theologus probavit e sacris Litteris, traditione, solidisque ratiocinationibus Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere; quid per *processionis* vocabulum intelligi debeat, explicuit, aitque procedere esse ab alio existentiam accipere. Cum Marcus Ephesinus de hac propositione convenisset, Joannes, inde argumentans, dixit: a quo Spiritus sanctus accipit esse in divinis Personis, ab eodem & processionem accipit; atqui Spiritus sanctus accipit esse a Filio; ergo etiam processionem ab eodem accepit, seu, quod idem est, ab eodem procedit, secundum propriam hujus verbi significationem. At, cum Marcus Spiritum sanctum accipere suum esse a Filio negasset, Joannes id probavit argumentis pluribus, ac tam cumulate omnia Marci objecta confutavit disjecitque, ut eum obmutescere cogeret & prorsus elinguem redderet.

IV. SESSIO. Idem theologus demonstravit, in S. Basilii exemplaribus bene multis quæ Constantinopoli data opera allata fuerant, hunc S. Doctorem, in tertio contra Eunomium libro, disertis verbis dicere Spiritum sanctum non a Patre solum, verum etiam a Filio procedere.

V. VI. & VII. SESSIONES. Id agitatum quod S. Basilii auctoritatem ac testimonia spectabat.

VIII. & IX. SESSIONES. In his fuse Joannes magna cum eruditione & nitore locutus est. Ostendit omnium Græcorum patrum qui de processione Spiritus sancti verba fecerunt, complures, vel expressis, vel idem significantibus verbis, dixisse eum ex Patre & Filio procedere, eosque omnes qui eum ex Patre procedere dixerunt, nunquam Filium exclusisse. Præterea, explicuit, quomodo intelligi possint hæ præpositiones duæ, *per* & *ex*, quæ ad designandam Spiritus sancti processionem usui sunt; suique sermonis epitomen e scripto dedit.

Græci fuere bifariam secti; ab unione stabant alii e quorum numero erant Imperator & Bessarion Nicænus; alii eidem obluctabantur; Marcus Ephesinus ex his posterioribus erat. Inchoatæ negotiationes; positum in examine Joannis scriptum; illud Marcus notabat hæresi; Bessarion e converso, magnifice pronuntiavit oportere Deo gloriam reddi & bona fide quemque fateri Latinorum eamdem ac veterum Græcæ Ecclesiæ Patrum doctrinam esse; eosque qui obscurius locuti erant, per eos explicari debere qui perspicue mentem suam aperuerant. Longo deinde sermone qui extat inter acta concilii, Latinorum super Spiritus sancti processione sententiam purgavit firmavitque; Græcorum objecta solvit, finemque dicendi fecit suos ad unionem confratres hortatus; ejus sententiam sua fulsit & roboravit Georgius Scholarius, Græcorum theologorum unus.

Cum Imperatorem inter & Papam id convenisset, ut, utrinque, viri nominarentur, qui suam super rationibus quibus ad unionem perveniretur, sententiam dicerent, propositæ fuere sententiæ plures quarum nulla a duabus partibus accepta fuit. Post negotiationes plures, edita est, super Spiritus sancti processione, fidei professio in qua dicitur: „ Nos Latini & Græci „ confitemur, &c. Spiritum sanctum ab omni æterni„ tate esse Patris & Filii, itemque ab omni æternita„ te procedere ab utroque, tamquam ab uno princi„ pio, & per unam tantum productionem quæ *spira„ tio* nuncupatur. Declaramus etiam id quod sancto„ rum Patrum nonnulli dixeruut, Spiritum sanctum „ procedere a Patre per Filium, hac significatione su„ mendum esse, ut Filius, tamquam Pater conjun„ ctimque cum ipso, Spiritus sancti principium sit. „ Et quia Pater quicquid habet, suo Filio commu„ nicat, excepta paternitate quæ eum a Filio & Spi„ ritu sancto distinguit; a Patre proinde Filius acce„ pit ex omni æternitate eam productivam vim per „ quam Spiritus sanctus a Filio ut a Patre procedit. "

Lecta fuit, approbata & subscripta, die 8. Junii, definitio hæc ab utrisque, excepto Marco Ephesino qui in sua pertinacia perseveravit. Tum vero omnes, in conciliationis restitutæque concordiæ argumentum, se pacis osculo complexi sunt. Ad exitum perducto negotio hoc, panis azymi quæstio discussa est; fassique sunt Græci ejusmodi pane æque ac fermentato consecrationem perfici posse. Super fide quoad purgatorium se perinde res habuit; unanimi consensu firmatum est, eorum qui vere pœnitentes in Dei charitate mortui sunt, antequam dignos pœnitentiæ fructus agerent, animas, post eorumdem mortem, purgatorii pœnis mundari ac detergi; easdemque ab iis pœnis levari per fidelium viventium suffragia, cujusmodi sunt Missæ sacrificium, eleemosynæ & cætera pietatis opera.

Diu multumque disceptatum est super Papæ primatu;

ta; Græci tandem episcopi edidere formam quæ Papæ & cardinalibus probata fuit; ita porro concepta est: „ Quod ad Papæ primatum attinet, profitemur eum „ esse supremum Pontificem & vicarium Christi Domini, omnium Christianorum pastorem & doctorem „ qui Dei Ecclesiam gubernat, salvis privilegiis & „ juribus patriarcharum Orientis. "

Post collationes plures; confectum est unionis decretum, & græce ac latine in bono lumine positum. Sua illud subscriptione firmavit Papa, &, post eum, cardinales, numero octodecim, Latini patriarchæ duo, Hierosolymitanus & Gradensis, episcopi duo Burgundiæ ducis oratores, octo archiepiscopi, quadraginta septem episcopi, re quidem vera, pene omnes Itali; quatuor Generales Ordinis, abbates unus & quadraginta. Ex Græcorum parte, imperator Joannes Paleologus, primus omnium, subscripsit, &, secundum eum, vicarii patriarcharum Alexandriæ, Antiochiæ & Hierosolymæ. Constantinopolitanus paulo ante e vita migraverat. Metropolitani plures suo & alterius absentis nomine subscripserunt. Editum fuit decretum hoc Papæ nomine, ejusque pontificatus nono anno datum. Græci, numero triginta, 26. Augusti die Florentia discesserunt, & prima Februarii die an. 1440. Constantinopolim pervenerunt.

Post eorum tamen discessum, suum Papa concilium prosecutus est. In prima sectione quæ die 4. Septembris habita, Basileenses Patres qui Papam Eugenium deposuerant, ab hoc Papa tamquam hæretici & schismatici notati fuere. In altera, 22. Novembris die, amplissimum Papa decretum edidit, quo Armenos Romanæ Ecclesiæ redintegraret. In tertia, die 23. Martii ann. 1441. Amadeum declarat antipapam, hæreticum, schismaticum, ejusque omnes fautores læsæ Majestatis reos, veniam tamen iis pollicitus qui ante quinquagesimum diem resipiscerent. In quarta, die 5. Februarii an. 1442. editum est super conciliatione cum Jacobitis decretum cui a Papa & cardinalibus octo subscriptum fuit. Abbas Andreas, Joannis patriarchæ deputatus, accepit acceptavitque decretum hoc Æthiopicorum omnium Jacobitarum nomine, promisitque se perfecturum, ut accurate servaretur. In quinta eademque postrema quæ Aprilis die 26. anno 1442. habita, Papa proposuit, ut concilium Romam transferretur, qua tamen in urbe duæ tantum sessiones habitæ. In his edita super Syriorum, Chaldæorum & Maronitarum jactata ad Romanam Ecclesiam reductione decreta.

Florentinum concilium a tota, quam late patet, Ecclesia tamquam œcumenicum non spectatur. Illud omnes regni Galliarum ordines qui in urbem Bituricensem ann. 1440. convenerant, rejecerunt; nec illud ipsum subsecutis temporibus Gallia recepit. Ita quidem loquitur in hanc rem Didacius Payva Dandrada, theologus Lusitanus, in sua Defensione Fidei Tridentini Concilii, Lib. II. p. 430. & 431. edit. Coloniensis, an. 1580. *Florentinam (synodum) sola Gallia, religione quondam & pietate clarissima, nunc vere variis hæresum monstris, Caroli IX. singulari in Deum amore inflammataque religionis studio, magna ex parte expurgata, pro œcumenica numquam habuit, quippe quam neque adire, dum agitaretur, neque admittere jam perfectam atque absolutam voluerit.*

Concilium Rothomagense, an. 1445.

Raoulus Rousselius, archiepiscopus Rothomagensis, concilium hoc, die 15. Decembris an. 1445. clero cui præerat, & suffraganeorum deputatis adsistentibus, celebravit. In eo editi articuli quadraginta quorum priores septem fidei puritatem inculcant, magiæ libros omnes, omnemque veneficiorum, divinationis, fascinationis, talismanorum usum damnantes; & in diabolicorum ejusmodi inventorum auctores statutæ pœnæ. Proscribuntur itidem juramenta, blasphemiæ, sanctæque Virginis imagines quasdam, *Dominam Nostram de Redemptione, Dominam Nostram de Pietate, de Consolatione, de Gratia, &c.* appellandi mos. Notat synodus id ad pecuniam extorquendam inductum videri, & ita quidem superstitiosis opinionibus auctoritatem afferri. Prævaluit tamen deinde consuetudo quæ tum improbata fuit, quia non amplius eadem rationum momenta subsistunt.

Decreta cætera, ad usque tricesimum tertium, & hoc ipsum, admodum accurate ac fuse disciplinam afficiunt.

Non admittentur ad sanctos ordines nisi qui fidei articulos, decalogi & sacramentorum doctrinam, peccata distinguendi rationem scierint; & ut certo constare possit idoneos eosdem esse, examini ante ordinationem subdentur. Ab iis requiretur, ut beneficium aut patrimonium habeant quod ipsis tituli loco sit; & si qua fraus in id irrepserit, ab ordinibus suspendentur.

Ob ordinum aut beneficiorum collationem, itemque ob eucharistiæ & confirmationis administrationem nihil exigetur. Sordida lucra, & ad Missæ celebrationem conventiones quæ cupiditatem oleant, sacerdotes vitabunt. Ebriositas, negotiatio, feminarum frequentatio, in vestitu vanitas, in sæculari curia lites ecclesiasticis interdicuntur. Sacerdotes, tam sæculares quam regulares ad concionandum non admittentur, nisi postquam apud episcopum, vel apud ejus magnos vicarios examen subierint. Auditores suos ad decimarum solutionem regulares hortabuntur. Visitationes suas accurate & utiliter ad populorum institutionem & ædificationem archidiaconi peragent. Parochi denuntiabunt excommunicatos, prima cujusque mensis dominica die, omnes homicidas voluntarios, fures, incendiarios; dominicis diebus singulis, dabunt operam, ut suos super fide ac moribus parochianos erudiant. Ii ad quos publicarum scholarum collatio pertinet, eos eligent ad munus hoc, quorum ætas, vitæ ratio, & ingenium perspecta sint.

Commendatur, ut decretum, *Omnis utriusque sexus*, in Lateranensi concilio latum servetur. Interdicitur, excommunicationis indicta pœna, ne deinceps insanientium larvarum festum agatur. Vetatur quisque relaxationibus & colloquiis in ecclesiis, ac per Dominici Natalis noctem talis aliisve ludis vacare. Curabitur sanctis in rebus nitor & dignitas. Reliquiæ, post solemnitates, congruis in locis reponentur; semperque a profanis locis cœmeteria sejuncta erunt.

Qui sequuntur canones sex vitæ in regularibus rationem spectant. In singulis communitatibus regula tabulis inscripta prostabit. Præter capitulum quod quotannis habebitur, alia, quatuor anni temporibus, generalia celebrabuntur. In his explicabitur regula, ejusque executio commendabitur; quique eam violaverint, a superioribus punientur. Curabunt visitatores, ut sollicite suum munus obeant; quod si superiores locales negligentes fuerint, episcopi cæterique ordinarii regularem disciplinam sartam tectam servabunt.

Hortatur, in postremo articulo, omnes concilium, ut orent pro pacis consummatione, de qua semper erat Galliam inter & Angliam controversia. *Lab. Tom. XIII. Hard. Tom. IX.* & Bessinius.

Concilium Andegavense, seu Turonense, an. 1448.

Joannes Bernardus, archiepiscopus Turonensis, suum provinciale concilium, Julii die 17. an. 1448. Andegavi congregavit, in eoque edidit, quæ sequuntur, decreta septendecim.

1. Qui apostolica rescripta obtinuerint, suas partes ultra diei iter extra diœcesin non trahent.

2. Qui dignitates in capitulis assecuti fuerint, ei legi suberunt, ut sacros ordines, saltem subdiaconatum, intra annum, suscipiant, eam, secus, pœnam subituri, suorum ut beneficiorum jacturam faciant.

3. Defunctorum officium, saltem ad lectiones tres, iis diebus qui solemnes non sunt, præsertim cum defunctorum missam dicent, presbyteri recitabunt.

4. Clerici qui non resident, quique ab exordio ad finem usque omnibus officiis non interfunt quibus interesse debent, quotidianis distributionibus privabuntur.

5. Clerici silentium in choro servabunt, nec bini officium ibidem dicent, exceptis ecclesiarum prælatis.

6. Abstinebit quisque ludis festisque larvarum dictis, ei pœnæ, secus, obnoxius, ut a superioribus puniatur.

7. Non id studiose quærent concionatores, ut sibi tabulata e quibus pro concione dicant, erecta velint; magnosque strepitus, immodicosque clamores, divinum verbum nuntiantes vitabunt.

8. In abbates aut priores a quibus prioratus pendent, interdictio, ne, titularibus morientibus, eos expolient.

9. Modus statuitur visitationis juribus quibus episcopi, archidiaconi, archipresbyteri, decani, aliæque ecclesiasticæ personæ gaudent; bonaque & personæ qui de ecclesia sunt, cujusvis generis taxationibus eximuntur.

10. A communione segregabuntur concubinarii qui canonice moniti fuerint.

11. Danda erit opera, indicta pœna mulctæ solidorum viginti, ut intra mensem enuntietur excommunicatio quæ in aliquem lata fuerit.

12. Qui clandestina matrimonia inierint, aut egerint *charivaria*, quæ nocturnæ in secundis nuptiis vocife-

ciserationes & æneorum vasorum pulsationes erant, excommunicationem *ipso facto* subibunt.

13. Eadem in usurpatores bonorum, jurisdictionis, immunitatum Ecclesiæ & in eorumdem fautores pœna.

14. Interdictio, ne reliquiæ, ad extorquendam pecuniam, circumferantur.

15. Indulgentias a sancta Sede concessas annuntiabit ecclesiæ rector, aliusve qui doctus, perspectus probusque sit.

16. Edicentur identidem hujus concilii mandata.

17. Erit penes diœcesanum episcopum a censuris quas provinciale concilium tulerit, absolvendi potestas. *Reg. Tom. XXIV. Lab. Tom. XIII. Hard. Tom. IX.*

Concilium Lausoniense, Lausanense, an. 1449.

Cum Amadeus, olim Sabaudiæ dux, *Felicis V.* nomine, sua in obedientia, notus, pontificatum, Aprilis die 9. abdicasset, Basileenses Patres Lausonium, tamquam generale concilium adhuc habentes, postremo coiverunt; ejusque abdicationem firmarunt, per decreta duo, non sine clausulis & conditionibus omnibus de quibus cum Papa Nicolao V. convenerat, qui Eugenio IV. suffectus erat. Summus Pontifex, quod in eo erat, per Bullam die 18. Junii, Spoleto datam declaravit, cum Deus Ecclesiæ suæ pacem reddidisset, operam dantibus Regum Galliæ, Angliæ, Siciliæ & Delphini oratoribus, suum venerabilem & charissimum fratrem Amadeum, e Romanæ Ecclesiæ cardinalibus primum, Sabinæ episcopum, sanctæque Sedis in aliquibus provinciis legatum qui in sua obedientia *Felix* appellabatur, juri cedere quod ad supremum pontificatum sibi suppetere contendebat; eos vero qui Basileam, ac deinde Lansonium, *generalis concilii* nomine, convenerant, mandasse & edixisse Nicolao, tamquam unico indubitatoque pontifici parendum esse, dictumque demum Basileensem cœtum solvisse. Cupientes ergo, pergit Papa, quantum potestatis in id nobis Deus Opt. Max. largitus est, pacem omnibus fidelibus comparare, electiones, confirmationes, provisiones beneficiorum quorumlibet . . . . factas personis locisque quæ Felici obediebant, iisque qui Basileæ, & Lausonii congregati erant, itemque quicquid eorum auctoritate ordinarii gesserunt, de plena nostra apostolica potestate, nostrorumque fratrum cardinalium consilio consensuque, approbamus, recipimus & confirmamus.

Per alteram Bullam, Nicolaus papa restituit eos omnes, cujuscumque tandem conditionis essent, qui suis beneficiis & jurisdictionibus a papa Eugenio propterea spoliati fuerant, quia Felicem & Basileense concilium secuti erant. Denique, per Bullam tertiam, nullum declarat quicquid contra eumdem Felicem, contraque Basileenses patres, eosque qui his adhærebant, dictum scriptumve fuerat, volens id omne ex Eugenii actis expungi, nullamque amplius de toto hoc negotio mentionem fieri. Ita schismа finem omnino habuit; & Nicolaus unus & unicus Papa legitimus ab omnibus habitus fuit. *Ibid.*

Concilium Lugdunense, an. 1449.

Conflatum fuit concilium hoc e pluribus archiepiscopis; ac generalia ad Gallicanæ Ecclesiæ regimen consilia prœmium annuntiat; quod nationale quoddam concilium innuit. Statuta octodecim in eo edita quorum hæc summa est.

Blasphemi punientur jure summo, sæcularis etiam brachii subsidio in eos implorato. Non ordinabitur nisi clericorum numerus qui ad Ecclesiæ servitium necessarius erit. Qui minoribus ordinibus insignientur, non proinde tamen ab examine super rebus quæ iisdem conveniunt, immunes erunt. Explorabitur vitæ ratio ab iis omnibus inita qui se ad suscipiendos ordines præsentabunt. Ad sacros ordines titulus exigetur. Accurato examini subdentur quicumque ad parœcias possidendas nominati fuerint. Ecclesiasticis modestia in totius oris & corporis habitu commendatur; iidem talarem vestem & tonsuram deferent, nunquamque sine superpelliceo sacramenta administrabunt; universitates quoque studentium modestiæ invigilabunt. Quoad electiones, clericos concubinarios, monialium clausuram, canones accurate serventur. Nihil ob sacrorum vasorum ecclesiæque ornamentorum benedictionem exigetur. Ad consecrationem & reconciliationem ecclesiarum cœmeteriorumque, id unum sumetur quod in jure notatum est. Interdicuntur matrimonia clandestina, indulgentiarum abusus, habiti e suggestu sermones, auditæque confessiones absque ordinariorum approbatione. Mandatur postremo loco, ut ad apicem Constantiensis & Basileensis conciliorum decreta serventur. *Ibidem.*

Concilium Suessionense, an. 1455.

Joannes Juvenalis de Ursiniis, archiepiscopus Remensis, habuit hoc suæ provinciæ concilium. Julio mense an. 1455. non autem 1456. quemadmodum PP. Labbæus & Harduinus dicunt; ibi enim legitur: *Calixti papa III. an.* 1. jam vero summus pontifex Calixtus III. Aprilis die 8. an. 1455. electus fuit. Hoc in concilio statutum est, ut, quoad regularum curam & modestiam in divino officio, quoad ecclesiasticarum dignitatum electionem, quoad beneficiorum provisionem, nemo non ad Basileensis concilii decreta se conformaret; ut in clericos concubinarios latæ leges summo jure servarentur; ut episcopi nunquam sine supparo super talari veste se in ecclesia videndos præberent, nec serica indumenta gestarent; ut iis tantum conferretur presbyteratus, qui probi essent, Evangelio explicando pares, & patrimonio ad victum instructi; ut tonsura, majore, quam antea, cura, delectu & circumspectione tribueretur; ut haberetur querelarum ratio, quas abbates, capitula, priores & parochi contra immodica, quoad episcopos aut archidiaconos, visitationis jura deferrent; ut ordinum Præmonstratensis, Cluniacensis & Cisterciensis abbates privilegia proferrent quæ ordinariorum visitationi eos eximebant; ut abbates, monasteria & capitula a quibus decimæ percipiebantur, congruam parochis portionem darent; ut, ex unoquoque capitulo, ad universitates aliquis mitteretur; ut clerici in comptu mundi vanitatem vitarent; tonsuramque omnes & habitum clericalem deferrent, siquidem suis privilegiis frui vellent, quia, secus, id erat in causa, ut nunquam non diffidia inter sæculares judices & ecclesiasticam curiam suborirentur.

Id est, super hoc concilio, peculiariter animadversione dignum, Remensem archiepiscopum, antequam illud celebraret, regis placitum petiisse, pluresque urbes suæ Majestati nominasse, e quibus unam ad hujus cœtus convocationem designaret. Rex, sibi a præsule data optione contentus, integrum ei reliquit, ut, quem mallet, locum seligeret. Suessio archiepiscopo visa potior; eamque ad urbem loci episcopus, & episcopi Laudunensis, Ambianensis & Silvanectensis eum comitati sunt, suffraganeis cæteris per procuratorem adsistentibus. *Ibidem.*

Concilium Senonense, an. 1460.

Ludovicus de Melunio, Senonensis archiepiscopus, habuit suæ provinciæ concilium hoc, cujus decreta referuntur ad articulos quatuor quorum singuli plures canones seu capitula complectuntur.

Articulus primus *cap.* 1. super divino servitio versatur. Id repetitur recipiturque quod super obligatione ac ratione qua horæ canonicæ, seu publice, seu privatim, recitandæ, in Basileensi concilio & Bituricensi cœtu (an. 1438.) definitum fuerat. Commendatur, ut ea serventur quæ super reverentia quæ Domini templis debetur, Lugdunense secundum generale concilium decrevit. Causarum agitationes, profana colloquia, itus & reditus, clamores, uno verbo, omnis generis irreverentias concilium proscribit; nec oblivisciтur damnare mimicos jocos festi larvarum dicti, de quo toties locuti sumus. Damnatur omnino quorumdam ecclesiasticorum cupiditas, qui, præbendas plures in una eademque urbe possidentes, ab una ad aliam ecclesiam cursabant, ut, alicui officii parti in iis distinctis locis adsistentes distributiones lucrarentur. Statuitur, ut distributiones inter canonici officii horas singulas dividantur, ac tali proinde horæ adesse debeat qui talem distributionem lucrari voluerit. Id etiam revocatur in mentem parochis cæterisque ecclesiasticis, ut per eos insit ecclesiis nitor, sacraque vasa & altaris ornamenta apte se habeant. Iidem monentur, ut decentiæ, modestiæ, publicæque ædificationi in processionibus invigilent. His interesse moniales vetantur, ab ordinario puniendæ, si mandatum hoc transgredi audeant; solum sinuntur suis in ecclesiis, circumque sua claustra processiones agere.

Secundus articulus *cap.* 1. morum, quoad ecclesiasticos, reformationem complectitur. Operam dabunt episcopi, ut integritate, gravitate, bonoque exemplo, eo magis excellant, quo magis dignitate supra cæteros eminent. Ad sanctorum decretorum lectionem & executionem incumbent. Suis in diœcesibus residebunt, nisi iis urgentes, aut saltem honestæ causæ subsint, ut ab iisdem recedant. Erit ad modestiam compositus eorum oris & corporis habitus; iidemque sine supparo, seu rocchetto, & humerali in publicum non prodibunt; rectum ordinem & ædificationem domi et-

mi custodient; ecclesiasticos qui prudentia polleant, & probe canones calleant, suis in visitationibus sibi comites addent; quam maximam poterunt, diligentiam afferent, ut hæreses, sortilegium & superstitiones eliminent. Sanctorum quoque ordinum *cap.* 2. 3. 4. collatio, visitationes, beneficiorum nominatio, in hac decretorum collectione, non parvi momenti argumenta sunt. Nihil eorum omittitur quæ ordinandorum examen, rationem qua visitationes utiles efficiantur, & beneficiariorum delectum spectant. Super articulo primo, potissimum commendatur, ut, qui accedunt subdiaconatum suscepturi, probe moneantur se castitatis legi deinceps obnoxios fore. Super secundo, ne per immodica procurationis jura & per supervacaneas expensas visitatio parochis onerosa reddatur. Super tertio, ne in beneficiorum distributione, præsertim si parœciæ vel aliæ sedes sint quæ animarum curam adjunctam habeant, ulla amicitiæ, consanguinitatis, aut commendationum ratio habeatur. Denique, *cap.* 5. ut remedium scandalis afferatur quæ ab ecclesiasticorum depravatione sejungi non possunt, instaurantur Basileensis concilii & Pragmaticæ Sanctionis in concubinarios decreta, eorumque executio præcipitur.

Exponit deinde *cap.* 6. 7. 8. Senonense concilium abusus quos ecclesiastici in externa agendi ratione vitare debent; nulla immodesta seu ad sæcularem consuetudinem ornamenta; non breves vestes, non longi compitique capilli. Qui hæc statuta violaverint, ita statim punientur, ut arceantur a divinis officiis, & distributionibus destituantur; ni resipuerint, censuris plectentur, omninoque suorum beneficiorum fructibus privabuntur. Iisdem negotiatio, *cap.* 9. cauponarum frequentatio, aleæ, gravissimis indictis pœnis, interdicuntur; jubenturque ordinarii invigilare, ut hæc statuta serventur. Aderant, eo tempore, graves abusus in quæstibus quibus indulgentiæ aut singulares reliquiæ occasionem præbebant. Quæstuantes per provincias disseminabantur, & bene multa quibus simplex popellus in errorem trahebatur, commenta enuntiabant. Episcopis concilium mandat, ut hæc absona impediant, statuitque, ne qua indulgentia aut reliquia sine ordinarii approbatione annuntietur. Commendat etiam, *cap.* 10. ut afferatur querelis remedium, quæ in ecclesiasticæ curiæ officiarios, advocatos, procuratores, promotores, notarios deferebantur, eos scilicet lites protrahere, & pecuniam innumeris injustis usibus extorquere.

Articulus tertius *cap.* 1. religiosorum reformationem spectat. Queruntur concilii patres constitutiones, a Benedicti XII. earum auctoris nomine, *Benedictinas* dictas, fere penitus ignorari. Hæ revocantur in mentem, quoad ea potissimum quæ ad studia, ad capitula generalia, ad temporalium rerum administrationem, ad feriæ quartæ abstinentiam, ad Adventus & Septuagesimæ jejunium pertinent. Insistitur deinde *cap.* 2. super modestia in vestitu, in incessu, in omni denique corporis habitu, quia hoc in genere vitia gravi scandalo sæcularibus esse solent. Pecuniaria omnis *cap.* 3. ob ingressum in religionem conventio, tamquam simoniaca interdicitur; inductæque super hac re consuetudines, ut perniciosi sanctisque canonibus omnino repugnantes usus aperte notantur. Beneficiorum *cap.* 4. quibus addita cura est, patroni tam regulares quam sæculares ad quos pertinet decimas percipiendi jus, monentur, ut parochorum sustentationi prospiciant; & episcopis commendatur, ut in id operam conferant.

Articulus quartus *cap.* 1. laicorum regimen afficit. Invigilabitur, ut ab iis ad ædificationem aptius festi dies transigantur. Eos hortabuntur pastores, sua ut peccata, præter Paschatis tempus, Dominici quoque Natalis, Ascensionis, Pentecostes, Assumptionis omniumque Sanctorum festis diebus confiteantur. Vehementer commendatur *cap.* 2. ecclesiasticarum legum quæ in blasphemiam & blasphemos latæ sunt, executio. Ordinariis mandatur, *cap.* 3. 4. 5. ut decimarum solutionem curent; matrimonia in privatis oratoriis contrahi non patiantur; impediantque, ne prohibitis, hoc est, Adventus, a Septuagesima ad Pascha usque, & Rogationum temporibus celebrentur. Instaurantur *cap.* 6. 7. in universum decreta quæ laicos judices vetant Ecclesiæ jurisdictionem invadere. Excitatur super hac re, itemque super recto monialium regimine, quarum haud erat curæ satis, episcoporum attentio. Hujus denique cœtus patres in unaquaque provinciæ diœcesi graves & in dignitate constitutos ecclesiasticos viros nominant qui perspiciant, an fideliter hæc statuta deinceps serventur. *Ibid.*

Concilium Toletanum, an. 1473.

Alphonsus Carillo, Toletanus archiepiscopus, habuit in urbe Aranda concilium hoc, in eoque undetriginta quæ sequuntur, statuta edidit.

1. Metropolitanis mandat, ut suum provinciale concilium saltem altero quoque anno, eorumque suffraganeis, suam ut synodum quotannis habeant, ea indicta pœna, ut priventur ecclesiæ aditu, quoad negligentiam suam reparaverint.

2. Parochos jubet operam dare, ut præcipuos religionis articulos populum doceant.

3. Eos ad sacros ordines promoveri vetat qui latiue nesciunt.

4. Alienæ diœcesis clericos sine proprii episcopi litteris recipi prohibet.

5. & 6. Super episcoporum & clericorum indumentis versantur, quos nempe sericas aut breves vestes ferre vetat in mulctæ pœnam.

7. Agit de Dominici festorumque dierum cultu.

8. Ecclesiasticis interdicit, ne lugubres vestes ferant.

10. Ecclesiasticos qui latinam linguam prorsus ignorant, ad parœcias vel ad præbendas suscipi vetat.

11. Clericos vetat talis ludere.

12. Mandat presbyteris, ut saltem quater in anno, & prælatis, ut ter missam celebrent, in mulctæ pœnam.

13. Concionatores sine episcopi venia concionari vetat.

14. Impetit minores clericos qui clericalem habitum & tonsuram non deferunt.

15. Clericis interdicit, ne temporalibus dominis, præterquam regi, milites parent.

16. Vetat, ne nuptiæ aliis temporibus quam quibus per Ecclesiæ leges licet, celebrentur, & ad mulctam clericos qui prohibitis temporibus nuptialem benedictionem impertiuntur.

17. Invehitur in clandestina matrimonia.

18. Eos communione privat qui vacantium beneficiorum bona emunt aut vendunt.

19. Exhiberi comœdias aut alia spectacula, larvatorum ludicras catervas institui, recitari cantilenas & haberi profana colloquia in ecclesiis vetat.

20. Eos ecclesiastica sepultura privat quibus vulnera in singulari certamine inflicta mortem afferunt, etiamsi pœnitentiæ Sacramentum ante mortem susceperint.

21. Eamdem in raptores pœnam statuit.

22. Eos excommunicationi subdit, qui ecclesiasticorum immunitatibus detrimentum afferunt.

23. Mandat, ut excommunicatio quæ in diœceseon una lata fuerit, in cæteris quoque servetur.

24. Interdicto locum subdit, e quo clericus vi pulsus fuerit.

25. Vetat, ne quid ob ordinationem, seu ante, seu post, ac ne ob sigillum aut ceram quidem, exigatur aut accipiatur.

26. Declarat pœnas in beneficiarios latas ad omnis generis prælatos protendi.

27. Episcopis a censuris in synodo latis absolvendi potestatem concedit.

28. & 29. Horum decretorum in diœcesanis synodis & in cathedralibus ecclesiis annuntiationem præcipiunt. *Ibidem.*

Concilium Senonense an. 1485.

Tristandus de Salazario, Senonensis archiepiscopus, an. 1485. in sua Senonensi urbe concilium coegit, in quo constitutiones confirmavit quæ in alio concilio a Ludovico de Melunio, ante annos viginti quinque, celebrato super capitibus quatuor editæ fuerant; versabatur caput primum super divini officii celebratione; versabatur alterum super cleri reformatione, prælatorum obligationibus, ecclesiasticorum vestibus & moribus; versabatur tertium super religiosorum reformatione; versabatur quartum super laicorum quoad Ecclesiam obligationibus. Statuta hæc e Basileensi & Lateranensi conciliis, e Pragmatica Sanctione, e Decretalibus & ex aliis provincialibus conciliis deprompta sunt. *Vide* concilium Senonense an. 1460.

CONCILIA
SÆCULI DECIMISEXTI.

V. Lateranense Concilium, an. 1512.

DUM Pisanum concilium habebatur, summus Pontifex Julius II. hoc in urbe Roma celebrandum indixit, ad schismatis extinctionem, ad Ecclesiæ reformationem, ad Christianorum Principum concordiam, & ad bellum in Turcas, prout enuntiat indictionis bulla. Illud apertum fuit die 3. Maji, ejusdemque mensis die 10. habita prima sessio. Cœtui Papa præfuit, adsistentibus quindecim cum eo cardinalibus, Alexandriæ & Antiochiæ latinis patriarchis, archiepiscopis decem, quinquaginta sex episcopis Italis, nonnullis abbatibus & generalibus ordinum, oratoribus regis Hispaniæ, rerumque publicarum Venetæ & Florentinæ. In eo habitæ sessiones duodecim, priores quinque sub Julio II. & reliquæ septem sub Leone X.

I. SESSIO. Lecta est indictionis Bulla, lectus item Toletani concilii canon undecimus super modestia & concordia quæ in hujusmodi cœtibus vigere debent; nominatique fuere concilii officiarii.

II. SESSIO, *die* 27. *Maji*. Post sermonem qui a Cajetano fratrum Prædicatorum Ordinis Generali pronuntiatus fuit, Baltassar Tuardus qui Papæ a secretis erat, ambonem conscendit, ex eoque fœderis inter Angliæ regem & Papam initi actum legit.

III. SESSIO, 3. *Decembris die*. In hac Papa Bullam renovavit quæ, quicquid Pisis & Mediolani contigerat, abrogabat, & Galliæ regnum interdicto subdebat. Gurcensis episcopus, Imperatoris nomine, declaravit eum approbare concilium, & ab iis omnibus quæ Pisis acta, recedere.

IV. SESSIO, 10. *Decembris die*. In hac lectæ regis Ludovici XI. Patentes Litteræ, ad Papam Pium II. missæ; abrogabatur in his Pragmatica Sanctio. Concilii advocatus in hanc Pragmaticam sermonem habuit, ejusque revocationem petiit. Decretum fuit in Pragmaticæ defensores, cujusmodi erant Præsules, Principes & Parlamenta regni Galliæ, monitorium, ut, intra dies sexaginta, concilio se sisterent, & rationum momenta quæ ad ejus abrogationem impediendam sibi suppetere contendebant, in medium afferrent.

V. SESSIO, *die* 16. *Februarii, an.* 1513. Huic Papa non adfuit, quia in morbum inciderat. Cardinalis S. Georgii, Ostiensis episcopus, ejus locum suscepit. Decreta fuit nova in Galliam monitio, ut ea super eodem negotio responsum daret; & Papa Julius, sexta post hanc sessionem die, vivere desiit.

VI. SESSIO, 27. *Aprilis die*. Huic Leo Papa X. Julii successor, præfuit. Prolatum fuit monitorium quod in Pragmaticæ fautores Julius ediderat, & petita, contra Gallorum hac in causa contumaciam, in jus vocatio; at in hanc consentire Papa noluit, eo consilio, ut Gallos per dexteritatem & suavitatem devinceret. Et sane, Ludovicus XII. ad concilium oratores misit ea potestate instructos, ut ipsius nomine declararent eum a Pisano concilio recedere, & Lateranensi adhærere, ea conditione, ut cardinales degradati restituerentur, & quod actum in regnum fuerat, abrogaretur.

VII. SESSIO, *Junii die* 17. Lectæ cardinalium Pisani concilii, Bernardini de Carvajal, & S. Severini litteræ per quas schisma abdicabant, omnia Pisani concilii acta damnabant, quæ vero Lateranense concilium ediderat, approbabant, se Papæ Leoni dicto audientes fore promittebant, seque a Papa Julio e cardinalium albo jure ac merito expunctos esse profitebantur.

VIII. SESSIO, 17. *Decembris die*. Huic Papa præfuit. Ludovici XII. oratores actum obtulere per quem rex eorum dominus præsenti Lateranensi concilio adhærebat & Pisanum revocabat cui conciliabuli notam inurebat. Lectus actus hic qui, inter alia, enuntiabat, 1. quamvis rex credidisset graves sibi causas subesse, cur Pisanum concilium indiceret & propugnaret, tamen, postquam intellexit illud Papæ Leoni X. non probari, cumque Papa hic eum per litteras hortatus fuerit, ut idem concilium respueret, & alteri, Romæ congregato, tamquam uni legitimo adhæreret, quandoquidem, Papa Julio vita functo, aversionis ratio omnis desierat, dictoque Pisano concilio tum imperator, tum cardinales nuntium remiserant, eum, suo nomine, promittere se non amplius dicto Pisano concilio suffragaturum, perfecturumque, ut cœtus qui ejus nomine Lugduni habebatur, intra mensem desineret.

2. Super postulatione ab uno e concilii procuratoribus contra Provinciense Parlamentum exhibita, Papa in ejus Parlamenti membra monitorium decrevit quo adigerentur, ut per se, intra menses tres, ad concilium accederent. In hac postulatione, id erat in querelis illud Parlamentum pati nolle gratiæ & justitiæ litteras a Sua Sanctitate concessas executioni mandari, nisi idem Parlamentum annueret, illudque in clericos & beneficia sibi auctoritatem tribuere quæ eidem non conveniebat; quod postulatio nuncupat in sanctam sedem caput erigere, Satanæ superbiam scilicet imitari. Parlamentum tamen, id agens, non alio spectabat, quam ut Gallicanæ Ecclesiæ libertates sartas tectasque servaret, suumque annexæ jus propugnaret, cujus vi omnes bullæ, brevia, rescripta & mandata apostolica ad collationem beneficiorum, jubileorum, indulgentiarum, dispensationum votorum ætatisque, in executione poni non poterant sine ejus nutu & ratihabitione; quod appellabatur *annexa*. Et sane, jus hoc æque vetus ac Gallicum ipsum imperium erat, & solide in Provincia statutum fuerat; quod perspicitur ex Collectione Monumentorum super hoc ipso jure, auctore D. de Maussac, consiliario in Aquisextensi Parlamento, Aquis Sextiis an. 1717. typis edita. Re quidem ipsa, post Melignanense prælium, cum Leo Papa X. ad Galliæ partes accessisset, & Provinciense Parlamentum publicam Papæ satisfactionem exhibuisset, & censurarum absolutionem petiisset, Papa ipse, quod in eo erat, hoc annexæ jus confirmavit, assensusque est, eo Parlamentum, ut antea, deinceps frui.

3. Lectum est in philosophos quosdam decretum qui contendebant rationalem animam mortalem esse & in omnibus hominibus unam tantum existere, contra atque ait Christus Dominus in Evangelio, animam occidi non posse, eumque qui animam suam odit in hoc mundo, eamdem in æternam vitam custodire, & contra atque a Papa Clemente V. in Viennensi concilio, decisum fuit, animam esse vere suapte natura & essentialiter humani corporis formam; immortalem esse multiplicemque pro corporum numero quibus infusa est.

4. Mandatum, ut quicunque sacris ordinibus initiati sunt, post tempus quod grammaticæ & dialecticæ tribuerunt, alios præterea studii annos quinque in philosophia transigerent, quin ad theologiam & canonicum jus incumberent.

5. Editæ Bullæ tres. Prima ad Christianos Principes missa, eos hortandi causa ad pacem & concordiam, & ad arma in Infideles vertenda. Ad Boemos altera, commeatum continens, ad eos adigendos, ut ad concilium venirent. Tertia ad reformationem officiariorum Romanæ Curiæ, super exactionibus quas ob beneficiorum provisiones aliasque expeditiones, ultra quam iis debebatur, edebant.

IX. SESSIO, *die* 5. *Maji an.* 1514. 1. Lectus Gallicanorum Præsulum actus quo se excusabant qui ad Lateranense concilium se conferre non potuissent, propterea quod imperator & Mediolani dux fidem publicam iis negaverant. Inerat actui subscriptio episcoporum quinque, Cabillonensis, Lisiacensis, Ambianensis, Eugolismensis, Laudunensis; eumque ediderat Guillelmus de la Coste, prior commendatarius Vaulvisii, in Embrodunensi diœcesi, & S. Salvatoris Montis Pessulani, in Maguelonensi diœcesi, collegiatæ ecclesiæ canonicus. 2. Super Romanæ curiæ reformatione, lectum est decretum susius quod plures de disciplina perutiles constitutiones continet. At nulla inter eas extitit quæ læsiones bene multas a Gallia & Germania contra Romanam curiam notatas spectaret.

X. SESSIO, *die* 4. *Maji an.* 1515. Huic Papa præfuit, adfuere cardinales viginti tres, magnusque archiepiscoporum, episcoporum, abbatum & doctorum nume-

numerus. In eadem lecta fuere decreta quatuor. Primum declaravit Montes Pietatis dictos qui in Italia & alibi instituti sunt, quique sunt quoddam veluti forum publicum in quo datur indigentibus pecunia, datis pignoribus quæ post elapsum tempus venduntur; hos, inquam, Pietatis Montes usurarios non esse, quamvis satius foret perfectiusque loca statui in quibus pecunia gratis daretur. Decretum alterum ad clerum spectat; Papa non vult exempta capitula exemptione qua gaudent, uti posse, ut parum e regulis vivant, & superiorum correctionem evitent; eam proinde facultatem diœcesanis episcopis tribuit, ut puellarum monasteria quæ sanctæ Sedi proxime subsunt, semel in anno visitent; 2. statuit, ut causæ ad beneficia spectantes, modo hæc reservata non sint, eorumque reditus ducatos nummos viginti quatuor non superet, in prima quidem instantia apud ordinarios dijudicentur; nec ab horum judicio, antequam definitiva sententia prolata fuerit, appellari possit, nisi interlocutoria gravamen contineat quod per definitivam sententiam reparari non possit.

Tertium super librorum impressione versatur. Vetat, ne quis in posterum liber aut Romæ aut in aliis urbibus & diœcesibus imprimatur, quin eum prius, Romæ quidem, Suæ Sanctitatis vicarius, itemque sacri Palatii magister, in cæteris autem urbibus, diœcesanus episcopus, aut aliquis doctor ab episcopo nominatus, expenderint, signatamque eidem approbationem addiderint; omnino, sub excommunicationis pœna.

XI. SESSIO, *die* 19. *Decembris an.* 1516. Admissi ad Papæ obedientiam ii quos Maronitarum patriarcha deligaverit; lectaque eorum fidei professio per quam profitebantur Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, tamquam ab uno principio & per unicam spirationem; existere purgatorium; suorum fideli cuique peccatorum confessionem edendam esse, suscipiendamque eucharisticam communionem, semel saltem in anno, &c. 2. Lecta Bulla quæ concionatoribus in divini verbi enuntiatione servandas regulas præscribebat. 3. Lecta celebris Bulla quæ Concordatum inter Papam Leonem X. & Galliarum regem Franciscum I. Bononiæ initum Pragmaticæ Sanctioni substituebat. Concordatum hoc, re quidem vera, Pragmaticæ articulos plures continet; at plerique deformati fuere, aliique bene multi penitus abrogati.

Articulus primus cum Pragmatica omnino pugnabat; hæc electionum jus restituerat; at Concordatum statuit, ut cathedralium Galliæ ecclesiarum capitula non amplius in posterum, cum sedes vacaverit, suorum præsulum electionem peragant, sed rex, intra sex menses, a prima vacantis sedis die numerandos, doctorem aut licentiatum in theologia, saltem viginti septem annos natum Papæ nominet, eique Papa vacantem ecclesiam conferat; ac Rex ipse, si minus idoneam personam nominaverit, aliam intra tres, postquam monitus fuerit, menses a rejectionis die repetendos, nominet; secus, Papa provideat.

2. Per hunc tractatum, sibi Papa reservat nominationem episcopatuum vacantium *in curia* (videlicet, beneficiariorum qui in Romana curia moriuntur), quin regis nominationem expectet. Videri potest in hanc rem, 1. Concordati textus, quod totum quantum est, perinde ac Pragmaticam, ad hujus secundi voluminis calcem posuimus, ut nostrorum lectorum commoditati consuleremus; 2. Historia Pragmaticæ Sanctionis & Concordati, quam *Pithou* nobis dedit.

Articulus secundus expectativarum omnium gratiarum, & reservationum pro beneficiis vacaturis abrogationem indicit.

Tertius instituit graduatorum jus, & oportere vult, ut collatores tertiam beneficiorum partem, quorum collatione gaudent, graduatis tribuant; seu potius graduatos nominent ad beneficia quæ quatuor anni mensibus vacare contigerint; nempe, Januario & Julio mensibus eos qui sui gradus litteras suorumque studiorum tempus insinuaverint; qui quidem appellantur *rigoris menses*; Aprili vero & Octobri mensibus, graduatos solum nominatos, qui scilicet haud suos gradus insinuandos curaverint; qui *favoris menses* nuncupantur. Necessario studiorum tempori designati sunt anni decem, quoad doctores, licentiatos aut baccalaureos in theologia; anni septem, quoad doctores & licentiatos in jure canonico seu civili, & in medicina; anni quinque, quoad magistros & licentiatos in artibus; anni sex, quoad baccalaureos simplices in theologia; anni quinque, quoad baccalaureos in jure canonico seu civili; ac si nobiles sint, tres menses tantum.

Dicitur necesse fore, ut singuli suas gradus & nominationis litteras, semel ante beneficii vacationem exhibeant, per universitatis litteras, in qua studuerint, & nobiles quidem suam nobilitatem probent; omnesque graduati, quotannis, in quadragesima, suarum litterarum gradus, nominationis, studiorumque attestationis exemplum collatoribus aut patronis ecclesiasticis dent, suaque ipsorum nomina & cognomina insinuent; quod si quo forte anno facere omiserint, non poterunt, eo quidem anno, suorum graduum vi, beneficium vacans requirere; si vero graduatorum nullus insinuaverit, collatio libera erit collatori, dummodo non, intra primam insinuationem & quadragesimam, beneficium vacaverit.

Collatores, in favoris mensibus, quos e graduatis nominatis voluerint, seligere poterunt; at, in rigoris mensibus, seniori nominato beneficium tribuere debebunt; &, in concurrentiæ casu, doctores licentiatis, licentiati baccalaureis anteferentur, exceptis baccalaureis formatis in theologia qui licentiatis in jure vel in medicina, exceptisque baccalaureis in jure qui magistris in artibus præferentur.

Nuncupabantur *baccalaurei formati* qui non ante tempus, sed secundum statutorum formam, & post studia annorum decem, sucs gradus sumpserant.

In plurium doctorum aut licentiatorum concurrentia, theologia primum locum tenebit; deinceps jus canonicum, civile jus & medicina; &, in æqualis concurrentiæ casu, ordinarius cui maluerit, gratificari poterit. In suis etiam nominationis litteris, graduati beneficia quæ jam possident, eorumque valorem exprimant, necesse est; ac, si quod habeant cujus valor ad ducentos annuos florenos ascendat, quodve residentiam postulet, alia beneficia, suorum graduum vi, obtinere non poterunt. Cæterum, semper beneficia regularia regularibus, & sæcularia sæcularibus conferentur, quin hac in re Papa dispensare possit. Resignationes & permutationes in graduatorum mensibus liberæ erunt. Urbium parœciæ graduatis tribuentur. Denique, jubentur universitates iis tantum nominationis litteras dare, qui studiorum præscriptum tempus peregerint.

Concordatum inter & Pragmaticam Sanctionem id discriminis intercedit, quod hæc omnes collatores & patronos ecclesiasticos adigebat, ut omnium beneficiorum quæ ad eorum dispositionem spectabant, accuratos indices tenerent, atque ita e tribus unum, ex indicis ordine, graduatis conferrent; at Concordatum, hoc jure servato, solummodo hunc indicis ordinem seu turnum ademit, affecitque graduatis beneficia quæ per anni menses quatuor, supra notatos vacarent; ac jus hoc etiamnum viget.

Articulus quartus declarat providere Papam posse ad beneficium quidem unum, cum beneficia decem quæ tribuat, collator habebit, & ad duo, cum quinquaginta, dummodo non sint ejusdem ecclesiæ præbendæ duæ; & Papæ quidem, in hac collatione, id juris fore, ut ordinarios collatores præveniat. Beneficii justus valor in provisionibus exprimi debet; si secus fieret, gratia nulla esset.

Quintus causas & appellationes spectat; & hic quidem Pragmaticæ concinit. In eo dicitur oportere, ut causæ suis in locis finiantur ab iis judicibus quorum est ex jure, ex consuetudine vel ex privilegio cognoscere, exceptis majoribus causis quæ in jure expressæ sunt; ea lege, ut ne appelletur ad ultimum judicem, *omisso medio*, neve appellatio ante definitivam sententiam interjiciatur, nisi interlocutoriæ sententiæ læsio in definitivo judicio reparari non possit.

Sequentes articuli quinque sunt iis omnino similes qui in Pragmatica occurrunt; nempe, sextus, de pacificis possessoribus; septimus, de concubinariis; octavus, de commercio cum excommunicatis qui in quibusdam casibus vitandi non sunt; nonus, de interdictis; decimus spectat decretum, *De sublatione Clementinæ, Litteris*. Quod attinet ad Pragmaticæ Sanctionis articulos duos qui super annatis & Cardinalium numero versantur, Concordatum nullam eorum mentionem facit.

Lecta est deinde, in concilio, Bulla quæ Pragmaticam Sanctionem abolebat, propterea quod eam ex capitibus pluribus notorie nullam esse contendebatur, ut etiam nihil obstiterit, quin *depravatio regni Galliæ* appellaretur. Bulla hæc ab universo cœtu recepta fuit, uno excepto Tortonæ in Longobardia episcopo cui satis animi fuit, ut ei repugnaret, „ unus omnium maxime sollicitus, inquit Fleurii continuator, de pretiosis veteris disciplinæ reliquiis, falsisque humanis „ rationibus minime, ut videtur, affectus. " Venerationem dixit quam Basileensi concilio & Bituricensi cœtui exhiberi par erat, impedire debuisse, quominus tanti momenti negotium attingeretur; ac sibi quidem probari non posse quicquam eorum revocari quæ duorum ejusmodi conciliorum auctoritate nitebantur; se porro spectare Bituricensem cœtum, tamquam verum conci-

concilium, ob sapientiam quæ in ejus decisionibus enitebat. At ejus significationis nulla habita ratio est. Basileensi Papa Lateranense concilium opposuit.

Cæterum, non ignoratur, quam graves oppositiones ex parlamento, ex Parisiensi ecclesia & ex universitatibus Concordatum subierit; quibus adhibitis temperamentis a parlamento receptum fuerit; quibus altercationibus dissidiisque ejus executio occasionem præbuerit.

2. Lecta est etiam, super religiosorum privilegio, Bulla per quam Papa ordinarios eo jure pollere vult, ut parochiales ecclesias visitent quæ ad regulares pertinent, ibique missam celebrent, id etiam juris iisdem tribuit, ut religiosos examinent quos ministerio addici libuerit; mandatque, ut, qui apud hos religiosos ab ordinario approbatos confessi fuerint, censeantur canoni *Utriusque sexus*, fecisse satis. Fuse deinde Papa ea singillatim enucleanda suscipit quæ regulares afficiunt.

XII. SESSIO, *die* 16. *Maji, an.* 1517. In hac edita Bulla quæ, quicquid in superioribus sessionibus undecim actum fuerat, confirmabat, decimarumque quæ in bellum contra Turcos conferrentur, impositionem præcipiebat. Episcoporum plures dixere superesse bene multa in ordinem redigenda, nec oportere concilio finem imponi; at pervicit suffragiorum numerus major. Tum vero cardinalium unus, elata voce, *Domini*, inquit, *ite in pace*.

Est in comperto concilium hoc Lateranense quintum a Gallia tamquam œcumenicum non spectari; esse aliarum nationum theologos plures qui prorsus, ut Galli, sentiunt; & Cardinalem Bellarminum ipsum relinquere cuique integrum, ut ejus œcumenicam auctoritatem in dubium revocet. *Reg. Tom. XXXII. Lab. Tom. XIV. Hard. Tom. IX.*

Concilium Bituricense, an. 1528.

Habitum est provinciale concilium hoc, mense Martio an. 1528. ei occasionem præbente Lutheri hæresi. Franciscus de Tournone, tunc archiepiscopus Bituricensis, ejus provinciæ episcopis, abbatibus, prioribus & capitulorum deputatis adsistentibus, cœtui præfuit.

Impositæ, ad annos duos, omnibus exemptis & non exemptis, etiam S. Joannis Hierosolymitani beneficiis, omnibusque communitatibus & fabricis decimæ, e postremarum forma, sexto quoque mense, atque adeo citius, si opus esset, solvendæ, initio ducto a S. Michaelis festo die, ad exæquandam redemptionem Francisci, Galliarum Delphini, & Henrici, Aureliani ducis, quos eorum pater Franciscus I. e carcere egrediens, obsides Matriti reliquerat. Editæ quoque, hoc in concilio, ad morum reformationem, superque ecclesiastica disciplina, sequentes constitutiones.

Mandat prima, ut, cum Lutheri hæresin sancta sedes damnaverit, eadem damnetur, quando & ubicunque episcopis visum fuerit, generatim tantum, quin ejus errores singillatim enuntientur, nisi forte damnati errores hi alicubi disseminati comperirentur, in quibus tum quidem locis eosdem peculiares errores damnari oporteret.

Parochos jubet altera denuntiare apud episcopum eos e suis parochianis quos Lutheri ejusque assectarum erroribus infectos noverit; itemque eos episcopo designare quos sortilegiis & magiæ se immiscere perspexerint, ut puniantur.

Neminem non vetat tertia libros vendere, imprimere & retinere, in quibus disseminata esset Lutheri ejusque assectarum hæresis, ea, secus, indicta pœna, ut, siquidem hujus concilii mandatum, mense postquam enuntiatum fuerit, violaverint, in carcerem conjiciantur, vel alteri punitioni subdantur; mandatque singulis penes quos ejusmodi libri extiterint, ut eos episcopo ejusve magnis vicariis tradant.

Quarta haud licere vult vendi emive sacros libros, post annos octo gallice redditos, quin a locorum ordinariis revisi fuerint.

Mandat quinta, ut ne quæstuantes prædicare aut enuntiare indulgentias aliudve possint, sine episcopi, de scripto, venia & approbatione; parochos vero qui hos abusus toleraverint, æque ac quæstuantes, punitos vult; vetatque pariter eam alienigenis concionatoribus, cujuscunque tandem ordinis fuerint, veniam dari, ut sine ordinarii approbatione concionentur.

Sexta parochos jubet Dei Præcepta, Evangeliumque aut Epistolam, quæ diei propria sunt, populis sibi concreditis, pro concione, dominicis diebus singulis explicare, vel aliquid ad eos dicere, quod sua ipsis errata & virtutem ob oculos ponat; iisdem licere vult Gersonis librum cui titulus, *Trium partium Liber*, in gallicam linguam conversum legere; mandatque, ut, quo plus temporis institutioni tribuant, iidem consuetas preces, aliasque quæ necessariæ non fuerint, in compendium redigant.

Septima jubet synodica statuta gallice reddi, & synodicas orationes ita concinnari, ut eas quilibet unus e vulgo intelligere possit; & oportere pronuntiat, ut iis presbyteri & clerici intersint.

Octava vetat clericos populumque per ecclesiam deambulare, divini servitii tempore, aut dum sermo habetur & mandata edicuntur.

Nona mandat, ut, prout Constantiense concilium præscripsit, tertio quoque anno, provinciale concilium habeatur, suasque visitationes episcopi quotannis peragant.

Decima, ut blasphemi perquirantur & puniantur.

Undecima, ut suos parochi populos hortentur, ut parumper genu flectant, cum eucharistiæ elevationem per æris campani sonum nuntiatam audient.

Duodecima parochis mandat, ut ne ridicula quædam agi patiantur, quæ usus in Sacramentorum baptismi & matrimonii administrationem induxit; vetatque, ne pœnitentes sibi a confessario impositas pœnitentias detegant; neve confessarius eas quas ipse imposuerit, aut id quod in confessione audierit, patefaciat.

Decimatertia mandat, ut Constantiensis concilii & Pragmaticæ Sanctionis, super canonicorum aliorumque Ecclesiæ ministrorum residentia, statutum servetur, itemque quod ibidem super divino officio, psalmodia & in cantu pausis præscriptum est.

Decimaquarta, ut ne episcoporum mulctæ aut sigilli jus deinceps locentur.

Decimaquinta, ut ne typographi aut bibliopolæ, sine episcopi venia, ecclesiæ libros imprimant.

Decimasexta, ut ne, sine ordinarii consensu, confraternitates erigantur, harumque confraternitatum occasione convivia aut choreæ peragantur, vel usurarii contractus edantur.

Decimaseptima, ut episcopi festorum dierum numerum resecent, prout expedire judicaverint.

Decimaoctava, ut ne scholæ magistri suis discipulis libros legant qui eos a divino cultu & ab Ecclesiæ cæremoniis avertere possint.

Decimanona, ut suas parochi ecclesias saltem in anno visitent, & potissimum Paschatis tempore, quin tamen privilegiatorum exemptiones attingant.

Vicesima, ut ordinarii dimissorias litteras non ante concedant, quam petentes examinaverint, & idoneos compererint; ut qui sine dimissoriis litteris ordinati fuerint, suspendantur, quoad ordinario visum fuerit, & corporalibus pœnis, siquidem inepti comperti fuerint, afficiantur; iisque tantum dimissoria epistola concedatur, quibus beneficium aut patrimonialis titulus suppetet.

Vicesimaprima, ut eos quibus animarum cura est, haud sinant episcopi suum gregem deserere, ut ad aliorum beneficiorum servitium se conferant.

Vicesimasecunda, ut ne religiosas quidem e suo monasterio egredi patiantur, easque ad illud regredi jubeant, quæ extra sunt.

Vicesimatertia, ut religiosos qui extra suum claustrum vivunt, eo regredi, ibique ex instituto vivere jubeant.

Statutum, in eodem cœtu, ut de laicorum judicum in ecclesiasticorum jurisdictionem & libertatem ausis humillimæ apud regem querelæ ederentur; cœtus vero ipse ferri jussit, quæ sequuntur, ad ecclesiasticæ jurisdictionis reformationem decreta.

Primum statuit, ut ne monitoria concedantur, nisi saltem de librarum plusquam ducentarum re quoad impetrantem agatur.

Secundum, ut in monitoriis iteratisque aggravationibus in eos editis qui facti participes sunt, uxor, filii, famulique aut famulæ non comprehendantur.

Tertium, ut ecclesiastici foranses pragmatici, notarii, tabelliones, procuratores, aliique non per excommunicationem, sed solum per interdictum ingressus Ecclesiæ, ob salaria quæ iis a partibus debita fuerint, agere possint, quoad judices, perspecta debitorum contumacia, aliter de re mandaverint.

Quartum, ut, super prima contumacia, non excommunicationis, sed ingressus ecclesiæ tantum interdicti litteræ concedantur, nisi ordinarii, quoad locorum & consuetudinum varietatem, aliter agendum censeant.

Quintum, ut, quo metropolitani judices jus reddere possint, suffraganei eorumve officiales latine & gallice, aut ea saltem lingua quæ in metropoli intelligi possit, suas judiciarias perquisitiones & denuntiationes edant.

Extant alia hujus concilii decreta duo, quorum unum mandat, ut parochi cæterique beneficiarii quibus animarum cura est, suis in beneficiis resideant, nec iis, sine

sine causæ cognitione, litteræ concedantur, per quas residentiæ legi eximantur, ibique vicarios instituere possint; alterum jubet, ut cœmeteria, quo impediatur eorumdem pollutio & profanatio, quamprimum licuerit, &, ut serius, intra annos tres ab enuntiatis hujus concilii decretis, claudantur; iique quos cura hæc afficit, si id facere neglexerint, ab ordinario puniantur. *Lab. Tom. XIV. Hard. Tom. IX.*

Concilium Senonense, seu, *Parisiense*, *an.* 1528.

Cardinalis de Prato, archiepiscopus Senonensis habuit suæ provinciæ concilium hoc quod Februarii die 3. inchoatum, sequentis Octobris 9. absolutum fuit.

Hujus concilii statuta tribuuntur in partes duas; prima ad doctrinam pertinet, ad disciplinam & mores altera.

Præfatio quæ in hujus concilii initio legitur, errorum Lutheri, *Zuinglii*, cæterorumque recentiorum hæreticorum cum iis affinitatem ostendit, qui a Manete, ab Aerio, a Vigilantio, a Petro Valdo, a Marsilio Patavino, & a Wicleffo disseminati fuerunt. Animadvertitur, ad ejus calcem, novatores haud inter se consentire; eorum alios in imagines invehi quas alii tolerant; alios rejicere humanos usus quos tamquam apprime utiles alii propugnant; alios anabaptismum docere, aliis vero hunc usum horrori esse; inter eosdem de eucharistia non convenire; alios credere eam non esse nisi signum Corporis & Sanguinis Christi Domini, alios vero profiteri Christi Domini Corpus & Sanguinem vere eamdem esse; at utrosque a veritate recedere, prout asserunt ibi panis & vini substantiam remanere; inter eos esse qui glorientur se habere Spiritum Sanctum qui iis sacræ Scripturæ intelligentiam tribuat, quin egeant interprete, quam sententiam alii rejiciunt; has porro contradictiones satis evincere, quam longe absint omnes & singuli a veritate quæ semper eadem & una est, secumque ipsa nunquam pugnat.

Concilii de fide decreta antevertit synodica cardinalis Pratensis Epistola per quam Præsul tamquam hæreticos, generatim eos omnes damnat & anathematizat qui credunt aut propugnant pertinaciter doctrinam ab ea aliam quæ Romanæ Ecclesiæ est, quia universalis Ecclesia, quippe quam Spiritus Sanctus regit, errare non potest. Hæreticorum pariter defensores & fautores excommunicationi subdit, eosque vitari jubet qui de hæresi suspecti sunt, postquam semel aut iterum moniti fuerint. Præscribit deinde regulas quæ, dum in hæreticos agitur, servari, pœnasque plures quæ iisdem imponi debent. Qui tamquam hæretici damnati sunt, suamque hæresin abjurare nolunt, ad pœnitentiam & carcerem, quoad vixerint, in foro ecclesiastico, damnabuntur, &, postquam a suis ordinibus, si clerici sint, degradati fuerint, sæculari brachio tradentur; &, quia difficile esset episcoporum numerum congregari qui a canonibus ad sacerdotum degradationem requiritur; uni tantum episcopo, abbatibus aliisve prælatis accitis, ejus peragendæ facultas tribuitur. Ad relapsos quod attinet, hos quidem, absque ulla juris forma, sæculari brachio tradi jubetur; atque ejusmodi declarantur qui, postquam hæresin apud judicem abjurarunt, etiamsi damnati non fuerint, in eamdem aliamve hæresin relabuntur, aut qui hæreticos sustinent, iisque favent; ea tamen lege, ut ne pœnitentiæ & eucharistiæ sacramentis, si suorum eos erratorum pœnituerit, destituantur. Post sententiam ab ecclesiastico judice pronuntiatam, proscribentur hæreticorum bona, laicorum scilicet ad fisci, & ecclesiasticorum ad ecclesiarum emolumentum. Eadem constitutio occultos hæreticorum cœtus, librorumque Lutheri lectionem prohibet; mandatque, sub pœnis quas canones ferunt, ut hæretici detegantur; denique declarat sæculares magistratus ad judiciorum quæ in hæreticos edita fuerint, executionem, ecclesiasticis judicibus præsto esse debere.

Excipiunt epistolam hanc peculiaria, super fide, concilii decreta.

Primum super Ecclesiæ unitate & infallibilitate versatur. In eo declaratur hanc in nullum prorsus errorem, quod ad fidem aut mores attinet, labi posse; extra ejus sinum non esse saluti locum; eam unam, sanctam & infallibilem esse; eamdem a charitate excidere, aut a vera fide recedere omnino non posse; & quicunque ejus auctoritatem in doctrina vel in moribus secutus non fuerit, infideli pejorem esse.

Alterum eos impetit qui Ecclesiam hanc invisibilem esse dicunt.

Tertium pronuntiat generalia concilia quæ universam Ecclesiam repræsentant, ea decidendi facultate pollere, quæ fidei puritatem, hæreseon extirpationem, Ecclesiæ reformationem & morum integritatem spectant; eorum auctoritatem sanctam esse & violari non posse; & quicunque pertinaciter iis obsistit, fidei hostem censendum esse.

Quartum definit ad Ecclesiam pertinere, canonicos libros ab apocryphis libris, & sacræ Scripturæ catholicum sensum ab hæretico sensu distinguere; eosque qui concilii Carthaginensis, Innocentii & Gelasii canonem non sequuntur, sanctorumque Patrum sensum rejiciunt, ut sui privati spiritui sensum sequantur, tamquam schismaticos hæreticosque spectandos esse.

Quintum traditionum necessitatem & validitatem statuit, pronuntiatque, quicquid hac ratione receptum est, id credi & servari oportere; &, quicunque veritatem aliquam rejecerit, ea solum obducta causa, quod eadem clare in sacris Litteris expressa non sit, tamquam schismaticum & hæreticum habendum esse.

Sextum obedientiam spectat quæ Ecclesiæ constitutionibus usibusque debetur; in eoque damnantur qui eos contemnunt.

Septimum pronuntiat in eos anathema, qui quadragesimale & jejunia cætera abstinentiasque non servant quæ Ecclesiæ legibus præscribuntur.

Octavum eos in hæreticorum numero ponit qui docent sacerdotes, diaconos & subdiaconos cœlibatus lege obstrictos non esse, iisque iis ineundi matrimonii libertatem relinquunt.

Nonum eos impetit qui perpetua, præsertim vero monastica vota rejiciunt. In eo ostenditur iis obligationem adjunctam esse; & ad pœnas a canonibus latas damnantur qui licere dixerint ea violari.

Decimum de Ecclesiæ sacramentis agit. In eo damnantur qui eorum numerum imminuunt, iisdemve gratiæ conferendæ vim inesse negant; &, quid de unoquoque sacramento credendum sit, peculiariter explicatur; videlicet, baptismum ea virtute pollere, ut, gratiam conferens, nos a peccatis purget; ordinem per quem homines Christi Domini ministri fiunt, & ipsum gratiam conferre; eucharistiam esse Corpus & Sanguinem Christi Domini; confirmationem a Domino Nostro institutam fuisse ad baptizatos in gratia confirmandos, eumque episcopis tantum ejus conferendæ potestatem tribuisse; pœnitentiam iis necessariam esse qui post baptismum lapsi sunt, eamdemque cum dolore & contritione conjunctam esse debere; edendæ confessionis legem, a Christo institutam, &, ab apostolis ad nos usque, traditione firmatam ab omnibus fidelibus inviolate servandam esse; extremam unctionem efficax quoad peccata remedium esse; & matrimonium verum Sacramentum esse per quod conjugali cælestem benedictionem suscipiunt; denique eos omnes qui hæc septem Sacramenta non agnoverint, hæreticos haberi oportere.

Undecimum definit Christum Dominum instituisse altaris sacrificium in quo ejus corpus sanguisque offeruntur.

Duodecimum peccatores quibus peccati culpa post baptismum remissa est, adhuc temporalis pœnæ debitores, eique in altera vita expiandæ obnoxios esse posse, ac proinde sanctum & salutarem usum esse pro defunctis orare.

Decimum tertium, sanctos in cælis cum Christo regnantes preces nostras audire, nostrisque miseriis permotos pro nobis intercedere; licere eos honorari, eorum festa celebrari, eorumdemque passiones in ecclesia legi.

Decimum quartum, imaginum cultum idololatriam non esse, quia non eas Catholici ut Deum adorant, nec putant iis aliquam divinitatem inesse, sed iis solum utuntur, ut sibi Dei Filium in mentem revocent, ad eumque se, cujus repræsentationem vident, amandum excitent; se ante imaginem non tamquam ante aliquam divinitatem prosternere, sed eum adorare cujus ipsis imago passionem aut resurrectionem exhibet; denique imagines simplicibus hominibus inservire, ut eos ad sanctorum qui ipsis repræsentantur, virtutem & pietatem imitandas excitent, præsertim cum uno sæpe ictu oculi, in imagine, bene multa videri possint, quæ in libris non nisi longo temporis spatio percipi possent.

Decimum quintum servat liberum arbitrium, ut ne tamen gratiam excludat. Declaratur econtra voluntatem ab interna gratia præveniri, ut se ad Deum convertat & ad sanctificationem comparet; sed ita quidem, ut gratia hæc nullo non momento temporis in promptu sit, eique semper resisti possit; verum esse Deum nos trahere, at non vi; nos prædestinare, nos eligere, nos vocare; at non glorificare nisi eos

qui

qui fide & charitate nixi certam suam vocationem & electionem per bona opera reddiderunt.

Decimum sextum pronuntiat homines non per solam fidem, sed per charitatem justificari; & bona quidem opera non solum non esse peccata, verum etiam esse ad salutem necessaria, eademque tamquam meritoria spectari posse.

Decreta hæc sequitur errorum catalogus quos recentiores hæretici huic doctrinæ contrarios disseminaverant.

Secunda pars continet super disciplina statuta numero quadraginta.

Primum commendat, ut pro Ecclesiæ & Regni pace publice preces edantur.

Secundum vetat, ne quid, ob sacramentorum rerumve sacrarum administrationem, quavis obducta causa, exigatur.

Tertium episcopos prohibet sacros ordines cuipiam conferre, quin is parochi litteras a duobus præterea testibus firmatas afferat e quibus de ipsius vita & moribus constet, & quin per examen idoneus compertus fuerit.

Quartum iis tantum subdiaconatus ordinem collatum vult quibus suppetit beneficii aut patrimonii titulus, cujus annuus census parisiensium saltem viginti librarum sit; &, ut impediatur, ne quid fraudis hac in re subsit, mandatur, ut cessionarius juret sibi cum cedente nullum restituendi tituli pactum esse, se velle eum retinere eoque frui, quoad vixerit; eidemque interdicitur, ne eum alienet sine episcopi venia, quoad beneficium aut patrimonium, cujus idem sit valor, ei suppetat.

Quintum jubet ordinarios non concedere dimissorias litteras, quin de eorum quibus eas tribuunt, ætate, doctrina, moribus & titulo cognoverint; ac, si, qui eas petit, suo se episcopo commode præsentare non possit, hoc examen ad episcopum remitti ad quem dimissoriæ litteræ datæ sunt, hac addita clausula: *Super quo conscientiam suam oneramus*; ita nihilominus, ut iis tantum quibus valoris, ut supra, beneficium aut patrimonium est, dimissoriæ litteræ concedantur.

Sextum, a sacris ordinibus eos suspendi qui ante ætatem a canonibus præscriptam ordinati, aut non satis idonei comperti fuerint, usque eo dum ad legitimam ætatem pervenerint, aut satis edocti sint.

Septimum, eos qui in Romana curia ad ordines promoti sunt, ab episcopis examinari, antequam ad sui ordines admittantur.

Octavum, episcopos eorum examen edere quibus parœciarum nominationes aut provisiones fuerint, iisque tantum institutionem tribuere quos requisitis qualitatibus instructos compererint.

Nonum, beneficiorum collatores debere ea personis idoneis conferre; iisque, si moniti id facere negligant, collationem a concilio interdici.

Mandatur, in decimo, ut iis qui officio adsistunt, in omnibus cathedralibus & collegiatis ecclesiis, sit manualium distributionum satis.

Undecimum parochis præcipit, ut suis in parœciis resideant; ibidem, dominicis diebus singulis, vernacula lingua, Dei præcepta decem, & fidei nostræ articulos explicent; aut, si non habent scientiæ satis, ut prædicent ipsi per se, legant unum capitum operis partium trium, cujus auctor Joannes Gerson.

Decimum secundum iisdem mandat, ut suos parochianos moneant, ut parochiali missæ dominicis festisque diebus intersint, & quod pro concione dicitur, attente audiant; mandat præterea, ut promotoribus eos denuntient qui eidem missæ, consecutis dominicis diebus tribus, interesse neglexerint. Monentur denique, in hoc statuto, ut parochianos hortentur, ut sæpe sua peccata confiteantur, & eucharistiæ sacramentum suscipiant, præsertim diebus festis, aut morbi tempore, aut cum versantur in mortis periculo, aut cum inibi sunt, ut iter aggrediantur; invigilentque, ut iidem saltem semel in anno ad sacram mensam accedant.

Decimum tertium mandat, ut in parochialibus ecclesiis non solum dominicis festisque diebus missa celebretur, verum etiam diebus cæteris ibidem, quæ fundationis sunt, officia peragantur. Idem vetat, ne novæ capellæ erigantur, aut quæ dirutæ sunt, restituantur, quin in id facultas ob episcopo impetrata fuerit.

Decimum quartum missam prohibet in privatis capellis celebrari, obducta Papæ venia, nisi veniam hanc episcopi viderint & approbaverint. Interdicit etiam capellas quæ vulgo erant in diversoriis.

Decimum quintum vetat, ne in capellis aliæ quam fundationis missæ dicantur; ne hæ ipsæ, dominicis quidem diebus, dicantur nisi post parochialem missam; ne facile episcopi novarum capellarum fundationes concedant; neve manualia altaria, sine necessitate, consecrent.

Decimum sextum super reverentia versatur quæ ecclesiis debetur; vetat nempe, ne in iis profani cœtus aut sermones habeantur; ne in iis quicquam toleretur, quod officium turbare, Deumve lædere possit; ne in eas ingredi circulatores sinantur, instrumentis lusuri; ne denique amplius festum quod larvarum dicitur, agitetur.

Decimum septimum mandat, ut ecclesiæ cantus is sit qui pietatem inspiret; ac probe caveri jubet, ne ibidem canantur ludanturve super organis profanæ cantilenæ, modique lascivi.

Decimum octavum statuit, ut in cathedralibus collegiatis & conventualibus ecclesiis recitetur officium decenter, graviter & attente; assurgatur, cum dicitur *Gloria Patri*, flectaturque caput, cum pronuntiatur nomen *Jesu*; suum denique officium nemo privatim recitet, dum illud in choro canitur.

Decimum nonum beneficiarios eosque qui in sacris ordinibus constituti sunt, admonet, suum ut officium distincte & placide recitent, totiusque diei distributionibus eos privat qui deambulantes aut garrientes circum ecclesiam comperti fuerint, dum ibidem canonicarum horarum aliqua recitatur.

Vicesimum absentias officiariorum chori moderatur; ita scilicet, ut absentes notentur; ut, qui ad matutinum aliasque horas non ante *Gloria Patri* primi psalmi, & ad missam non ante epistolæ finem perveniunt, censeantur absentes & distributiones amittant; ut, quibus in ecclesiis suæ singulis horis distributiones non suppetunt, hæ quidem e præcipuis quas grossas vocant, sumantur; ut denique decani, præpositi aliique officiarii non habeantur præsentes, nisi cum ad ecclesiæ bonum absuerint.

Vicesimum primum statuit, ut, statim ac quispiam cathedralis aut collegiatæ ecclesiæ canonicus receptus fuerit, præbendæ præcipuum proventum & cætera emolumenta percipiat, nisi adsit legitima & peculiaris fundatio per quam præbendæ reditus aliis ecclesiis aut piis usibus ad tempus addicti sint; damnata quæ in aliquibus ecclesiis obtinet, consuetudine, ut novorum canonicorum proventus, stati temporis spatio, inter seniores canonicos dividantur; jubetque episcopos, cum ad suas diœceses post absolutum concilium redierint, expendere breviaria, antiphonaria, Missalia, sanctorum legendas, ut, quæ minus apta prorsusque absona judicaverint, ex iis expungant.

Vicesimum secundum, ut abbates & abbatissæ, priores & priorissæ regularem disciplinam suis in monasteriis servandam curent, impediantque, ne religiosi & religiosæ, absque ordinis habitu, e claustro pedem efferant, ut ne id ipsis religiosi instituti deferendi occasionem præbeat; episcopi vero, in suarum visitationum cursu, explorent, quemadmodum monasteria se habeant, & quid in iis corrigendum sit; iidemque remedia quæ necessaria censuerint, adhibeant; denique regulares canonici nec publice nec in suis monasteriis sine lineo supparo quod rocchettum dicunt, incedent, nisi ab eo gestando per peculiare privilegium exempti sint, quod ostendere debebunt episcopo qui poterit iis mandare, ut habitum deferant qui ab ecclesiasticis sæcularibus eos distinguat.

Vicesimum tertium, ut ecclesiastici suis in vestibus modestiæ multum præseferant, &, in hunc finem, nec intra nec extra domum, sericum ullum habitum ferant; ut solum principum ducumque filii gaudeant serica indumenta gestandi jure, sed quæ tamen ecclesiasticum statum redoleant; ut vestes non quidem apertas, sed ad collum, ad latera, a tergo, & ad pugni brachiique commissuram clausas ecclesiastici gerant.

Vicesimum quartum, ut ecclesiastici caveant, ne longa quæ deferunt indumenta, vel ampliora vel arctiora sint, ne quid in iis conspiciatur quod fastum oleat, neve eadem crispata aut striata sint; ut æque molliorem nitorem, ac sordidum oris & corporis habitum aversentur; ut ne variis calceamentis, neve præter modum seu acutis, seu rotundis, seu patentibus calceis utantur; ut demum, quod Lateranense concilium statuit, se nec rubro nec viridi panno induant.

Vicesimum quintum, ut ecclesiastici, publice quidem, a pilæ alioque ludo quovis abstineant; ut ne ludant aleis, & præsertim cum laicis, ibive adsint, ubi ejusmodi ludis locus; neque vero choreis intersint; non canant amorum carmina, nec in locis versentur in quibus eadem canuntur; nihilque non honestum in eorum convictu sit.

Vicesimum sextum, ut presbyteri qui in incontinentia vivunt, ex canonum dispositione puniantur; & qui venabuntur, seque sæcularibus negotiis immiscebunt, Aurelianensis & Lateranensis secundi conciliorum pœnis subdantur.

Vicesimum septimum, ut, in administrationibus seu prioratibus, ubi unus tantum religiosus est, quia reditus non sufficit alendis pluribus, ne is religiosus solus remaneat, loci episcopus, prout a Viennensi concilio mandatum est, propiori monasterio administrationes seu prioratus uniat; idemque servetur in domibus in quibus una tantum monialis est.

Vicesimum octavum, ut virginum monasteria pro redituum ratione religiosas recipiant, nihilque, consuetudinis specie, aliove quovis colore, ob ingressum seu receptionem exigant; ita nihilominus, ut, si qua puella sibi aditum petat in monasterium in quo numerus completus sit, tum quidem monasterium pensionem accipere possit quæ ad numerariæ monialis mortem non extinguetur, atque id in pauperis puellæ favorem quæ recipietur defunctæ loco; episcopi vero monasteriorum clausuræ invigilent.

Vicesimum nonum, ut, quo reditus ad leprosorum nosocomia, valetudinaria, hospitalia, eleemosynaria pertinentes non in alios usus, contra fundatorum mentem, impendantur, prudentes administratores eligantur qui locorum statum earumque domorum reditus in fidelem codicem referent, suæque administrationis rationem quotannis reddent.

Tricesimum, ut episcopi, sub excommunicationis pœna, monopolium vetent quod in confraternitatibus fit, ut, festis potissimum diebus, ad vitæ licentiam expendatur; nec sinant novas, quin ipsi annuant, confraternitates erigi, intrave aut extra ecclesiam gestari confraternitatis baculum cujus cæremonia in epulas desinit; confraternitatum autem syndici & procuratores, intra sex ab horum decretorum enuntiatione menses, ad episcopum vel ad ejus generales vicarios suarum confraternitatum statuta deferant, expensæque confraternitatum pecuniæ rationem reddant; vetitis confratribus ferre calices, vasa & cappas Ecclesiæ; singulis annis, in parœciis eligantur æditui qui, munus ineuntes, eo se fideliter functuros jurabunt, eodemque defuncti, accepti & expensi rationem reddent.

Tricesimum primum, ut excommunicationes, ne forte contemptui subsint, ob graves tantum causas, post juris monita, pronuntientur.

Tricesimum secundum, ut episcopi, seu per se, seu per archidiaconos, parœciis, bis in anno, visitandis operam dent, in quibus hæreticos existere suspicio fuerit; & ad eos hæreticos iis detegendos, quo puniantur, incolas adigant.

Tricesimum tertium, ut, quia hæretici, quo facilius suam pravam doctrinam disseminent, gallice sacrorum librorum versiones edunt, iisque maxime periculosas ad marginem adnotationes cum Patrum explicationibus miscent, prohibeantur omnes bibliopolæ ullum librum, seu sacra Scriptura sit, seu aliquis de fide moribusve tractatus, vendere Typisque dare, sine episcoporum venia, excommunicationis indicta pœna; &, quoniam, ex annis viginti, hæretici libellos plures, tam latine quam gallice, imprimendos curarunt, ea parochis cura sit, ut pro concione, quater in anno legem enuntient, quo omnes præsens concilium fideles vetat, ne eos libros legant retineantque, sub excommunicationis pœna.

Tricesimum quartum, ut, quia concionatorum & quæstuantium nonnulli, sub religiosorum veste, parochis imponentes, id sibi sumunt, ut e suggestu dicant, novas e cathedra doctrinas ac sæpe numero hæreses venditant, &, quo sibi apud populum existimationem comparent, potestatibus tam sæcularibus quam ecclesiasticis obloquuntur, atque ita quidem auditores ad inobedientiam trahunt, ad tam grave malum avertendum, concionatorum aut quæstuantium nullum parochi concionari sinant, cui non hanc facultatem loci episcopus dederit; episcopi vero doctos honestosque viros in concionatores eligant, qui populo Evangelium nuntient, nec in eo sibi plaudant, ut profanos auctores, & poetarum loca proferant, scholarum controversias agitent, nugasque & mimicos jocos edicant.

Tricesimum quintum, ut concionatores qui, quod eorum est, non Evangelium nuntiaverint, non Dei præcepta docuerint, non vitiorum horrorem & virtutis amorem inspiraverint, sed ad risum movendum fabellas narraverint, & populos ad inobedientiam pertraxerint, interdicantur.

Tricesimum sextum, ut, quamvis Mendicantes, cum a monasterii præfectis quos *Guardianos* nuncupant, tamquam idonei selecti, episcopisque præsentati & ab iisdem approbati fuerunt, absolvendi potestate, per summorum Pontificum decreta, gaudeant, hæc tamen eorum potestas non ultra parochorum facultates feratur, cum ab ordinariis tantum casibus absolvendi jure polleant, nisi peculiarem quoad reservatos casus potestatem ab episcopis obtinuerint.

Tricesimum septimum, ut, quo fideles sciant quos religiosos ad confessiones approbatos adire possint, qui monasterio præsunt, operam dent, ut ibidem, stato in loco, tabellæ inscripta prostent religiosorum nomina quos ipsi ad confessiones audiendas delegerint.

Tricesimum octavum, ut qui ex abbatibus id sibi juris esse contendunt, ut confirmationis sacramentum conferant, suum privilegium, episcopis requirentibus, ostendere necesse habeant.

Tricesimum nonum, ut, quoniam matrimonium sacramentum est quod cum reverentia suscipi debet, sedulo, sponsalium & nuptialis benedictionis tempore, cachinni & ridicula verba vitentur; sponsi per jejunium & pœnitentiam ad hoc sacramentum se comparent; ac deinceps connubia non nisi post solis ortum ineantur, non autem a media statim nocte, quemadmodum fieri consueverat, quod clandestinis matrimoniis locum præbebat, e quibus longe maxima scandala derivantur; ut proinde qui ea contrahunt, iisdemque favent, excommunicati sint *ipso facto*.

Quadragesimum, ut, ne quid fit quod domus Dei sanctitatem lædat, caveant episcopi, ne qua indecens quæque rem aliquam sacrarum Litterarum veritati contrariam exhibeat, in ecclesiis pictura fit; ac ne quis populi credulitate & simplicitate abutatur, qui statim confluens eo candelas affert, ibique vota edit, ubi aliquod miraculum patratum audiit, nullum edicetur novum miraculum, hanc ob causam, nullumque sacellum hac occasione extruetur, sine episcopi expressa venia. *Ibidem*.

Concilium Coloniense, an. 1536.

Provinciale concilium hoc an. 1536. Pauli Papæ III. & imperatoris Caroli Quinti tempore, congregavit Hermanus Meursius, archiepiscopus Coloniensis, qui, deinde, novam Lutheri doctrinam amplexus, Bucerum & Melanctonem ad eamdem in ejus episcopatu prædicandam accivit, quinque adeo mordicus ei novæ doctrinæ adhæsit, ut archiepiscopatum abdicare mallet quam eamdem deserere, & in hæresi quam susceperat, an. 1552. mortem occumberet.

In hoc concilio redactæ in ordinem decretæque res ad classes, seu partes quatuordecim revocatæ fuere; quarum prima id continet quod episcopos afficit; altera id quod ecclesiasticos generatim spectat; tertia refertur ad metropolitanas, cathedrales & collegiatas ecclesias; canonicosque qui iisdem deserviunt; quarta ad parochos eorumque vicarios ac divini verbi ministros cæteros; quinta ad parochorum vitam & mores; sexta ad concionatoris qualitates; septima ad sacramentorum administrationem; octava ad parochorum subsistentiam; nona spectat ecclesiasticas constitutiones & ecclesiarum usus; decima vitam statumque monasticum; undecima hospitalia; decima secunda scholas, typographos & bibliopolas; decima tertia contentiosam ecclesiasticam jurisdictionem; & decima quarta archiepiscoporum & archidiaconorum visitationem, eorumque synodos.

Prima pars quæ episcopalia munia peculiariter spectat, tribuitur in articulos viginti sex. Revocat ibi concilium omnia Episcoporum munia ad capita potissimum duo, ut nempe sint, ministrorum ordinatio & institutio; deinde vero diœcesis visitatio. In primo articulo ordinationem ita definit, ut janua sit per quam in ecclesiasticum regimen quispiam ingreditur; &, quod inde consequens fit, mandat episcopis, ne facile ejusmodi ingressum cujusque generis personis concedant, neque quem recipiant, quin eum diutius examinaverint, ejusque prudentiæ & indolis argumenta perspexerint. In altero articulo, concilium vetat, ne episcopi, sine patrimonii, aut beneficii titulo, accedentibus ordines conferant. In sequentibus articulis, patronos hortatur, ne quam carnis & sanguinis rationem habeant; itemque capitula eosque qui electionis jure gaudent, ut eum eligant quem digniorem judicaverint. Articuli decimus sextus, decimus septimus & sequentes ad episcopos suffraganeos & ad magnos vicarios, tamquam episcopalium cum episcopis functionum participes referuntur, eosque monent, ut invigilent, ne iis qui ad ordines se præsentant, desit qualitatum ulla quibus opus habent, ut Dei fideles ministri sint; & sedulo explorent eorum ritum & mores,

res, causasque quibus potissimum ad petendos ordines permoveantur. Quatuor temporum quarta, quinta & sexta feriis quibus ordines conferentur, eos examini subdent, quin doctorum qualitatis quam ii sumere possent, rationem habeant, nisi publice, & ita quidem, ut de eorum ingenio nullus dubitandi locus supersit, doctores recepti fuerint. Subdentur etiam examini qui e religiosis ad ordines se præsentabunt.

In vicesimo octavo articulo, statuitur, ut ordinis litteræ gratuito concedantur, ob sigillum quoque, unusque tantum nummus, albus dictus, ob operam, secretario tribuatur.

Tricesimus secundus articulus itemque tricesimus tertius continent ad eos monitum qui plura, præsertim vero curata beneficia possident, ne sibi de Papæ dispensatione in id impetrata blandiantur, eosdemque hortatur, ut excutiant conscientiam suam videantque, an eam a Deo obtinuerint; ne tamen ipsi se fallant, suas ad episcopos dispensationes afferre jubentur, ut hi quidem sine animi præoccupatione judicent, an expositio veritati congruat.

Horum primæ partis articulorum conclusio est satis fore, ut ecclesiasticorum qui suo digne ministerio fungantur, episcopis adsit exiguus numerus quam magnus inutilis, quique iis grave pondus evadat.

Hujus concilii pars altera quæ clericos spectat, dividitur in articulos triginta duos.

Remittit primus ad S. Hieronymum aliosque Patres, ut ex iis, quæ vita clericorum, quod officium esse debeat, percipiatur.

Explicat secundus, e S. Hieronymi sententia, *clerici* vocabulum, ut is nimirum sit qui ad Deum pertinet potiore quadam ratione quam fideles cæteri qui ad eumdem ipsi pertinent; & clericos hortatur tertius, ut omnem ex animo cupiditatem pellant.

In articulo quarto, presbyterorum ministerium tribuitur in præcipuas functiones duas, orandi scilicet ac docendi. Quamobrem, in articulis quinto & sexto, jubentur ecclesiastici Breviarium & publice & privatim attente ac pie dicere; episcoposque hortatur synodus, ut illud reforment expurgentque a Sanctorum falsis aut dubiis historiis pluribus, sacræ Scripturæ loco, positis, quæ una olim in Ecclesia legebatur.

In septimo, vituperatur quorumdam ecclesiasticorum sollicitudo, qui, alicujus testamenti, vel alicujus fundationis occasione, nova officia novasque solemnitates in Ecclesiam inducunt.

In undecimo, aliquarum missarum quæ recens inventæ sunt, peculiaria argumenta damnentur, quia pro cujusvis imaginatione & arbitratu mysterium hoc applicari non debet. Damnantur etiam inconditæ prosæ quæ, sine judicio, Missalibus insertæ sunt, præcipiturque Missalium & Breviariorum reformatio.

Decimus secundus & decimus tertius rationem præscribunt, qua recitanda missæ verba.

In decimo quarto, prohibetur, ne quod musicum canticum seu pro pace, seu contra pestem, in missa post elevationem canatur, cum illud tempus sit quo quisque in alto silentio defixus, humi prostratus, & animo ad cælum erectus esse deberet, Christo Domino gratias acturus, cui placuerit sanguinem fundere, ut nos a peccatis detergeret.

In decimo sexto, damnatur, qui irrepserat, mos, ut Trinitatis aut Spiritus Sancti missa diebus dominicis diceretur, earum loco quas Ecclesia iis diebus dicendas instituit.

In decimo septimo, fideles hortatur synodus, ut animum referant ad confessionem quæ in missæ initio fit, quatenus absolutio quam sacerdos tribuit, eos spectat, ut ad missam digne audiendam per eam comparentur.

In vicesimo secundo pronuntiatur fastum, luxum & avaritiam forte in causa esse, ut ecclesiastici male audiant; qui proinde, in vicesimo tertio canone, monentur, ut se ad exhibendum, non ad suscipiendum servitium vocatos meminerint.

In vicesimo quinto, notatur optandum fore, ut ecclesiastici ne nuptiis quidem adessent.

Per tricesimum articulum, ecclesiasticis ea venia datur, ut tenuem aliquam honestam artem profiteantur, cujus ope subsistere possint, quin sacerdotium in contemptum adducant; & per tricesimum primum, iidem vetantur mercatores agere.

Tertia pars quæ cathedrales & collegiatas ecclesias spectat, unum & triginta articulos continet. Enuntiatur in primo cathedralem ecclesiam, quippe quæ episcopi sedes est, & primum gradum tenet, cæterarum quoque diœcesis ecclesiarum maxime regulis addictam esse, iisdemque facem præbere debere.

In altero, cum collegiatæ ecclesiæ secundum post cathedrales locum teneant, iisdemque dignitatibus insignitæ sint, utrarumque decanos operam dare debere, ut ea ratione clerici vivant quæ eorum statui respondeat.

In tertio, satis esse cathedralium & collegialium ecclesiarum dignitates, & officiarios id animo reputare quod significant officii nomina, quo funguntur, ut ad suas singuli obligationes adigantur.

In quarto, est in votis, ut nomini quod gerunt, canonicorum vita respondeat, videlicet, ut in rebus omnibus regulares sint, & meminerint, in prima quidem origine, suos majores in commune vixisse, quod indicat ædium ratio, quæ iis circum ecclesiam statutæ sunt; &, quemadmodum una omnibus mansio est, ita unum quoque sibi omnibus spiritum, unumque cor, primitivorum Christifidelium exemplo, esse debere.

In decimo, præcipitur, ut canonici qui ab officiorum aliquo, ut a missa post epistolam, vel ab aliis post primum psalmum horis, abfuerint, distributionem quæ iisdem addicta est, nequaquam percipiant.

Decimus quartus capitula de moribus diligentius accuratiusque quam hactenus, haberi jubet, ibique non minus de sacris quam profanis rebus agi.

In decimo quinto, mandatur diaconis quibus consuetudo de disciplinæ negotiis judicandi jus tribuit, ut, decano requirente, fungantur officio suo; quod si minus executi fuerint, decanus ipse & capitulum evadent eorumdem negotiorum judices; ut si decanus & capitulum jus reddere neglexerint, aut decanus quoque cum capitulo reus fuerit, ordinarius tum quidem erit negotiorum judex.

Per articulum decimum septimum; decanus, cum primum intelligit inter canonicorum aliquos dissidium esse, eos componere debet.

Prohibetur per decimum octavum, ne, capitularium cœtuum occasione, anticipetur aut differatur officium.

Decimus nonus expendi jubet cathedralium & collegialium ecclesiarum statuta, ut ex his expungatur quod disputationi occasionem præbere potest, aut cum Evangelii puritate pugnare, cum eorum nonnulla sint quibus ferendis cupiditas causam dedit.

Per vicesimum primum, conceditur, studiorum ergo, canonicis studentibus beneficiorum quæ possident census annuus, siquidem litteras afferant e quibus de studio constet; & per vicesimum secundum mandatur, & juniores canonici recepti, quamvis eorum decessores possessionem non inierint, suorum beneficiorum fructus percipiant, quin seniores canonici recepti sibi inde quicquam vindicare possint.

Per vicesimum quartum statuitur, ut officialitas, ecclesiasticum forum scilicet, non amplius in ecclesia, sed in proximo aliquo loco habeatur.

In vicesimo octavo decernitur, ut collegiatæ non amplius, processionis ordine, ad cathedralem veniant, nisi quibus diebus episcopus officium peraget ex veteri consuetudine, ut ibi communionem aut episcopi benedictionem suscipiant.

Per tricesimum mandatur, ut in posterum collegiatæ ecclesiæ non amplius ad cathedralem ecclesiam veniant, cum ibidem vigiliæ ad episcoporum anniversarium canentur, ob vocum confusionem cujus causa cantus nullam religionem nullamque pietatem inspirat, sed easdem vigilias ipsæ in suis singulæ ecclesiis concinant, & postridie ad cathedralem se conferant, ut missæ intersint.

In tricesimo primo queritur synodus ordinum qui appellantur *minores* quatuor, nihil superesse nisi nomen, eorum nemine, qui eos suscipiunt, eorumdem functiones obeunte, laicisque tantum nunc temporis eas peragentibus.

Hujus concilii quarta pars quæ parochos eorumque vicarios, ac cæteros divini verbi ministros spectat, articulos octodecim continet.

In quinto, mandatur, ad impediendum, ne prava doctrina quæ disseminari cœperat, latius serperet, ut ne quis ad prædicandum admittatur, quin facultatem ab ordinario obtinuerit.

Atque ob eamdem causam, & in sanctorum canonum consecutionem, vetantur per articulum sextum parochi suis ab ecclesiis recedere, ibique vicarios ponere, quin peculiarem in id veniam ab episcopis obtinuerint.

Per septimum, religiosi mendicantes, quin episcopis eorumve magnis vicariis se præsentaverint, ex Viennensis concilii mente prædicare prohibentur; & in sequentibus octavo & nono articulis iidem cavere monentur, ne, dum e suggestu dicunt, censoria virga parochos, ecclesiasticos, episcopos & magistratus notent, quod fere faciunt, ut populo placeant; quia, si parochi & ecclesiastici in aliquod erratum inciderint, suos ipsi superiores & judices habent; nec eorum est hos censuræ subdere, eorumdemque in ejusmodi per-

sonas

sonas objurgationes & dicteria populis scandalo potius afficiendis quam ædificandis inserviunt.

Notatur, in decimo, per execrandum abusum qui irrepsit existimationis & auctoritatis causa, quas monachi supra populorum animum sibi tribuunt, parochos ad jurandum adigi se passuros, ut apud eos monachi concionentur.

Quarta pars quæ parochorum vitam & mores spectat, articulos octo complectitur. In secundo, parochis concilium commendat, ut scientiæ rectam vitæ rationem addant, propterea quod bonorum operum quam verborum vox vehementius efficit, efficaciusque persuadet; &, in tertio, concilium profert ea S. Pauli ad Timotheum verba, haud satis esse, quid credere debeat, eum scire, sed oportere, ut pura ipse mundaque conscientia sit.

Sexta pars quæ de concionatoris qualitatibus agit, viginti septem articulos continet. In octavo, nono, decimo, undecimo, &c. concilium divini verbi præcones hortatur, ut, quoad fieri per eos poterit, suum auditorum captui sermonem accommodent; ne modo unam, modo aliam sententiam prædicent; ne suis sermonibus ineptias & fabellas admisceant; ut, quicquid profanum est, eamque falsam eloquentiam quæ verbis continetur, easque pravas facetias & dicta quæ risum movent, evitent; ne quid dicant quod ecclesiasticas & sæculares potestates offendere & irritare possit; e converso, populos ad eas obsequio afficiendas, Deumque pro iisdem orandum hortentur; ne doceant ut fidei dogma quod Ecclesia non definiit; ut Evangelium explicent e Patrum mente; fidelibus explanent Dei præcepta, fidei præcipuos articulos, ostendantque, quis esse debeat imaginum usus, quidque Missæ cæremoniæ significent.

In articulis vicesimo secundo & vicesimo tertio, jubentur parochi quibus ingenii minus ac scientiæ est, edito crucis signo, divinoque implorato auxilio, Epistolam & Evangelium legere, ea populo simpliciter explicare, selectis peculiaribus locis quæ eum ad vitam, ut christianum hominem decet, agendam, Deumque & proximum amandos ferunt; ei pariter Ecclesiæ ea die ad Deum precem explicare; eumque hortari, ut Deum & ipse corde & spiritu, si minus eadem verba dicere potest, eumdem in modum oret; eosdem prætereа hortatur, ut ne narrandis Sanctorum historiis & miraculis immorentur, sed ad Epistolam & Evangelium explananda diligentius incumbant, &, ad sermonis finem, eorum quæ dixerint, brevem epitomen edant quæ auditoribus utilis esse possit, iisque magis magisque quas prædicaverint, veritates inculcent.

Septima pars quæ de Sacramentis agit, tributa est in articulos quinquaginta duos quorum priores septem baptismum spectant rationemque qua super eo pastores erudire suos parochianos debent, docentes, quis hujus sacramenti effectus sit, cur unctiones, saliva & reliquæ cæremoniæ in baptismi administratione adhibeantur, quibusque de causis patrini sumantur, significantes longe maximum abusum esse pueros ad patrinorum officium suscipi, qui id non intelligunt quod pro aliis promittunt, & ad hanc etiam cæremoniam venire cum luxu, cui solum ut abrenuntietur, ad eamdem accedendum est.

Ab octavo articulo ad decimum tertium usque, de confirmationis sacramento agitur, quippe quod sacramentum est quod fideli a quo suscipitur, gratiam confert, & vim tribuit, ut dæmoni obsistat; quamobrem illud olim dabatur infantibus, ut, per adeo infirmam, tamque ad malum pronam ætatem, ejusdem sacramenti vi fulcirentur; cum tamen Aurelianense concilium judicaverit satius fore, ut hoc sacramentum iis præberetur, quibus plus cognitionis inesset, quique paulo magis ætate provecti essent.

In undecimo, vetantur convivia quæ post baptismum, itemque post confirmationem agitabantur.

Ab articulo decimo tertio ad tricesimum usque, de Eucharistia sermo est. Dicitur primo loco populum docere oportere se debere certissime credere in eucharistiæ sacramento vere Christi Domini Corpus & Sanguinem esse; tam sub panis quam sub vini specie; eum qui sub una tantum specie communicat, Christi Domini Corpus & Sanguinem participare, eique nihil esse, cur se specierum altera privatum queratur, quoniam, sub una tantum, omnino totum Christi Domini Corpus & Sanguinem recipit; & fidelem quemque de reali in eucharistia Christi Domini præsentia persuasum prorsusque certum hanc in missa, cumque ad infirmos defertur, adorare debere.

In articulis decimo octavo, decimo nono, vicesimo secundo & vicesimo tertio, de dispositionibus verba fiunt quas afferre debet qui ad hoc sacramentum accedit; hæ porro sunt conscientia pura, ab omni ad peccatum affectione remotum cor, & viva fides qua certi simus in hoc sacramento, vere Christi Domini Corpus immolari ejusque Sanguinem fundi.

In vicesimo quinto, vicesimo sexto, vicesimo septimo & vicesimo octavo parochis commendatur, ut populum erudiant, doceantque, quid missa sit, moneantque eam sacrificium esse quod nobis Christi Domini mortem exhibet ejusque reminiscentiam renovat; ei singulas missæ partes & preces explicent; ostendantque, quemadmodum ea defunctis utilis est; sed ita quidem, ut eam comitari non debeant ex pompæ omnes quæ in exequiis fiunt, ingensque religiosorum & presbyterorum numerus; hæc enim non nisi perturbationis plus afferunt, & in causa sunt, ut pietatis & modestiæ minus funeri sit; quamobrem, subdit concilium, qui preces pro defunctis multiplicare voluerint, se melius gerent, si suis in monasteriis monachos, suisque in ecclesiis ecclesiasticos, ibi Deum oraturos missasque dicturos reliquerint, quam si eos ad funus acciverint.

A tricesimo articulo ad quadragesimum usque, de pœnitentiæ sacramento & qualitatibus agitur quas confessarius habere debet. In tricesimo pronuntiatur veteres orthodoxos admisisse in pœnitentiæ sacramento partes tres, videlicet, contritionem, confessionem & satisfactionem seu dignum fructum pœnitentiæ. In tricesimo primo commendatur, ut pœnitentia populo prædicetur, quoniam per pœnitentiæ prædicationem cœpit Evangelii prædicatio. In tricesimo secundo, respondetur iis peccatoribus qui ajunt se non resipiscere, quia Deus momentis singulis astat ad cordis januam, ad quam per internam externamque vocem pulsat.

In tricesimo tertio & sequentibus, quoad qualitates quibus confessarius præditus esse debet, oportere dicitur, ut is integerrima vita sit, doctus, omninoque secreti tenax; ad suavitatem factus qua peccatores pertrahat, & ejusmodi, ut pœnitentes soletur; firmitate polleat, ut eos arguat, & prudentia, ut remedia pro malis adhibeat; erigat tranquilletque irrequietam eorum conscientiam, qui semper sibi videntur haud se bene satis in confessione explicuisse, circumstantiam aliquam omisisse, semperque opus habere suas confessiones alteri confessario repetere; eos certos faciens Deum a nobis, in confessione, cordis tantum sinceritatem, non autem scrupulosiorem quamdam investigationem requirere. In tricesimo sexto, a reservatis casibus qui occulti sunt, absolvendi potestas parochis datur; primo quidem, quia qui in reservatum casum aliquem lapsi sunt, ad magnos vicarios eosve qui absolvendi facultate pollent, quærendos pergere jussi, negligentiores evadunt, ut se a lapsu erigant, aut eo se conferre aspernantur; deinde vero, quia adolescentes feminasque retinet pudor; iidemque, cum pœnitentiarios, quin innotescat, adire non possint, ne sibi dedecus afferant, in iis erratis, servato silentio, permanent.

A quadragesimo ad usque quadragesimum septimum, de matrimonii sacramento sermo est; conciliumque testatur optandum fore, ut vetus is, ante initum matrimonium, jejunandi & communicandi rectus utilisque mos restitui posset. Mandat parochis, ne in matrimonium jungant filios-familias, sine parentum consensu; ne quem conjungant, quin futurum matrimonium ter enuntiaverint, itemque ne alienigenas ignotosque copulent sine domicilii locorum litteris quæ fidem faciant eos conjugatos non esse, ac sine proprii parochi venia per quam ab alio consociari possint; ac si inter eos qui matrimonium contrahunt, intersit cognationis gradus aliquis, hujusque dispensationem iidem a Papa obtinuerint, rem ad trutinam revocent; quod si forte compererint expositionem haud veritati congruere, eos moneant dispensationem quam impetrarunt, nullam esse; itemque eos ludos prohibeant qui in ecclesia post matrimonii celebrationem aguntur, cujusmodi is erat, ut sponsus incitaretur.

In quadragesimo nono & quinquagesimo de extrema unctione fit sermo. Jubetur parochus, hoc sacramento administrando, explicare S. Jacobi testimonium, ad mortem hortari ægrotantem, eumque ad finem ultimum præparare.

In postremis articulis, præcipitur, ut, quicumque in Ecclesiæ communione mortui sunt, sepultura donentur, etiamsi subita morte sublati essent, cum justitiæ consonum sit, ut fideles, qui cum iis, dum viverent, communione juncti erant, post eorum mortem in eadem permaneant. Interdicitur, ne sepulturæ dentur hæretici, excommunicati, latrones publici, quique ipsi sibi mortem consciverunt, qui denique in lethali peccato supremum diem obierunt, quin ullum pœnitentiæ specimen exhiberent.

Octa-

Octava pars quæ de parochorum sustentatione agit, articulos septem complectitur. Vetatur parochi quicquam ob sacramentorum administrationem & sepulturam sumere; mandaturque, ut tenuis fundus parochis designetur, perficiaturque, ut ipsi decimis fruantur quas laici usurparunt; iisdemque parochis, Dominici Natalis, Paschatis, Pentecostes & Assumptionis B. Virginis diebus festis, solvantur denarii duo, qui œconomo in manus tradentur, ut vitentur litigia quæ parochos turbare possent, omnisque suspicio amoveatur.

Nona pars quæ ecclesiasticas constitutiones ecclesiarumque consuetudines spectat, unum supra viginti articulos continet. In primo, oportere dicitur, ut populo significetur varios usus qui in singulis ecclesiis obtinent, cum nullo ex capite cum fide pugnent, servandos esse, seu tamquam ab apostolis derivatos, seu tamquam per plenaria concilia inductos. In altero, concluditur, quandoquidem Ecclesia jejunia præcepit, hæc ipsa servari debere, ac re sane vera, magnum proprieque dictum jejunium ab omni peccato abstinentiam esse; animo tamen reputandum cætera statuta esse, ut ad hoc perveniatur.

In tertio, notatur Ecclesiam nihil mandasse, quod S. Pauli doctrinæ adversaretur, cum quorumdam ciborum usum certis quibusdam diebus prohibuit, quoniam non eos tamquam immundos spectavit, sed ab iis abstinendum statuit, ut caro maceraretur; itaque pronuntiatur in quarto Ecclesiam mandantem, ut statis diebus a quibusdam escis abstineretur, non proinde fidelibus offendicula tetendisse, quoniam eos huic legi eximit, cum charitas aut necessitas ita postulant.

In quinto, concilium monet non esse mentem Ecclesiæ sequi, jejunii diebus, ex piscibus convivia parare æque sumptuosa ac si e carnibus instruerentur, quandoquidem intemperantia quam cohibendam Ecclesia sibi proponit, non minus ferculorum e piscibus copia, quam carnibus excitatur. In articulo sexto, interdicitur carnis usus sancto Quadragesimæ tempore, infirmitatis causa, quin a parocho venia impetrata fuerit.

In septimo dicitur jejunio & precibus quæ *Rogationes* appellantur, id causæ fuisse, quod, cum festum hoc incidat in vernum tempus, illud nempe quo, fere, bellum agitur, quoque terræ fructus, utpote adhuc efflorescentes, gravissimo periculo obnoxii sunt, datur opera, ut per eam pœnitentiam easque preces Divini Numinis ira leniatur, ejusque benedictio supra terræ bona trahatur; atque hac ipsa de causa processiones per agros, in articulo octavo, concilium statuas ait; at, quia sæpe fit, ut, quod sanctissime institutum fuit, peccati occasio per hominum nequitiam evadat, satius visum est, ut hæ processiones circum Ecclesiam fierent.

Per articulum nonum mandatur Christifidelibus, ut dominicum diem sanctificent, in ecclesiam convenientes, ut missæ intersint, in eaque communicent; ut Dei verbum audiant, psalmosque & hymnos concinant. Per decimum, eo die nundinas haberi, tabernas frequentari & choreas agi prohibetur.

In decimo secundo & decimotertio articulis præcipitur, ut populus edoceatur unctiones quæ fiunt, dum altaria consecrantur, ecclesiæ dedicantur & calices benedicuntur, non judaicas, ut nonnulli dictitant, sed sanctas cæremonias esse quas Papa Silvester instituit, ut fidelibus significaretur eos, cum super iis altaribus offerent, cum Deum in iis templis orabunt, cum Christi Sanguinem per eos calices sument, solatii genus omne & gratiæ unctionem e cælestibus sedibus percepturos.

Enuntiatur in decimo quarto æra campana benedici, quia ad sanctum usum consecrata sunt, evaduntque militantis Ecclesiæ tubæ ad fideles, ut ad precem coeant, excitandos, eorumque hostem, dæmonem expellendum qui se grandini & procellis miscet, ut Christifidelibus noceat.

In decimo quinto, si ecclesiæ, cum pollutæ fuerunt, reconciliantur non id propterea fieri quod vere pollutioni subesse possint, quandoquidem is locus est in quo fideles a suis omnibus sordibus absterguntur, at eas per aspersiones & preces reconciliari, ut iis horror inspiretur, qui ibidem crimina perpetrarunt, iidemque moneantur, si inanimatus locus qui ipse per se nullius criminis reus esse potest, detergitur & purgatur, eos debere, potiore jure, a suis se criminibus abluere & purgare, quippe qui viva Dei templa sunt.

In vicesimo primo, concilium vult id episcopis curæ esse, ut abusus corrigant qui in confraternitatibus comperiuntur, quarum scilicet sanctus usus evasit crapulæ & in Principes conjurationis occasio.

Decima pars quæ monasticam disciplinam spectat, continet articulos undeviginti. In primo, dicitur monastica vita, licet, cujusmodi in præsentia est, ab ea differat quæ paulo post Apostolorum tempora cœpit, eadem tamen ad evangelicam perfectionem acquirendam magnopere conferre posse, si, qui eam amplectuntur, ipsius regulas accurate sequantur; at, quo difficilius est, ob carnis fragilitatem, ejus regulas ad amussim servari, superiores jubentur eo diligentius accedentem quemque, ut religioni nomen det, peculiariter vero puellas examinare.

In tertio, mandatur, ut parentes moneantur, ne filios in religionem ingredi cogant, adeoque timendum sit, ne iidem incidant in proselyti pœnam, quem Pharisæorum cura traxerat.

In septimo, dicitur seligi posse religiosorum aliquos in universitatem mittendos, ut ad theologiæ studium incumbant; ea tamen lege, ut hi quidem in monasteriis, non autem in privatis domibus degant.

In octavo, præcipitur, ut monialibus, bis aut ter in anno, confessarii extra ordinem dentur, apud quos suas eæ conscientias exonerare possint, cum apud confessarium qui ex ordine earum confessiones audit, fidenter id facere sæpe nequeant; deturque opera, ut ad religiosarum confessiones excipiendas bene morati, prudentes idoneique viri eligantur qui cavebunt, ne eas super peccatis interrogent de quibus se non accusant, veriti, ne eas doceant quod nesciunt; quique earum confessiones non seorsim, privatoque in loco, sed, aliis monialibus præsentibus, audient, ut non malum solummodo, verum etiam, quæcunque subesse posset, mali suspicionem evitent.

In nono, qui in civili societate vivunt, quorumlibet monasteriorum ingressu prohibentur, quia, per eorum, qui irrepsit, abusum, monasteria quæ quidem virorum sunt, cum virtutum scholæ & pauperibus hospitia essent, tabernæ evaserunt, quæ vero feminarum sunt, tamquam depravationis & licentiæ loca spectantur.

In undecimo, œconomorum institutio decernitur in monasteriis in quibus abbatissæ, nulla non auctoritate & redituum administratione gaudentes, eos in sumptus impendunt qui cum earum statu nulla prorsus ratione congruunt, eoque religiosas redigunt, ut fame pereant; statuiturque, ut temporalium bonorum administratio penes hos œconomos sit, iidemque quotannis ejus rationem reddant.

In decimo quarto, commendatur, ut visitentur & reformentur domus equitum hospitalariorum ordinis Teutonici, Sancti Joannis Baptistæ & Sancti Antonii, ibique divinum servitium & hospitalitas restituantur; impediatur, ne defunctorum Commendatorum bona ab ordinis magnis magistris tollantur, & in exteras regiones deportentur; invigileturque, ut hæc bona in Ecclesiæ vel successorum necessitates impendantur, aut in pauperes ibi degentes, ubi eorum commendæ sunt, erogentur.

In decimo sexto, religiosos & religiosas hortatur synodus, ut sacris se Litteris imbuant, manuum operibus vacent, & in primis ad sacros libros exscribendos incumbant, eo consilio, ut animi & corporis alimentum ex hoc labore percipiant.

In decimo octavo, vetantur religiosi & religiosæ scribere & accipere litteras sine suorum superiorum nutu.

In decimo nono, maxime necessarium fore dicitur, ut sæculares canonicissæ quæ vota non edunt, reformarentur, quia paulo licentius, atque adeo, plurium judicio, ad scandalum effusam vitam agunt.

Pars undecima spectat hospitalia, continetque articulos septem in quibus dicitur, primo, canones, Imperatorumque & Regum leges hospitalium, in ditionibus, institutionem mandasse, ut in ea reciperentur in iisdemque alerentur advenæ, pauperes, orphani, senes, infantes, amentes, leprosi & insanabiles; episcoporum esse iis servandis invigilare quæ statuta sunt, ea restituere quæ collapsa, suasque curas impendere, ut, his in domibus, quoad eos qui ibidem conclusi sunt, nihil eorum negligatur quæ ad animarum salutem spectant; ut iis Sacramenta administrentur; ut iisdem, dum morbo laborant, spiritales & corporales medici dentur, in easdemque domos tantummodo qui laborare non possunt, recipiantur.

In articulo quarto, mandatur peculiariter, ut leprosi concludantur, itemque qui malo subsunt quod communicari potest, quia in societate versantes possent eos inficere ad quos accederent; quod si hospitalibus addicti reditus haud iis alendis pares sunt, statuentur qui pro iis quæritent, in eumdemque finem ponantur in ecclesiis ad stipem cippi potius quam sinantur hi miseri pauperes victum petere & in communi commercio existere.

Per articulum quintum, prohibetur, ne mendicantes qui-

quibus ad opus est virium satis, in hospitalia recipiantur, aut mendicare sinantur; præcipitur etiam, ut capiantur & puniantur; cum satius sit ei panem negari qui esuriens id facere negligit quod debet, illectus certa fidentia eum sibi non desore, quam dari, miseria fucum faciente, & ita quidem inertiam foveri.

In sexto articulo, damnatur quorumdam administratorum abusus, qui, neglectis iis qui vere pauperes sunt, ex hospitalium reditibus eos alunt quorum studio ducuntur, & in causa sunt, ut iidem in affluentia mollique desidia vitam agant.

In septimo, admonentur administratores, ne imitentur Judæ consilium, id sibi sumentes quod pauperibus addictum est; quamobrem præcipitur, ut administratores hi, quotannis, apud magistratum, præsente parocho, rationem reddant.

Hujus concilii decima secunda pars quæ scholas & typographos spectat, continet articulos novem. In primo, dicitur, quoniam apprime est ex Ecclesiæ re, ut æque omnium, seu parvi seu magni sint, reformationi consulatur (& quidem hoc potissimum tempore quo hæresis, peculiariter scholarum favore, per universam Germaniam serpit), ut id mali impediatur, mandari, ut e pagis & urbibus pellantur minuti quidam magistri qui, privatis in cœtibus, sibi arrogant docendi munus, eorumque loco statuantur, ad parvas habendas scholas, magistri qui mente polleant, quorumque sana doctrina & integra vita sit.

In tertio articulo, queritur synodus haud executioni mandari Lateranensis concilii, sub Innocentio III, habiti canonem qui in cathedralibus & collegiatis ecclesiis jubet fundum statui ad idoneum magistrum sustentandum qui doceat instituatque earumdem ecclesiarum clericos, quandoquidem fundi in id instituti sunt adeo modici, ut inveniri probus idoneusque vir nequeat qui clericorum institutionem, hac sane mercede, sibi sumere velit; cum porro negotium hoc haud parvi momenti sit, quoniam quicquid boni in republica majique est, hinc nimirum pendet, e re fore, ut huic rei consulatur.

In quinto, proponitur, ut, quia malo fato fit, ut universitates novis hæresibus infectæ sint, sumatur ex ecclesiasticorum bonis ad sustentandos magistros satis, quoad clericos quorum parentes mercedi iisdem solvendæ non sunt.

In sexto, testatur concilium sibi quidem in votis fore, ut collatores, e Basileensis concilii mente, vacantibus beneficiis viros in universitatum aliqua graduatos præficere juberentur, atque ita clerici ferrentur ad studium, ea beneficia promerendi causa.

In septimo, optaret præterea concilium, ut servaretur Honorii III. constitutio in qua Papa mandat, ut canonici, per suos quinque studiorum annos, suorum canonicatuum fructus percipiant.

Per nonum, vetatur quisque typographus, bibliopola, circumforaneus propola imprimere, vendere, expedire librum ullum qui non examinatus fuerit, nec editoris nomen & cognomen præferat, urbisque locum indicet in quo typis editus fuit, itemque ullum solutum folium impressum pictumve quod non a commissariis designatis visum & examinatum fuerit.

Decima tertia pars quæ contentiosam ecclesiasticorum jurisdictionem spectat, quatuordecim articulos continet.

In quinto, monentur judices, ne ullam unquam ecclesiasticam censuram pronuntient ob injustas aut leves causas, vel per indignationem, nec servatis formis quas jus præscribit, atque adeo quin subsit credendi locus non alia ratione reum ad resipiscentiam trahi posse.

Per septimum articulum, injungitur promotoribus, ut solum super iteratis querelis quas prudentes homines, non autem maledici & male animati detulerint, examen instituant; & ante etiam quam publicas inquisitiones edant, de criminibus occulte quærant quæ accusatis per libellum in eosdem exhibitum imponuntur; delatoresque ad expensas damnent, si facta quæ proposuerunt, probare non possunt.

In octavo, pronuntiatur malo exemplo fore pecuniaria tantum pœna concubinarios reosque publicos affici, quia ita præbetur credendi locus ea crimina perpetrandi libertatem emi posse; si tamen personæ & culpæ qualitas pecuniariam pœnam meretur, tum quidem pecunia in pios usus impendenda decernitur, ne præbeatur dicendi locus ejusmodi pœnam ex avaritia, non autem correctionis in modum, impositam fuisse.

In nono, sæculari brachio traduntur ii quorum crimina degradationem merentur.

In decimo, mandatur, e Moguntini concilii mente, ut executores testamentarii, si testatoris voluntatem executi non fuerint, suis ipsi legatis priventur; &, per hunc eumdem articulum, invigilare jubetur promotor, ut ecclesiasticarum personarum testamenta intra annum executioni mandentur, ut testamenta ab ecclesiasticis edita insinuentur, seu in acta referantur intra mensem ab eorum morte; & legata ad res a jure vetitas designata in pios usus convertantur.

In undecimo, statuitur, ut, cum Coloniensis diœcesios ecclesiasticus *ab intestato* decesserit, ejus bona, iis exceptis quæ a familia derivantur quæque ad ejus hæredes pertinent, in pia ad ejusdem animæ salutem opera conferantur, deductis ære alieno & funerum sumptu.

In duodecimo, Coloniensis archiepiscopus non esse contendit, cur ei pars impugnetur, quam, deductis debitis quæ immobilium bonorum a familia venientium propria non sunt, in ecclesiasticorum bonis sumit, quippe quæ ex consuetudine & conventione quam ipse cum clero iniit, eidem debetur, cum etiam gaudeat, ex canonum dispositione, majoris partis sumendæ jure cui tamen ultro cedere maluit.

Per articulum decimum tertium, prohibetur, ne, quam sæpe fit, jusjurandum a partibus exigatur, nisi res ita postulet, quia fieri non potest, quin illud tam crebro præscriptum perjuria bene multa secum trahat.

Hujus concilii decima quarta & ultima pars in qua de episcoporum & archidiaconorum visitatione, deque diœcesanis synodis sermo est, articulos continet viginti quatuor. In primo, dicitur frustra leges & constitutiones edi, nisi eas executio consequatur; quamobrem, ne reddantur inutiles quæ in præsenti concilio hoc editæ sunt, iis quibus, episcoporum nomine, demandata ecclesiarum visitatio est, in mandatis datur, ut earumdem executionem curent.

In secundo, præcipitur, ut primo quidem ecclesiæ cathedrales & collegiatæ; tum religiosorum & religiosarum monasteria, parœciæ, scholæ & bibliothecæ, denique hospitalia visitentur.

In quarto, dicitur, in cathedralibus & collegiatis ecclesiis, initio statim, primas dignitates, potissimum vero decanos reformari oportere, quia eorum exemplum ad eorum perniciem quorum regimini præsunt, multum conferre potest.

Pronuntiat quintus, cum, pluribus in locis, ea sit in clero depravatio, ut prælatorum auctoritas contemnatur, visitatoribus id curæ fore, ut turbulentos animos arguant corriganique, & perduelles puniant.

Sextus mandat, ut reformentur abusus qui in monasteriis existunt, data opera, ut regula ibidem servetur.

Septimus parochum jubet de tempore visitationis episcopi, aliquanto prius, populum commonefacere, ut eidem intersit, & ad sacramenta quæ unus episcopus administrare potest, suscipienda se comparet.

Octavus expedire pronuntiat, ut magnus vicarius aut visitatorum unus sermonem habeat.

Nonus & sequentes peculiaria visitationis acta præscribunt; ut parœciæ rector interrogetur, parochusne in titulum an vicarius sit; ut idem super moribus, doctrina, ministerii functionibus, studiis & libris examinetur; ut exploretur, an in ejus parœcia hæreticorum aut schismaticorum aliqui sint; an ibidem superstitiones & sortilegia exerceantur; an perjuria, blasphemiæ, adulteria & alia crimina perpetrentur; an ecclesiasticæ censuræ spernantur; an pastori pareatur; an sint qui ad sacramenta non accedant; an jejunia & festa serventur; an probe infantes erudiantur; an hospitalium cura sit. Inquirendum præterea, an recte parochus in ecclesia divinum officium peragat; an satis caute decenterque eucharistiam & sanctum chrisma custodiat; an nitida sint & apta ornamenta; an ecclesia & curialis domus fartæ tectæque serventur; aliquane, necne, facta sit alienatio bonorum ecclesiæ, &c.

Mandatur, in articulis decimo septimo, decimo octavo, decimo nono & vicesimo, ut, ex usu veteri, provincialia concilia duo singulis in unaquaque provincia annis habeantur, ad quæ archidiaconi & decani rurales convocabuntur, quorum ad edendas constitutiones sententia sumetur, quique provincialis concilii statuta in particularibus synodis enuntiabunt; & quo possit, ut oportet, id perfici, archidiaconis ea cura erit, ut officiales & decanos rurales habeant qui ad suum obeundum munus apti sint.

Vicesimus primus renovat inquisitionis formulam qua cujusque pagi tres aut quatuor fideles personæ, per jusjurandum adigantur, ut depravationes erroresque quos norunt, detegant; &, ut impediatur, ne usus hic ad abusum trahatur, quemadmodum contigit hoc officio iis demandato, qui eodem utuntur, ut in honestos homines calumnias struant, aut ex iis pecuniam extorqueant, præcipitur, ut probi solum viri, fide

fide digni, quique de mala voluntate suspecti non sint, eligantur; & canonicæ pœnitentiæ, non autem pecuniariæ pœnæ publicis peccatoribus imponantur.

Fatetur concilium, in postremo articulo, plures alios corrigendos abusus existere quos hæc decreta non complectuntur; iisque congrua in visitationibus & futuris synodis afferenda remedia sibi proponit. *Reg. Tom. XXXIV. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. IX.*

Concilium Colonienſe an. 1549.

Adulphus, Archiepiscopus Coloniensis, hoc suæ provinciæ concilium, ab undecima Martii die ad usque Aprilis decimam nonam an. 1549. eo consilio celebravit, ut ad disciplinæ & morum reformationem subsidia quæreret. Notat eorum præcipua sex quæ nimirum sunt: studiorum, præsertim vero sacrorum studiorum restitutio; eorum examen quibus sacri ordines aut beneficia conferuntur; ecclesiasticorum in suis obeundis muneribus diligentia; archiepiscoporum, episcoporum, archidiaconorum, omniumque ad quos id juris pertinet, visitationes; conciliorum aut synodorum crebra celebratio; denique ecclesiasticæ per abusus plures propemodum extinctæ corruptæque jurisdictionis redintegratio.

Plura deinde statuta concilium super his singulis capitibus edit; super primo, ut caveatur, ne juventutis institutio nisi iis conferatur quorum fidei puritas & morum probitas certo cognoscitur; ut universim in scholis non nisi grammatica, poesis, dialectica, rhetorica, arithmetica & liberales artes cæteræ doceantur; ut dominicis tantum diebus epistolarum, evangeliorum, psalmorum aut Salomonis parabolarum textus in iis expliceiur; philosophia vero, jurisprudentia, medicina & theologia solum in universitatibus edoceantur. Prohibetur, ne quis legatur in scholis liber, quin a decano facultatis artium propioris universitatis, aut ab alio quem loci episcopus nominaverit, approbatus fuerit. Ibidem interdicuntur, sub excommunicationis pœna, libri quicunque fidem aut mores corrumpere possunt, cujusmodi sunt Erasmi colloquia, & opera Lutheri, Buceri, Calvini, Melanctonis, &c. In ordinem denique redigitur id quod canonicos qui in universitatibus studere debent, theologalium institutionem, & theologiæ in Coloniensi universitate lectionum restitutionem spectat.

Super altero adjumentorum seu subsidiorum capite, jubentur episcopi eos quos ordinant quibusve missiones conferunt, examinare vel examinandos curare. Triplex ad ordines ut ad matrimonium enuntiatio præcipitur. Eos concilium, quibus per electionem, aut præsentationem, aut resignationem, aut permutationem de beneficiis provisum est, congruis de vita & moribus fidem facientibus litteris munitos & ante diligenter examinatos vult, quam suorum beneficiorum possessione donentur. Initur consilium petendi a Papa revocationem collationum pleni juris, quas ecclesiastici præsules ediderunt, nisi provisos episcopus examinaverit & approbaverit; nullæque declarantur hæ collationes, cum a laicis editæ sunt.

Super tertio, mandatur prælatis, archidiaconis cæterisque qui in gradu constituti suas ipsi per se functiones obire non possunt, ut has iis tantum committant qui iisdem recte obeundis idonei sunt. Ejusmodi commissiones vendi emique, sub excommunicationis pœna, vetatur. Jubentur ecclesiastici judices canonicas ob peccata pœnitentias imponere, nec ea per pecuniam remittere. Qui in collegiis primas tenent, suo satis officio facere, decani vero, abbates, abbatissæ residere jubentur. Beneficiorum quæ animarum curam adjunctam habent, pluralitas interdicitur. Statuitur redituum modus, qui parochis tribuendi sunt; nec fiuntur iidem terras aliosve fundos ad annuum censum conductos tenere.

Super quarto, mandatur episcopis & archidiaconis, suas ut visitationes sæpenumero peragant, ad hæreses, schismata, scandala, omnia denique vitia quæ succrescunt & multiplicantur, visitatoribus dormitantibus & stertentibus, exstirpanda. Vult concilium, ut episcopi exempta loca & non exempta perinde visitent; omnesque visitatores ecclesiasticas censuras adhibendi potestate polleant, ut sibi obedientiam concilient; procurationis jus quo visitatores gaudent, moderatur, pauperesque parœcias quæ huic iis juri solvendo non sunt, gratis visitatas vult.

Super quinto, mandatur, ut bis in annos diœcesana synodus, & tertio quoque anno provinciale concilium, ex Basileensis concilii decreto, celebrentur in quibus instaurentur pristinoque robori reddantur veteres canones, aut novi condantur, siquidem ita facto opus fuerit.

Super sexto, ecclesiastica jurisdictio per sacram Scripturam & per traditionem statuitur; vetantur laici, excommunicationis indicta pœna, ejus usum turbare vel impedire; præcipiturque, sub eadem pœna, magistratibus, ut ad Ecclesiæ judices remittant causas quæ matrimonium spectent, itemque cæteras causas omnes quæ spiritales sunt. Sequuntur id constitutiones triginta octo quas subdimus.

1. Quicunque religiosos aut religiosas receperit, qui institutum suum deseruerunt, excommunicationem *ipso facto* subibit.

2. Eadem in religiosos, religiosas aut presbyteros pœna, qui matrimonium inierint, quia nulla, sacrilega & execranda ejusmodi matrimonia esse certum est.

3. Pœna eadem in monachos & presbyteros aut clericos beneficiarios qui in eo animum obfirmant, ut apud se concubinas aliasve feminas suspectas detineant.

4. Eadem in eos pœna qui errabundos monachos sinunt ecclesias regere & sacramenta administrare.

5. In religiosas quæ sui ordinis habitum mutant, pœna eadem.

6. Monachi omnes apostatæ adigentur, ut ad sua monasteria regrediantur, salutarem pœnitentiam ibidem acturi.

7. Quicunque & quæcunque sua monasteria, vel unitatem fidemve Catholicæ Ecclesiæ deseruere, absolutionem & reconciliationem a sancta Sede petere debent.

8. Sacerdotes sæculares aut regulares qui schisma vel hæresin deserent, ut in Catholicæ Ecclesiæ sinum redeant, se non ante ecclesiastici ministerii functionibus immiscebunt, quam absoluti, reconciliati, liberatique ab irregularitate fuerint in quam inciderunt.

9. Nihil omittetur, ut humaniter suaviterque revocentur ad Catholicæ Ecclesiæ sinum errantes quique, iis proposita veniæ spe.

10. Rogantur principes & magistratus, sua ut auctoritate adhibita apostatas ad sua claustra, & hæreticos ad Ecclesiæ sinum reverti jubeant, cogantque.

11. Adigentur etiam, ut sua ad claustra redeant apostatæ qui se per sanctæ Sedis dispensationem egressos contendunt.

12. Qui ecclesiasticorum bonorum administratione gaudent, ea se fideliter servaturos gesturosque jurabunt, eique legi suberunt, ut cui jus postulat, suæ gestionis rationem reddant, quoties id facere jussi fuerint.

13. Qui parochialium aut collegialium ecclesiarum custodiæ curæque addicti sunt, superpelliceo induti erunt, cum in ecclesia suum munus obibunt.

14. Pastores & concionatores hortabuntur populos, ut ad Paschatis seu Pentecostes vigiliam usque differant infantium baptisma, qui paulo ante hæc duo festa nati fuerint, dummodo nulli vitæ periculo infantes subsint.

15. Non conferetur pueris baptisma nisi mane, & quidem in ecclesia tantum, exceptis principum filiis, qui, prout Viennense concilium licere voluit, domi baptizari poterunt. Aberunt a baptismi cæremonia convivia & crapula.

16. Pueros e baptismali fonte levare, aut nuptiis interesse religiosi non poterunt.

17. Nec histriones in religiosarum monasteria ingredi, ut suos ibidem scenicos actus repræsentent, nec ejusmodi repræsentationibus religiosæ interesse poterunt.

18. Pastores & concionatores populum hortabuntur, ut toti, quanta est, missæ adsint, non autem ab altari ad altare discurrant, quin ad ullam peculiariter missam consistant.

19. Cum plures simul in eadem ecclesia missas dici necesse erit, perficietur, ut privatæ missæ ante solemnis missæ Evangelium, aut saltem ante consecrationem absolutæ sint, nec aliæ nisi post communionem inchoabuntur. Neque vero missa ulla dicetur sermonis tempore.

20. Concionatores hortabuntur populos, ut suas ad missam oblationes peragant, in grati animi argumentum ob beneficia quæ a Deo acceperunt.

21. Si permovendi adigendique sunt populi, ut missas ad requiem animæ defunctorum dicendas curent, avertendi quoque sunt, ne iis magnifica funera parent quæ licentiores comessationes & crapulæ consequantur.

22. Graves & modestæ processiones erunt. Procul ab iis ludi, risus, choreæ, frivola colloquia, omnisque indecentia. In iisdem non nisi una tantum B. Virginis,

ginis, itemque una & unica cujusque Sancti imago deferri poterit.

23. Dabit clerus operam, ut populo in processionibus & stationibus ædificationi sit, nedum rideat, garriat, per ecclesiam deambulet, aut processionem deserat, ut potum & esum eat.

24. Clerici qui toti officio, ab exordio ad finem usque, non interfuerint, huic officio addictis distributionibus privabuntur.

25. Rurales decani parochos hortabuntur, ut consuetas per agros, & præsertim Rogationum processiones omni cum decentia & modestia perficiant.

26. Obedient ruralibus decanis parochi in iis rebus omnibus quæ justitiæ & rationi consona fuerint; & visitatores suis in visitationibus super hoc capite insistent.

27. Magistratus aliive e laicis qui decanos & parochos impedient, ne fungantur officio suo, excommunicationi subdentur.

28. Eadem in eos pœna, qui a religiosis aut monialibus exigent servitia quæ nequaquam ipsis debentur.

29. In eos quoque qui ecclesiarum colonos indebitis servitutibus onerant.

30. Sæculares judices ob clericorum aut religiosorum quam laicorum negotia haud majoris momenti stipendium seu salarium exigent.

31. Qui clandestina matrimonia contraxerunt, excommunicationi suberunt, quoad eadem in facie Ecclesiæ celebraverint.

32. Matrimonium contrahi non poterit nisi alterutrius partis præsente parocho, alterius partis parocho e scripto consensum præbente, & post matrimoniales enunriationes tres, quæ, missæ tempore, per festos dies tres invicem dissitos peragentur.

33. Matrimonium non alibi quam in ecclesia, post missam, statisque solum temporibus, iniri poterit.

34. Fideles qui, saltem semel in anno, confessi non fuerint, nec communionem e proprii parochi manu susceperint, ecclesiæ aditu quoad vixerint, & ecclesiastica post mortem sepultura privabuntur.

35. Religiosi mendicantes absque ordinarii approbatione confessiones non audient.

36. Instituuntur pœnitentiarii plures qui a casibus episcopo reservatis absolvant.

37. Confessarios extra ordinem, bis aut ter in anno, episcopi monialibus tribuent.

38. Qui extremæ unctionis sacramentum contemnent, ecclesiastica sepultura destituentur.

Concilium Moguntinum, an. 1549.

Convocatum fuit concilium hoc a Sebastiano, Moguntino archiepiscopo, ad diem 6. Maji an. 1549. Eichstadiensis episcopus ei adfuit ipse per se; cæteri vero Moguntinæ provinciæ episcopi deputatos miserunt. In eo editi constitutionum articuli quadraginta septem super doctrina, & quinquaginta sex super disciplina superque ecclesiasticorum & fidelium moribus, bifariam secti.

Primæ partis articulus primus explicat Ecclesiæ super Trinitate fidem quæ in eo est posita, ut credatur unus Deus in personis tribus, secundum sacras Litteras & traditionem Symbolorum trium, scilicet Apostolorum, Nicæni concilii & S. Athanasii. Exprimuntur ad vivum, in sequentibus articulis, Dei attributa; ejus potentia per quam creavit, conservat & gubernat omnia; ejusdemque justitia, misericordia, liberalitas; hominis præterea liberum arbitrium, malitia, lapsus, ejusque per Christum redemptio. Deciditur homines per primi hominis peccatum reos & damnationi obnoxios evasisse, atque ita ad malum pronos, ut nihil agere possint, nihil expetere, nihil cognoscere ad suam ipsorum salutem per liberi arbitrii vires quæ infirmæ & languidæ sunt, nisi eas adjuvet Dei gratia; eos ab hoc originalis peccati morbo per Christi Domini redemptionem liberatos, perque ipsius merita & gratiam justificatos esse; hujus justificationis initium tribuendum esse excitanti gratiæ quæ eorum merita prævenit; eosque huic gratiæ consentientes & cooperantes ad justificationem se comparare, quæ tum fit, cum homo recipit a Spiritu Sancto fidem, charitatem & spem; dona quæ, cum in eo permaneant, non solum, ut is *justus* censeatur & appelletur, efficiunt, sed eum reapse talem reddunt; hanc autem charitatem quæ justificat, non otiosam & inutilem esse, sed adjuncta habere debere bona opera quorum fons & principium est gratia per quam præcepta fiunt homini possibilia, ut ea non pœnarum solum metu, sed bono corde bonaque voluntate perficiat.

De Sacramentis doctrina ab undecimo articulo incipit, & in tricesimum nonum desinit. Definitur sacramenta non esse simplices cæremonias, sed efficacia gratiæ signa, quam per divinam operationem iis conferunt a quibus recte dispositis suscipiuntur; omnia per baptismum peccata remitti, ut in baptizato nihil supersit quod eum, quin cælum ingrediatur, impedire possit; & concupiscentiam quæ nobis ad certamen relicta est, non esse peccatum, sed ita nihilominus appellari, quia ejus causa peccatum est, & ipsa ad peccatum trahit; baptismum ad peccati remissionem & ad salutem necessarium & efficacem esse, nec iterari posse; eum exorcismis cæremoniisque consuetis administrari debere; adhibendam aquam benedictam, sanctorumque oleorum unctiones edendas esse; in Confirmationis sacramento Spiritum Sanctum a nobis recipi, qui nos in baptismo purgavit, novis additis gratiæ donis, ut contra dæmonis aggressiones roborati, clarius ad mysteria illustrati, &, ut Christum Dominum confiteamur, puriores simus; hoc idem sacramentum quod initio quidem per manuum impositionem conferebatur, prope ab apostolorum tempore, per unctionem, internæ unctionis figuram, administratum fuisse. Quid super tribus pœnitentiæ partibus credendum sit, explicatur, præscribiturque absolutionis forma, cujusmodi in usu est. Vetantur mendicantes a confessionibus esse, nisi per ordinarii auctoritatem approbati sint. Expunguntur reservati casus, homicidio, hæresi & excommunicatione tantum exceptis. Prohibentur religiosi, quidem laicis communionem, sine parochi consensu, præbere; parochi vero iis qui ex eorum parochianis non sunt, eamdem administrare. Sacerdos quicumque confessiones revelaverit, ad perpetuum carcerem in monasterio damnatur. Monentur confessarii, ut congruas & peccatis respondentes pœnas imponant, avaris, causa exempli, eleemosynas & incontinentibus jejunia, ut eorum vitia per oppositarum virtutum usum sanentur. Pronuntiatur, ad eucharistiam quod attinet, substantiam Corporis & Sanguinis Christi Domini sub panis & vini speciebus existere; Christum Dominum, cum ipse dividi, ejusque Corpus ab ejusdem Sanguine separari non possit, sub utraque specie totum omninoque integrum esse; adeoque tam sub una tantum specie quam sub utraque utiliter eumdem sumi, & hac sane in re Ecclesiæ consuetudini standum esse. Concilium ministros vetat iis eucharistiam tribuere qui jejuni non sunt, nisi in morbi casu. Unctionis ægrotantium effecta explicat in hæc verba: „ Hæc „ unctio, applicata cum fidei prece, iis a quibus suscipitur, solatium & alacritatem præbet, levia peccata delet, graviumque peccatorum reliquias purgat. " Super ordinatione, dicitur eam tribui per manuum impositionem quæ visibile signum est, per quod gratia & functiones obeundi potestas conferuntur; bonosque & malos ministros id æque recipere quod potestatem spectat. Super matrimonio, decidit concilium hoc matrimonia filiorum-familias, sine parentum consensu inita, nulla declarari non debere. Mandat, ut matrimonia in ecclesia, non sine consuetis cæremoniis, & post enuntiationes tres celebrentur.

Articuli tricesimus nonus & quadragesimus veterum Ecclesiæ cæremoniarum usum approbant.

Quadragesimus primus & quadragesimus secundus super imaginibus versantur; harum usum concilium approbat; at populum moneri vult non eas, ut ipsæ adorentur aut honorentur, exponi, sed ut id in animum revocent quod adorari seu honorari debet; pronuntiatque *Imagines non ad id proponi, ut adoremus & colamus eas, sed ut, quid adorare aut colere, aut quarum rerum utiliter meminisse debeamus, per imagines recordemur.* Imagines vetat quæ modestæ non sunt, nec ad quasdam imagines confluі vult.

Approbat, in sequentibus articulis, reliquiarum honorem, peregrinationes cultumque Sanctorum, pro mortuis preces, jejuniorum & abstinentiarum leges, sed ita, ut improbet, quicquid in his usibus superstitiosum nimiumve esset.

Articulorum quinquaginta sex super disciplina moribusque versantium qui in parte altera continentur, complures e Moguntina quadam an. 1548. habita synodo ducti sunt. In iis quoad sanctum Missæ sacrificium attentio & reverentia peculiariter commendatur. Statuitur, ut Sanctorum festa quæ in dominicam incidunt, ad sequentem aut præcedentem diem transferantur, exceptis B. Virginis & Apostolorum festis, aliisque præcipuis solemnitatibus. Concilium apostatas monachos qui ad suum monasterium redierint, humaniter exceptos vult. Religiosus e suis conventibus egredi vetat. Edit decreta plura, ut parochorum sustentationi prospiciat, & simoniam impediat. Prædicationem & sacramentorum administrationem in ædium capellis interdicit. Adhibitam curam vult, ut scholæ magi-

magistri probe Catholici sint; & libri de hæresi suspecti & sine nomine supprimantur, & proscribantur. Mandat, ut solum post canonicas monitiones excommunicatio pronuncietur; & Basileensis concilii, super commercio cum excommunicatis qui denuntiati non sunt, statuta instaurantur. *Ibid.*

Concilium Trevirense, an. 1549.

Joannes, archiepiscopus & elector Trevirensis, habuit concilium hoc die 13. Maji an. 1549. Huic adfuere deputati quos episcopi Tullensis, Metensis & Verodunensis, ejus suffraganei miserant; adfuit etiam ejusdem metropolitanæ ecclesiæ Capitulum. In eo edita decreta viginti.

Primum enuntiat nihil aliud credi, teneri aut doceri debere, quam quod sancta Romana Ecclesia credit.

Secundum, neminem debere divinum verbum nuntiare, quin suam ab episcopo ejusve magno vicario missionem acceperit. In eodem laici prædicare, occultosve cœtus habere prohibentur. Parochorum destitutio, itemque eorumdem institutio ad episcopi jus pertinere dicitur; & quicunque prædicationis ministerium usurpare ausi fuerint, excommunicatione plectuntur.

In tertio, jubentur episcopi eos examinare quibus docendi & prædicandi facultatem impertientur, & cavere, ne iidem novis doctrinis infecti sint; iis commendatur, ut eligant non eos qui eloquentiores, sed eos qui sanctiores sunt, dummodo non omnino docendo populo inepti sint. Animadvertitur eo magis has circumspectiones quoad eos adhibendas esse qui eloquentia pollent, quo magis ipsi, alios docendi specie, nocere & fallere possunt.

Quartum plura quoad prædicationem monita continet; prædicatores, bona fide & secundum Evangelii puritatem, Dei verbum prædicare debere, quin inutilia quæque parum ædificationi sint, eidem admisceant; cavere debere, ne dubias opiniones tamquam certas, & indubitatas testentur; apocryphas historias proponere non debere, vel e cathedra res enuntiare quas Ecclesia celandas censuit; oportere, ut iidem nullas comicas, pueriles & sæpe immodestas fabulas, risui potius quam fletibus excitandis accommodatas publice exponant; pacis Evangelium pacifice doceant, quin animi impetum, odium, invidiam, cupiditatem aut ambitionem præseferant; haud se mutuo dicteriis impetant, refellantque; at, si quis aliquid a concionatore pronuntiatum audierit quod fidelibus scandalo sit, necesse fore, ut episcopum, ejusve vicarium, aut inquisitorem, aut officiale de re moneat; universim sacros oratores ea docere debere quæ Ecclesiæ paci tranquillitatique inservire possunt, quæque populo congruunt, cujusmodi sunt explicatio Symboli, Decalogi, Sacramentorum, cæremoniarum Ecclesiæ & Orationis Dominicæ, cohortationis ad pœnitentiam, ob oculos positis Christi Domini beneficiis, æternisque pœnis, solatia ducta e Dei misericordia, &c. Iisdem commendatur, ut Sanctorum exempla proponant, fidentiaque ex eorum patrocinio percepta auditores solentur; suam denique moralem doctrinam ex Evangeliis Lectionibusque depromant quæ dominicis festisque diebus singulis recitantur.

Quintum in officii cantu ordinem & pietatem, sextumque in canonicis horis recitandis attentionem commendant.

Vetat septimum, ne quis in ecclesia deambulet, ibive profanis rebus detineatur.

Octavum constitutionem continet super canonicorum in choro capituloque præsentia.

Nonum exhibet super Missæ celebratione rubricas plures. Notatur chorum non debere per cantum, dum Epistola legitur, interpellare; elevationis hostiæ & calicis tempore, & usque ad *Agnus Dei*, organa silere debere, nullamque antiphonam concini, sed oportere, ut tum quidem unusquisque, conticescens, genua flectens, aut se humi sternens Christi Domini passionem & mortem commemoret, & ob beneficia quæ is per suam ipsius mortem nobis promeruit, Deo gratias agat; nullam privatam missam, solemnis tempore, dicendam esse; optandumque fore, ut essent quotidie qui communionem perciperent.

Decimum imminuit festorum dierum numerum; ea statuit quæ celebranda, & rationem qua id perficiendum, explicat.

Undecimum statuta plura ad monachorum & monialium reformationem præscribit.

Decimum secundum violentias insectatur quæ monasteriis inferuntur. Religiosos vetat parœcias administrare, quin ad eas ab ordinario acciti fuerint, eaque conditione, ut a suis superioribus revocari possint. Ecclesiis & monasteriis quibus unitæ parœciæ sunt, eam veniam dat, ut earum servitium vicariis seu amovibilibus seu perpetuis demandent. Religiosos mendicantes jubet, in administratione Sacramenti pœnitentiæ, in Divini verbi prædicatione, & in cæteris religionis publicis exercitationibus ad Romanorum Pontificum constitutiones se conformare. Eosdem vetat a reservatis casibus absolvere, aut Paschatis tempore sacramenta administrare, sine Parochi nutu.

Decimum tertium & decimum quartum sanctionem continent super archidiaconorum, decanorum & parochorum juribus.

Decimum quintum super scholæ magistris superque canonicorum studiis versatur.

Decimum sextum in eos invehitur qui ad sæcularium judicum tribunalia ecclesiasticos trahunt.

Decimum septimum personarum bonorumque ecclesiasticorum immunitatem servat.

Decimum octavum leges in ecclesiarum libertatem latas abrogat.

Decimum nonum statuta confirmat Augustæ Vindelicorum ad cleri reformationem edita, eorumque executionem præcipit.

Vicesimum mandat, ut hujus concilii decreta enuntientur, eorumque exempla per provinciam decanis ruralibus, prælatis, monasteriorum superioribus e parochis tribuantur, ne ignorantiæ causam prætexere possint. Super his addendi, detrahendi, corrigendi, pro ut e re visum fuerit, itemque eadem explicandi & amplificandi jus Trevirensis archiepiscopus sibi & successoribus suis reservat. *Ibid.*

Concilium Tridentinum, an. 1545.

Concilium hoc quod generalium seu œcumenicorum conciliorum postremum est, per Pauli Papæ III. Bullam, ad diem 15. Martii an. 1543., indictum fuit, at solum 13. Decembris die an. 1545. illud Papæ legati, scilicet, Cardinales Delmontius, episcopus Prænestinus, Marcellus Cervinius, presbyter, & Polus, diaconus, aperuerunt. Hi tres legati, adsistentibus archiepiscopis quatuor, & episcopis viginti duobus, 13. Decembris die primam sessionem habuerunt.

I. SESSIO. Cornelius Mussus, Bisunti in Bariensi agro & Apuliæ provincia in Italia episcopus, e suggestu dixit in Spiritus sancti missa quam legatorum primus in Tridentina cathedrali ecclesia celebravit. Missarum solemniis consuetisque precibus absolutis, Cardinalis Delmontius Bullam indictionis concilii pronuntiavit, quæque ad ejus convocationem impulerant causas, videlicet, hæreseon exstirpationem, ecclesiasticæ disciplinæ restitutionem, & morum reformationem, exposuit; hortatusque est patres, ut omnem altercationem evitarent, nec aliud sibi proponerent quam Dei gloriam, cujus, itemque angelorum & Ecclesiæ totius oculi super iisdem aperti erant. Proximam deinde sessionem ad 7. Januarii diem an. 1546. indixit.

Primam inter & secundam sessiones, habitæ sunt congregationes plures. In prima, die 18. Decembris, proposuit Cardinalis De Monte constitutiones aliquas ad rectum ordinem, celebrandi concilii tempore, statuitque, ut negotia de quibus in congregationibus & sessionibus agendum, expenderentur, peragendique hujus examinis rationem præscripsit. Legati adduxere patres, ut ad concilium officiarios a Papa nominari assentirentur.

In secunda congregatione, die 19. Decembris, archiepiscopus Aqui-sextiensis & Agathensis legatos rogarunt, ut ne quam præcipui momenti rem, ante adventum oratorum Regis Galliæ, pertractarent.

In tertia, die 29. Decembris, deliberativa abbatibus & generalibus ordinis concessa vox, designatique prælati tres qui episcoporum procurationes inspicerent, eorumque sedes notarent. Cum legati super opinandi in concilio ratione ad Papam scripsissent, an scilicet patres per nationes opinarentur, quemadmodum in Constantiensi & Basileensi conciliis factum fuerat, an vero suum cuique liberum suffragium esset, & e vocum pluralitate decideretur, pro ut in postremo Lateranensi concilio actum erat; Papa definiit hanc opinandi rationem servandam esse; subdens de religionis capitibus ita agi oportere, ut prava doctrina damnaretur, quin personæ attingerentur, nec de reformatione, seu ante dogmata, seu conjunctim cum iisdem, agendum esse, quia nimirum, ajebat, non erat hæc celebrationis concilii præcipua causa; quod si qua suboriretur quoad ea disputatio quæ Romanam curiam afficiunt, prælatos quidem audiendos esse, non ut iis in concilio fieret satis, sed ut de re summus Pontifex certior fieret, a quo opportuna remedia adhiberentur.

In congregatione quæ habita die 5. Januarii an. 1546.

actum est de ratione qua controversiæ proponerentur; decisumque, e Papæ sententia, quibus demandata esset procuratio, iis quidem deliberativam vocem in concilio non fore. Diu multumque agitata est super titulo quæstio, qui concilio tribueretur; formula enim qua decreta inchoanda quæque a Papa ad legatos missa fuerat, pluribus disputationibus causam præbuit. Ea porro ita concepta erat: „ Sanctum & sacrum concilium „ Tridentinum, sedis Apostolicæ legatis ei præsidenti„ bus.“ Jam vero plerique e concilii Patribus in ea erant sententia, ut addi oporteret: „ universalem Ec„ clesiam repræsentans; “ alii *præsidentium* nomen expunctum volebant; at omnis tandem cœtus stetit a Papæ formula. Definitum, ut super unaquaque re de qua in concilio agendum erat, congregatio institueretur, statique viri nominarentur qui decreta ederent, super quibus suam quisque sententiam in generalibus congregationibus diceret.

II. SESSIO. *Januarii die 7. an.* 1546. Huic adfuere legati tres; Cardinalis Tridentinus, archiepiscopi quatuor, episcopi viginti octo, tres abbates Benedictini, quatuor generales ordinis, & theologi circiter viginti; lecta bulla quæ procuratorum quos absentes miserant, suffragia admitti vetabat, itemque decretum quod fideles qui Tridenti aderant, hortabatur, ut vitam ad Dei timorem componerent, ut preci sine intermissione vacarent, ut crebro ad pœnitentiæ tribunal & ad sacram mensam accederent, ut ecclesias frequentarent, & ut Dei præcepta servarent. Commendatum episcopis & presbyteris, ut missæ sacrificium omnibus saltem diebus Dominicis celebrarent; ut pro Papa & pro Principibus orarent; ut sextis feriis singulis jejunarent; ut eleemosynam in pauperes erogarent; ut sobrietatem & castitatem servarent, ab omni censura sibi caverent, & in omni vitæ ratione cæteris exemplo essent. Concilium eos omnes qui in sacris litteris versati erant, hortatum est, ut serio intentum quisque animum ad quærenda adjumenta conferret quibus sanctum consilium quo congregatum concilium fuerat, perfici posset. Commendatum omnibus cœtus membris, secundum Toletani concilii statuta, cum suas sessiones haberent, ut ne incongruis rumoribus, aut pertinacibus contentionibus abriperentur; sed id unusquisque, quod esset dicturus, ita ad comitatem & honestatem compositis verbis mollire studeret, ut hæc audientium nulli offensioni essent, Plures deinde congregationes habitæ sunt.

In prima, renovata est super decretorum titulo disputatio, compluribus addictum volentibus: *universalem Ecclesiam repræsentans*. Id convenit, ut expectaretur, dum frequens concilium esset, ut ad graviorum decretorum frontem hic titulus adhiberetur; convenit & illud, ut *sacrosancti concilii* vocabulis adderentur *œcumenici & universalis* nomina. Proposita fuere capita tria quibus tota concilii ratio continebatur; videlicet, hæresum exstirpatio, disciplinæ reformatio, & inter principes Christianos concordia.

Versata est altera super rerum examine; post disceptationes plures, Patres in eam sententiam conspirarunt, ea quæ fidem & quæ reformationem spectabant, conjunctim pertractari oportere.

In tertia, lectæ litteræ quas concilium ad principes scriptas voluerat. Divisi fuere concilii episcopi in classes tres, ut in cujusque legatorum ædes convenirent, antequam suas ad generalem congregationem deliberationes deferrent, ut ibidem minore cum altercatione reciperentur; habitusque est Patrum delectus qui eas classes tres constituerent; denique ad Constantinopolitani concilii in proxima sessione enuntiationem decretum editum.

III. SESSIO, *die 4. Februarii*. Lectum decretum quod patres hortabatur, suam ut vim suamque fidentiam in Domino & in ejus omnipotenti virtute ponerent, mandatumque, ut concilium ab eorum fidei professione inchoaretur. Ad trutinam vocatus sacræ scripturæ librorum canon; dignusque est habitus qui reciperetur; nominati commissarii sex qui loca perpenderent quæ ibidem corrupta comperirentur. Diu disputatum super autographi textus & versionum, vulgatæque peculiariter, auctoritate; decisumque, secundum sententiam quam Andreas Vega, Hispanus & e S. Francisci ordine proposuerat, declarari oportere vulgatam authenticam esse, nihil scilicet continere, quod fidei bonisque moribus adversaretur, licet in eadem occurrant aliquæ locutiones quæ cum autographo textu non congruant; quippe quæ in Ecclesia ab annis amplius mille venerationi fuerat, quaque veterum conciliorum patres tamquam ab omni in fide & in moribus errore exempta usi fuerant. Lectum Nicænum symbolum, & sequens indicta sessio.

Habitæ super traditione congregationes plures, super ea nempe Christi Domini & Apostolorum doctrina quæ in canonicis libris expressa non est, & per successionem ad nos usque pervenit, atque in Patrum operibus reperitur. Super ejusdem Scripturæ sensibus & interpretationibus examen editum.

IV. SESSIO, 8. *Aprilis die*. Lecta fuere decreta duo; primum super sacræ Scripturæ libris, enuntians a sancto concilio suscipi omnes veteris & novi Testamenti libros, itemque traditiones quæ fidem & mores spectant, tamquam ipso Christi Domini ore, seu a Spiritu Sancto dictatas, & in Catholica Ecclesia per continuam successionem servatas, idemque concilium pari cum observantia his adhærere. Affertur deinde in decreto sanctorum librorum catalogus, cujusmodi in vulgata est; eosque anathemate concilium plectit, qui eos ut canonicos non recipiunt.

Decretum alterum vulgatam versionem declarat authenticam, utpote in Ecclesia jam inde a longis sæculis approbatam; eam qua potest, maxima cura imprimi jubet; Scripturæ verba ad profanos usus trahi vetat; eosque qui ridiculas eorum applicationes edunt, iisdemve ad superstitiones abutuntur, tamquam divini verbi profanatores punitos vult.

CONGREGATIO. In hac actum de abusibus quoad theologiæ doctores divinique verbi præcones; de regularium exemptione; super episcoporum residentia quæsitum, divini ne hæc, an solum ecclesiastici juris esset. Discussum dogma; actumque 1. de originali peccato; quod dogma in articulos quinque tributum fuit, quorum 1. de hujus peccati natura; 2. de ratione qua illud in descendentes transmittitur; 3. de malis quæ idem peccatum attulit humano generi; 4. de ejus remedio; 5. quæ hujus remedii efficacia; 6. loco discussa quæstio de S. Virginis conceptione; at de ea concilium in sequenti sessione sermonem habuit.

V. SESSIO, *die 17. Junii*. 1. Lectum fidei de originali peccato decretum; continet hoc canones quinque cum anathemate, ad quorum calcem concilium declarat non eam sibi mentem esse, ut beatam & immaculatam Virginem Mariam, Dei matrem complectatur, & super hac re Papæ Sixti IV. constitutiones servari oportere. Vide hos canones in hujus Operis Tomo IV. *verb. Peccatum* originale. Sequitur de reformatione decretum quod continet capita duo.

CAPUT PRIMUM.

De Scholarum, ad sacram Scripturam ibidem docendam, institutione.

NE sanctarum Scripturarum quarum notitiam hominibus tam liberaliter Spiritus Sanctus concessit, cælestis thesaurus negligatur; sanctum concilium, amplectens & mordicus tenens conciliorum quæ Ecclesia approbavit, constitutiones, & summorum Pontificum decreta, & quod expedite credidit, iisdem addens, mandavit, ut in ecclesiis in quibus extat fundus, cujuscunque naturæ fuerit, ad theologiam docendam designatus, episcopi, archiepiscopi, primates cæterique ordinarii eos adigant qui hunc reditum possident, ut super sacra Scriptura lectiones habeant ipsi per se, siquidem iis pares sunt; si minus, per aliquem idoneum virum quem suum in locum substituent, quique ab episcopo & ordinarii cœtibus eligetur; cæterum, ejusmodi beneficia iis tantum in posterum conferantur, qui huic muneri obeundo sint; in urbium quibus populi minus inest, cathedralibus ecclesiis, atque adeo in collegiatis quæ in Insignibus oppidis sunt, etiamsi exemptæ fuerint, quibus frequens clerus est, quibusque nullus adhuc lector adest, huic officio destinetur addicaturque præbenda quæ prima vacaverit; ac si forte nulla sufficiens ibidem præbenda sit, per designatum simplicis beneficii proventum, aut per beneficiorum vel diœceseos contributionem huic rei consulatur, quin tamen id cæteris studiis ibidem prius institutis detrimento sit; in pauperibus autem ecclesiis, saltem magister ab episcopo, e capituli consensu, electus existat, ut clericos gratis grammaticen doceat, cui addicetur alicujus simplicis beneficii proventus, aut ex episcopi vel capituli mensa mercedis satis; in monachorum monasteriis quoque, ubicunque id commode fieri poterit, sacra Scriptura docebitur; & abbates, si forte huic officio desint, a locorum episcopis, tamquam sanctæ Sedis delegatis ad id adigantur. Idem servabitur in regularibus quoque conventibus cæteris, & magistri a provincialibus aut generalibus capitulis eligentur. In collegiis porro in quibus hæ nondum lectiones adsunt, eas Christiani principes & respublicæ instituent, restituentve, ubi solum per negligentiam intermissæ fuerint; ac, ne pietatis specie, hæresis disseminetur, munus hoc nemo, seu publice, seu privatim,

tim, obire poterit, quin ab episcopo examinatus approbatusque fuerit, exceptis lectoribus qui intra monasteria ipsa docent; publicos autem Scripturæ professores, quoad docuerint, auditoresque, quoad in scholis extiterint, omnibus privilegiis a jure concessis, & nominatim suarum præbendarum suorumque beneficiorum fructibus, licet absentes, concilium pacifice frui vult.

C A P U T II.

De divini verbi Prædicatione.

ET, quia Christianæ reipublicæ non minus necessaria est prædicatio quam lectio, & hoc quidem e præcipuis episcoporum officiis est, eadem sancta synodus episcoporum, archiepiscoporum, primatum aliorumque præsulum id fore statuit, ut Evangelium prædicent ipsi, nisi legitime impediti fuerint, suumque in locum, cum ipsi id facere non poterunt, idoneos viros sufficiant; archipresbyteri, parochi, omnesque quibus animarum cura est, dominicis saltem & solemnibus festis diebus singulis, quæ ad salutem necessaria sunt, per se aut per alium, doceant; eosque, si trium mensium spatio huic officio defuerint, episcopus ad id adigat, seu per ecclesiasticas censuras, seu per redituum privationem, quavis exemptione nihil obstante.

Quod si quæ a monasteriis quæ nullius diœcesis sint, pendentes parœciæ fuerint, in quibus abbates & prælati regulares perficere neglexerint, ut hæc constitutio executioni mandetur, ad id a metropolitanis, tamquam sanctæ Sedis delegatis adigantur; regulares vero ne in sui quidem ordinis ecclesiis, prædicare possint sine superiorum suorum approbatione, & quin prius ab episcopis benedictionem acceperint; ad evangelium vero in ecclesiis nuntiandum, quæ non sunt ex eorum ordine, præter superiorum suorum veniam, obtineant, oportebit, ab episcopo facultatem quæ gratis dabitur.

Si concionatorum quispiam (quod Deus avertat) errores aut quædam quæ scandalo sint, inter populum disseminaverit, ei prædicationem episcopus interdicet. Quod si hæreses prædicaret, episcopus, tamquam sanctæ Sedis delegatus, e juris ordine aut e loci consuetudine in eum procedet, etiamsi prædicator se exemptum contenderet, seu peculiaris seu communis privilegii vi; cavebit tamen episcopus, ne sacri oratores calumniis impetantur aut immerito molestia afficiantur; ut iis nempe nulla subsit de eodem querendi causa.

Præterea, nullam prædicandi facultatem seu regularibus qui extra sua claustra vitam agunt, seu presbyteris sæcularibus, si noti sunt, quodcunque privilegium proferre possint, episcopi tribuent, quin id apostolicæ Sedi significaverint.

Ad quæstuantes quod spectat, hi quidem nec ipsi per se, nec per alium prædicare poterunt; quod si facere ausi fuerint, contrario quolibet privilegio nihil obstante, ab episcopis impedientur.

CONGREGATIO. 1. In hac ad trutinam revocata est justificationis materies; 2. Lutheri quoque doctrina super libero arbitrio, prædestinatione, bonorum operum merito, &c. firmatumque, ut ferrentur decreta duo quorum unum Ecclesiæ doctrinam, *decretorum* titulo, alterum, titulo *canonum*, anathemata contineret. Ad reformationis deinde negotium & ad quæstionem de episcoporum residentia concilium rediit; theologorum plerique definiendum asseruerunt divini juris residentiam esse; ut idem definiretur, Hispani petierunt.

VI. SESSIO, *die* 13. *Januarii an.* 1547. In hac edita decreta duo quorum primum super justificatione versatur, complectiturque capita sexdecim & canones triginta tres quibus hæretici proscribuntur. Admiranda oppido lux hoc in canone continetur. Declararunt patres initio statim justificationem in adultis a Dei per Jesum Christum præveniente gratia derivari, quæ scilicet eos sine ullo ipsorum merito vocat, excitat, roboratque, ut ad suam ipsorum justificationem conferant, consentientes & cooperantes libere huic eidem gratiæ. Exponunt deinde, quemadmodum peccatores ad justificationem perveniant.

Peccatores, inquit concilium, dispositi sunt, ut justificentur, cum excitati adjutique a gratia, sanctoque verbo quod audiunt, fidem addentes, libere feruntur ad Deum, credentes quicquid revelavit promisitque, verum esse, præsertim vero impium justificari per gratiam quam ei Deus per Christi Domini redemptionem tribuit; & cum, se peccatores agnoscentes, utiliterque divinæ justitiæ metu perculsi, & ad Dei misericordiam confugientes, concipiunt spem confiduntque fore, ut iis Deus, Christi causa, propitius sit, eumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; cumque, propterea, in sua ipsorum peccata invehuntur per conceptum eorumdem odium perque detestationem, videlicet, per pœnitentiam quam ante baptismum ob ea peragi necesse est; denique cum statuunt baptisma suscipere, novam vitam inchoare, Deique præcepta servare.

Justificationis deinde naturam & effecta concilium explicat, eam inquiens non peccatorum tantum remissione, verum etiam sanctificatione internaque renovatione animi contineri. Hujus justificationis, inquiunt patres, si causæ quæruntur, finalis causa est Dei & Christi Domini gloria, denique æterna vita; efficiens causa, Deus ipse qui, prout misericors, per sigillum & unctionem Spiritus Sancti, in sacris Scripturis promissi, quod nostræ hæreditatis pignus est, gratis lavat sanctificatque; meritoria causa, Christus Dominus noster, ejus apprime dilectus & unicus Filius qui, per extremum in nos amorem, justificationem nobis promeruit, satisque pro nobis Deo Patri per sanctissimam super cruce passionem fecit, cum ejus hostes essemus; instrumentalis causa est fidei sacramentum, sine qua nemo justificari potest.

Denique ejus unica formalis causa est Dei justitia, non ea quidem per quam ipse justus est, sed ea per quam nos justificat, hoc est, qua nos donati, intus in animo renovamur, & non solum justi reputamur, sed tales vere nominamur, & reapse sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque secundum mensuram suam & secundum ejus a Spiritu Sancto, prout eidem placuit, eidem partitionem, ac secundum uniuscujusque propriam dispositionem & cooperationem; ita nimirum, ut peccator, per hanc ineffabilem gratiam, vere justus, Dei amicus, æternæque vitæ hæres evadat, Sanctusque Spiritus in eo miram ipse mutationem hanc operetur, efformans in ejusdem animo sanctos fidei, spei & charitatis habitus qui eum intime Christo uniunt, vivumque ejus corporis membrum efficiunt. At nemo, maxime licet justificatus sit, se Dei præceptis servandis exemptum censere debet; nemo iis verbis uti quæ temeritas expressit, quæque sancti patres, sub anathematis pœna, damnarunt, Dei præceptorum executionem justificato homini impossibilem esse; Deus enim impossibilia non præcipit; sed, præcipiens, monet, ut & id faciamus quod possumus, & id petamus quod non possumus; & adjuvat, ut possimus.

Docet præterea concilium, super eadem re, 1. in hac mortali vita, de occulto divinæ prædestinationis mysterio præsumere debere neminem; ut ei nempe certo constet se ex prædestinatorum numero esse, quasi verum esset eum, utpote justificatum, non amplius peccare posse, aut, siquidem peccaret, sibi dubio procul promittere debere, ut se rursus erigeret, quia, citra peculiarem Dei revelationem, sciri non potest quos Deus elegerit. Idem sentiendum de dono perseverentiæ de quo scriptum est eum qui perseveraverit usque in finem, salvum fore; quod aliunde obtineri non potest quam ab eo qui omnipotens est, ad eum qui stat, sustentandum, ut stare pergat ad finem usque, itemque ad eum qui labitur, erigendum; at super hac re nemo quicquam certi, certitudine scilicet absoluta, sibi polliceri potest, licet firmissimam omnes fidentiam ponere & statuere debeant in Dei subsidio, qui bonum quod incepit, opus ad finem perducat perficietque, in iis operans voluntatem effectumque, nisi ipsi desint ejusdem gratiæ.

2. Eos qui, per peccatum, a justificationis gratia quam acceperant, exciderunt, iterum justificari posse, cum, Deo per pœnitentiæ sacramentum eos excitante, perficient, ut, vi meritorum Christi, gratiam inveniant quam amiserunt; est hæc eorum propria reparatio qui lapsi sunt, quam quidem sancti patres tam apte *secundam post naufragium gratiæ quæ amissa est, tabulam* nominarunt. Atque in eorum sane favorem qui post baptismum in peccatum labuntur, pœnitentiæ sacramentum instituit Christus Dominus, cum dixit: „ Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. " Ex quo fit, ut probe intelligi necesse sit Christiani hominis, postquam in peccatum incidit, pœnitentiam ab ea longe differre quæ baptismi est; neque enim solum postulat, ut homo peccare desinat, suumque crimen horrori habeat, contrito scilicet & ad humilitatem composito corde sit, verum etiam sacramentalem peccatorum confessionem, saltem in voto, ut oblata occasione quamprimum agatur, & sacerdotis absolutionem, itemque, per jejunia, eleemosynas, preces piasque cæteras spiritalis vitæ exercitationes, satisfactionem complectitur, non

quidem

quidem ob æternam pœnam quæ cum offensa per sacramentum, ejusdemve suscipiendi desiderium remissa est, sed ob temporalem pœnam quæ, e sanctarum Scripturarum doctrina, non iis semper, ut in baptismo, penitus remissa est, qui Dei beneficiis & gratiæ quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contristarunt, & sina reverentia templum divini Numinis profanarunt.

3. Persuasum cuique esse debere justificationis gratiam, non solum per infidelitatis crimen per quod ipsa quoque fides amittitur, sed etiam per quodvis aliud lethale peccatum per quod non amittitur fides, amitti; divinæ enim legis doctrina a Dei regno non infideles tantum, sed fideles ipsos, siquidem fornicatores, adulteri, effeminati, sodomitæ, fures, avari, ebriosi, maledici, alieni boni raptores fuerint, aliosque omnes, excepto nemine, excludit, qui mortalia peccata perpetrant, ob quorum punitionem a Christi Domini gratia segregati sunt.

Concilium postquam Catholicam super justificatione doctrinam explicuit, errores huic doctrinæ contrarios, per canones triginta tres, peculiariter damnat. *Vide* hos canones, in secunda hujus Operis Parte, verbo, *Justificatio*.

Decretum alterum super reformatione editum fuit; continet hoc capita quinque.

CAPUT PRIMUM.

De Episcoporum Residentia.

EAdem sacrosancta synodus, cleri populique mores extremum in modum depravatos perspiciens, e re fore credidit, ut ab iis qui majores ecclesias regunt, exordiretur, quoniam inferiorum subditorumque salus ab eorum integritate pendet qui iisdem præsunt. In eam igitur erecta spem e Dei & Domini Nostri miseratione, ejusdemque in terris vicarii vigilantia, regimen hoc quod (Angelis ipsis) formidandum onus est, dignis tantum viris & in ecclesiasticæ disciplinæ exercitationibus ab ineunte ætate enutritis collatum esse, eos omnes monet qui earumdem ecclesiarum administrationi præpositi sunt, ut suo singuli gregi invigilent quem iis per sui sanguinis effusionem Christus Dominus acquisivit; & quia eorum nonnulli sunt qui proprium ovile mercenariorum pastorum instar, oviumque curam deserunt, quæ iis, æque atque earumdem animarum salus, concreditæ sunt, ut, terrena cælestibus anteponentes, in aulis & negotiorum implicationibus vitam transigant, in eos qui non resident, veteres canones renovat, qui temporum injuria hominumque malitia propemodum obsoleverunt; mandatque præterea, ut, si prælatorum quispiam, cujuscumque tandem præminentiæ fuerit, sine legitima æquaque causa, sex continuos menses suam extra diœcesin permanserit, quartam e suorum proventuum fructibus partem, ecclesiæ fabricæ pauperumque alimento addicendam amittat; si vero ne per alios quidem menses sex abesse destiterit, alterius quartæ partis quæ in eumdem usum conferetur, jacturam subeat. Quod si longius etiam abierit contumacia, eum metropolitanus, secus ei pœnæ futurus obnoxius, ut ecclesiæ aditu interdicatur, intra tres menses Papæ denuntiare debebit, qui per supremam qua pollet, auctoritatem, eum punire ejusdemve ecclesiæ meliorem utilioremve pastorem dare poterit; ac, si metropolitanus in eamdem culpam inciderit, inter ejus suffraganeos senior ipsum pariter denuntiet, necesse erit.

CAPUT II. Ecclesiastici cæteri quorum beneficia, seu ex jure, seu ex consuetudine, personalem residentiam requirunt, ad eam ab episcopis adigentur, quin privilegia quæ a residendo in perpetuum eximunt, in cujuscunque favorem valere possint. Dispensationibus porro solum ad tempus & ob veras congruasque causas concessis, quæque ab ordinario approbatæ fuerint, sua vis & robur manebit; ac tum quidem episcopus, tamquam sanctæ Sedis delegatus, animarum curæ consulet, idoneos vicarios committens quibus honestam redituum portionem, privilegiis aut exemptionibus non obstantibus, designabit.

CAPUT III. Prælati suis inferioribus prudenter corrigendis intenti sint; nullusque clericus sæcularis, ullius privilegii colore, & regularium nullus extra claustra commorans, quodcunque sui ordinis privilegium, causæ loco, proferre possit, se ordinarii, tamquam apostolicæ Sedis delegati, visitationi, correctioni & punitioni, si in culpam inciderit, eximere poterit.

CAPUT IV. Cathedralium aliarumque majorum ecclesiarum capitula, quique eadem conficiunt, ob cujusvis generis exemptiones, consuetudines, obstrictam jurejurando fidem & conventiones, haud se poterunt episcoporum visitationi subducere, secundum canones, quoties opus fuerit, quippe quibus a sancta Sede id auctoritas præsto est.

CAPUT V. Nullus episcopus, quodcunque tandem privilegium prætexat, episcopalia munia in aliena diœcesi obire poterit, quin loci ordinarius annuerit, & quidem quoad eos tantum qui eidem ordinario subsunt; quod si hanc sanctionem violaverit, a suis functionibus suspendatur.

CONGREGATIO *ad examinandos super Sacramentis articulos*. Actum est de eorum necessitate, de eorumdem excellentia, de ratione qua gratiam conferunt, quomodo peccata deleant; de charactere quem imprimunt; de sacramentorum ministri sanctitate; quinam ea debeant administrare; de mutatione quoad formam; de ministri intentione. Per editum peculiare decretum statutum est, ut sacramenta gratis administrarentur. Cœtus secutus est Papæ sententiam, qui pronuntiavit capita ad doctrinæ de Sacramentis explicationem spectantia omitti oportere, satisque fore, ut canones, addito anathemate, enuntiarentur.

Super negotio de reformatione, inter alias quæstiones, id in examine positum fuit, an beneficiorum qui residentiam postulant, pluralitas per divinam legem vetita sit; qui enim residentiam divini juris esse censebant, inde inferebant Papam super hac pluralitate dispensare non posse; alii vero non nisi per canones eam vetitam contendebant.

VII. SESSIO, *die* 3. Martii. 1. Lecti super sacramentis canones; hi numero triginta sunt; suum singuli anathema adjunctum habent. *Vide* hos canones ad verbum, *Sacramenta* in universum, & *verb.* de unoquoque Sacramento peculiariter. 2. Lectum de reformatione decretum; continet hoc capita quindecim.

CAPUT PRIMUM.

De Beneficiariis.

NEmo fiet episcopus, nisi e legitimo matrimonio natus, & matura ætate sit, gravis præterea, bonis moribus, & in sacris Litteris eruditus, ex Alexandri III. Constitutione, in Lateranensi generali concilio publici juris facta.

CAPUT II. Nemo plures simul episcopatus, in titulum vel in commendam, seu quavis alia ratione recipere aut retinere præsumpserit, quia id sanctis canonibus adversatur, & quia is admodum felix habendus qui uni tantum ecclesiæ probe regendæ est. Qui, contra præsentis hujus decreti rationem, possident ecclesias plures, quam voluerint, sibi servent, aliasque deserant, intra sex menses, si e sanctæ Sedis nominatione sunt, & intra annum, si minus ejusmodi fuerint; aliter hæ omnes ecclesiæ, ea excepta quæ postrema impetrata fuerit, vacantes censebuntur.

CAPUT III. Cætera beneficia, præsertim vero parœciæ dignis idoneisque viris quique residentiam servent, conferantur, ex Alexandri III. in Lateranensi concilio edita Constitutione quæ incipit, *Quia nonnulli*, & ex alia Gregorii X. in Lugdunensi generali concilio, cujus initium, *Licet canon*; secus, collator ordinarius subibit pœnas canonis, *Grave nimis*.

CAPUT IV. Quicunque deinceps accipiet aut retinebit beneficia plura incompatibilia, seu per unionem ad vitæ tempus, seu in commendam perpetuam, seu quovis alio nomine aut titulo, contra sanctorum canonum mentem, & potissimum contra Innocentii III. Constitutionem quæ incipit, *De multa*, privabitur omnino omnibus.

CAPUT V. Ordinarii perspicient eorum dispensationes qui plura vel alia quæ simul stare non possunt, beneficia retinuerint, agentque e Gregorii X. Constitutione, in generali Lugdunensi concilio enuntiata quæ incipit, *Ordinarii*, quamque sancta synodus renovat; eademque, ne animarum cura negligatur, ordinariis ipsis præterea mandat, ut iis beneficiis idoneos vicarios dent, quibus designabitur e reditibus portio, nihil obstantibus omnibus privilegiis, &c.

CAPUT VI. Uniones quæ ad perpetuitatem sunt, post quadraginta annos editæ poterunt ab ordinariis, tamquam Sedis apostolicæ delegatis expendi; quæque subreptitiæ comperientur, nullæ declarabuntur; itemque quæcunque in posterum obtinebuntur, nisi sancta Sedes aliter declaraverit.

CAPUT VII. Parœciæ cathedralis aut collegiatis ecclesiis, monasteriis item aut collegiis unitæ visitentur quotannis ab ordinariis qui ibidem perpetuos, vel ad tempus, vicarios statuent, iisdemque tertiam, majoremve aut minorem, pro sua ipsorum voluntate, proventuum partem addicent, quibusvis appellationibus aut exemptionibus nihil obstantibus,

CA-

CAPUT VIII. Ei legi suberunt ordinarii, ut, annis singulis, per apostolicam auctoritatem, exemptas ecclesias visitent, & animarum saluti, necessariis rationibus cæterisque obligationibus consulent, non obstantibus omnibus appellationibus, privilegiis & consuetudinibus, etiam ab immemorabili temporis spatio præscriptis.

CAPUT IX. Episcopi se intra tempus a jure præscriptum consecrandos curabunt; & prorogationes ultra sex menses concessæ valere non poterunt.

CAPUT X. Vacantis sedis tempore, capitula dimissorias ad ordines litteras iis tantum concedere poterunt quos beneficiorum suorum ratio sollicitabit. Capitula quæ secus egerint, interdicentur; qui, ex iis, in minoribus ordinibus constituti erunt, privilegiis gaudere non poterunt quæ clericis concessa sunt; qui vero sacris ordinibus insigniti fuerint, suspensioni suberunt, quod episcopo nominato placuerit.

CAPUT XI. Facultates ad ordines a quovis præsule suscipiendos iis tantum tribuentur quibus legitima excusatio suberit, ne a propris episcopis ordines sumant; & hi quidem, in hac facti specie, non nisi a loci in quo versabuntur, episcopo ipso, postquam ab eodem examinati fuerint, ordinari poterunt.

CAPUT XII. Dispensationes super promotione ad requisitos ordines, ultra annum, præter casus a jure reservatos, valere non poterunt.

CAPUT XIII. Qui ab ecclasiasticis, atque adeo ab apostolicæ Sedis nuntiis ad beneficia præsentati, electi aut nominati fuerint, non recipientur, non obstantibus privilegiis & consuetudinibus, etiam ante omnem memoriam præscriptis, quin eos ordinarii examini subdiderint, idoneosque compererint, iis exceptis quos universitates præsentarent, aut nominarent.

CAPUT XIV. In exemptorum causis servabitur Innocentii IV. Constitutio, in generali Lugdunensi concilio edita quæ incipit, *Volentes*, quam ipsam concilium renovat; addens præterea, cum de pauperum hominum salario agitur, clericos exemptos, etiamsi judicem ab apostolica Sede designatum haberent, apud ordinarios acciri posse, qui, tamquam ejusdem sedis delegati, de cæteris quoque exemptorum causis cognoscent, quibus nullus peculiaris judex statutus fuerit, contrariis omnibus privilegiis & exemptionibus nihil obstantibus.

CAPUT XV. Ordinariis id curæ erit, ut hospitalia recte fideliterque ab administratoribus gubernentur, quacunque tandem ratione exempta sint, ita porro, ut se ipsi semper ad Viennensis concilii Constitutionem conforment, cui initium, *Quia contingit*.

CONGREGATIO. In hac actum de eucharistiæ sacramento.

Altera congregatio ad deliberandum, quonam transferretur concilium ex contagiosi in urbe Tridento morbi disseminato rumore.

VIII. SESSIO, *die* 11. *Martii*. Lectum de concilii Bononiam translatione decretum, cui duæ tantum tertiæ partis assensum præbuere, cæteris, hoc est, Hispanis aliisque Imperatoris subditis huic translationi refragantibus; quod gravas contentiones excitavit, Imperatore de translato concilio conquærente.

IX. SESSIO, *Bononiæ*, 21. *Aprilis die*. Lectum in hac decretum, ad 2. Junii diem sessionem remissam enuntians, quo absentibus episcopis satis temporis concederetur, ut se Bononiam conferrent.

X. SESSIO, *die* 2. *Junii*. Quia tum quidem nondum Bononiæ nisi archiepiscopi sex, episcopi triginta sex, abbas unus, Chordigerumque & Servitarum generales aderant, prorogata est ad usque 13. Septembris diem sessio; at succrescentibus Papæ cum Imperatore diffidiis, concilium per annos quatuor suspensum remansit, Germaniæ licet episcopis Papam ad concilii restitutionem sollicitantibus. Ex alia parte, Imperator concilium in urbe Tridento restitutum volebat; atque adeo Papam ipsum in hunc finem sollicitandum curavit; suasque preces inutiles videns, in Bononiæ cœtum denuntiationem edi jussit, eo fundamento nixus Germanos eo non accessuros, propterea quod urbs Papæ dominationi suberat. Tunc scilicet perfecit, ut a theologis tribus celebre illud fidei formularium, *Interim* nomine notum, viginti sex articulos continens, ederetur, quod ab electoribus approbatum, ac deinde evulgatum, at re sane ipsa ab utraque parte vituperatum fuit. Hæc inter, Paulo Papa III. an. 1549. vivis erepto, cardinalis De Monte summus Pontifex electus fuit, qui *Julii* III. nomine sibi sumpto, statim Bullam die 14. Martii an. 1550. datam, ad concilii in urbe Tridento restitutionem, emisit.

XI. SESSIO, *Kalendis Majis* an. 1551. Cum sermo habitus esset, cardinalis Marcellus Crescentius, concilii præses, decretum legi jussit quod enuntiabat concilium rursus inchoatum esse, & a præside ipso sequentem ad Kalendas Septembris sessionem indici.

XII. SESSIO, *Kalend. Septemb.* In hac lectus, eorum qui concilio præerant, nomine, sermo in quo generalium conciliorum potestas & auctoritas efferebantur. Edita est ad patres cohortatio, ut per effusas preces, integramque vitæ rationem ad divinam opem confugerent; latumque decretum quo declarabatur fore, ut, in proxima sessione, de sanctæ eucharistiæ sacramento ageretur. Tum Comes Montfortensis, Imperatoris orator, se in concilium receptum petens votorum damnatus fuit. Jacobus Amyot, Henrici II. Galliarum regis orator, epistolam, hujus principis nomine, cœtui obtulit quæ in eo lecta. Expositæ erant in ea causæ quæ Henricum II. impedierant, ne quem e sui regni episcopis ad concilium mitteret. Amiotius deinde, regis sui domini, nomine in Tridentinum concilium denuntiationem edidit, ejusque causas in medium attulit; querebatur nempe rex de Julio Papa III. a quo bellum quod imminebat, jactis inter Christianos Principes discordiæ seminibus, derivari significabat.

CONGREGATIO. In hac agitata est de eucharistia quæstio. Propositi articuli decem e Zuinglii & Lutheri doctrina ducti quos ad trutinam revocari oportebat. Statutum, ut theologi, dicentes super unoquoque articulo quid sentirent, sententiam suam sacræ Scripturæ auctoritate, apostolica traditione, approbatorum conciliorum decisionibus, sanctorumque patrum & universæ Ecclesiæ consensu firmarent; ea locutionum ratio haberetur, adeoque accurate delecta & apta vocabula adhiberentur, ut in medio relinquerentur peculiaria scholarum placita, ne quis absque necessitate theologus impeteretur; in id potius incumberetur, ut nulla dictio, quæ utrinque stabant, sententias læderet, atque ita catholicæ vires omnes in sectarios conferrentur; itaque e patrum doctissimis electi novem qui decreta conderent.

In sequenti congregatione, exhibiti fuere canones jam omnino confecti digestique, ut expendi, ac, siquidem opus esset, reformari possent; & octo edita capita in quibus de reali præsentia, de institutione, de excellentia ac de cultu eucharistiæ, de transubstantiatione, de præparatione ad hoc sacramentum suscipiendum, de calicis, in laicorum communione, usu, de infantium communione, de unico qui legitime ordinatus sacerdos est, hujus sacramenti ministro agebatur.

CONGREGATIO *super reformationis negotio*. In hac actum de episcopali jurisdictione; edita super appellationibus constitutio; conventique, ut in criminalibus solum causis ab episcoporum & officialitatum sententiis appellaretur, quin civilia judicia attingerentur; nec, vel in criminalibus negotiis, quin definitivum judicium editum esset, ab interlocutoriis sententiis appellari liceret; at synodalia, scilicet a metropolitano ejusque comprovincialibus edita judicia restitui non libuit, quamvis episcoporum vetus hoc jus esset, quia neminem natura fert, ut in se ipsum judiciis viam sternat, ac difficilius in episcopos eduntur acta, cum Romam eundum, aut illinc accersenda commissio est, quam si suis iidem in locis accusari apud naturales judices possent. Relicta est ergo Papæ per commissarios *in partibus* delegatos judicandi potestas. Est hæc rationum una ob quos Gallia concilium recipere noluit.

XIII. SESSIO, 11. *Octobris die*. In hac edictum de doctrina ad eucharistiam spectante decretum, quod octo capitibus continetur. Profitetur synodus Dominum Nostrum Jesum Christum, verum Deum & verum hominem, post panis & vini consecrationem, sub harum sensibilium rerum specie, vere, realiter & substantialiter existere; crimen ausumque horrendum esse, non vereri ad metaphoricum sensum verba per quæ Christus Dominus hoc sacramentum instituit, detorquere; Ecclesiam semper credidisse, post consecrationem, Domini Nostri verum corpus ejusque verum sanguinem sub panis & vini speciebus esse una cum ejusdem anima ac divinitate; utramque seorsim speciem id omnino continere quod ambæ simul; Christus enim Dominus est prorsus integer totusque sub panis specia & sub hujus speciei minima parte, ut etiam sub vini specie & sub ejus omnibus partibus; itemque, per panis & vini consecrationem, totius substantiæ panis in substantiam corporis Domini Nostri, totiusque substantiæ vini in ejusdem sanguinis substantiam, conversionem & mutationem fieri, quæ mutatio admodum apposite & maxime proprie appellata fuit *transubstantiatio*; quo autem sanctius hoc sacramentum est, eo diligentius Christianum quemque cavere debe-

re, ne

re, ne nisi alta cum observantia, magnaque cum sanctitate ad illud accedat, terribilium eorum Apostoli verborum memor: „ Quicumque illud comedit illud- „ que bibit indigne, suam ipsius damnationem come- „ dit & bibit; " eum qui communicare voluerit, debere probe animo reputare preceptum hoc; „ se ipse „ homo probet; " hanc autem probationem in eo esse positam, ut homo qui lethale peccatum patravit, ad sanctam eucharistiam accedere omnino non debeat, quin sacramentalem confessionem præmiserit, &c.

Concilium decreto huic undecim cum anathemate canones addit. Eos vide in hujus Operis parte altera, verbo, *Eucharistia*.

Lectum de reformatione decretum, cujus materies fuit episcoporum jurisdictio; continet hoc capita octo.

CAPUT PRIMUM.

De Reformatione.

Sancta Tridentina synodus commendat episcopis, ut se meminerint pastores esse, nec debere quemquam percutere, sed eos potius qui eorum curæ subsunt, ita regere, ut administratio dominationem omnino non oleat; at eosdem tamquam suos ipsorum filios suosque fratres diligant, eoque sollicitudinem conferant, ut eos a crimine per cohortationes & monita abducant; ea qua par est, moderatione & charitate suam jurisdictionem exerceant, ea porro lege, ut in visitationum, correctionis, inhabilitatis, itemque in criminalibus causis, ab episcopo ejusve generali vicario, cujuscunque læsionis specie, ante definitivam sententiam appellari non possit.

CAPUT II. Cum ab episcopi ejusve quoad spiritalia magni vicarii sententia, in criminali causa, appellandi locus erit, & judicibus *in partibus*, nempe, super locis causam committi oportebit, hæc per apostolicam auctoritatem metropolitano aut ejus vicario committetur; sin hic suspectus sit, aut longius absit, aut etiam rursus ab hoc ipso appelletur, causa non ad alium judicem quam proximorum episcoporum aliquem ejusve vicarium abibit.

CAPUT III. Reus appellans ei legi suberit, ut apud judicem ad quem appellaverit, prioris instantiæ acta proferat; & hic judex ad rei absolutionem non ante procedet quam ea viderit; quæ quidem acta ei gratis, intra dies triginta, ab episcopo a quo appellabit, suppeditabuntur.

CAPUT IV. Quia nonnunquam adeo enormibus criminibus se ecclesiastici obstringunt, ut eos deponi atque adeo sæcularibus judicibus tradi necesse sit, & quia, ut ad eorum depositionem procedatur, canones certum quemdam episcoporum numerum postulant, qui, cum sæpe difficile congeri possit, judicii executionem nimis in longum protraheret; mandat proinde concilium, ut episcopus ejusve magnus vicarius ad damnationem & ad verbalem depositionem, adeoque ad solemnem degradationem, in quemcunque, procedere possit, tot mitratis & cruce insignitis abbatibus, horumve defectu, personis aliis in ecclesiastica dignitate constitutis adsistentibus, quot episcopi a canonibus requiruntur.

CAPUT V. Poterit episcopus summatim de reorum absolutione cognoscere in quos agere inceperit, quosve damnaverit, propterea quod ii sæpe suos judices per mendacia circumveniunt, nullamque reddunt absolutionem, siquidem eam per falsam facti expositionem, aut per veritatis suppressionem obtinuerunt.

CAPUT VI. Cum episcopi sæpe in se trahant eorum odium quos corrigere volunt, a quibus etiam atroces calumniæ iisdem, ut mœrorem & molestiam afferant, affinguntur; concilium non vult episcopum in jus accitum comparere debere ipsum per se, nisi ob causam in qua id agatur, ut privetur, quæcunque tandem fuerit judicii forma.

CAPUT VII. Non recipientur testes, ut contra episcopum in criminali causa deponant, nisi probos supraque omnem exprobrationem eos esse constiterit; graviterque punientur qui odio, cupiditate aut temeritate abrepti deposuerint.

CAPUT VIII. Criminales episcoporum causæ ob quas eos comparere necesse fuerit, ad summum Pontificem, ut eas dijudicet, remittentur.

CONGREGATIO. In hac sequentis sessionis negotia ad trutinam revocata. Versabantur hæc super articulis duodecim, ad pœnitentiæ & extremæ unctionis sacramenta spectantibus, qui e Lutheri ejusque discipulorum scriptis ducti erant. Contritionis in pœnitentiæ sacramento, itemque absolutionis & institutionis pœnitentiæ, denique reservatorum casuum articuli sedulo ponderati,

In alia deinde congregatione, allata sunt decreta & canones omnino digesti.

Super reformationis negotio, edita fuere decreta, ex iisque confecta capita tredecim.

XIV. SESSIO, *die* 25. *Novembris an.* 1551. Lectum super pœnitentis, extremaque unctione decretum. Enuntiatur Dominum nostrum Jesum Christum tunc potissimum pœnitentiæ sacramentum instituisse, cum discipulos suos afflavit, inquiens: „ accipite Spiritum „ Sanctum, iis peccata remittentur quibus ea remi- „ seritis. " Eos damnat concilium qui fateri nolunt, per verba hæc, Christum Dominum peccata post baptismum patrata remittendi & retinendi potestatem apostolis eorumque successoribus communicasse, quique ea ad divini verbi prædicandi, & Evangelii Christi Domini nuntiandi facultatem detorquent. Ostendit 1. in hoc sacramento, sacerdotem obire judicis munus; nec nisi per effusas lacrymas gravesque curas quas Dei justitia a nobis exigit, nos ad eam integram perfectamque renovationem pervenire posse, quæ per baptismum in nobis fit; adeoque merito laboriosum quemdam baptismum a sanctis Patribus pœnitentiam appellatam fuisse. 2. Sacramenti formam in qua posita est ejus vis & virtus, contineri absolutionis verbis quæ Sacerdos pronuntiat: *Ego te absolvo*, &c. (qua in re juvat hoc loco animadverti formam hanc, *ego te absolvo*, quæ nuncupatur indicativa, inductam fuisse in Ecclesiam post decimum secundum sæculum, deprecatoriæ formæ loco quæ prius usui erat, & adhuc penes Græcos est.) 3. Pœnitentis acta contritionem, confessionem & satisfactionem esse; & hæc quidem hujus sacramenti *quasi materiam* esse concilium ait, ut significet externa acta hæc sensibilis & permanentis materiæ locum tenere.

Contritionem definit concilium, ut sit internus dolor & detestatio peccati quod patratum est, cum proposito non amplius deinceps peccandi; docetque præteritæ quoque vitæ odium contritione contineri, & quamvis fiat, ut contritio, cum per charitatem perfecta est, hominem Deo reconciliet, antequam pœnitentiæ sacramentum reapse susceperit, reconciliationem tamen contritioni ipsi, sine suscipiendi sacramenti desiderio quod ea continet, tribuendam non esse.

Quoad imperfectam contritionem quæ appellatur *attritio*, quippe quæ solum aut ex turpitudine fœditate peccati, aut ex pœnarum metu concepta est, concilium edicit eam, si veniæ spem adjunctam habens, peccandi voluntatem excludit, Dei donum sanctique Spiritus impulsionem esse; tantumque abesse, ut ea hypocritam, majoremque peccatorem hominem reddat, ut eam potius ad Dei gratiam in pœnitentiæ sacramento obtinendam comparet. Qua in re dignum est animadversione concilium non dixisse unum & unicum sine amore timorem satis aptam dispositionem esse; id evidenter probat verbum *disponit*, suffectum alteri *sufficit*, quod adhibitum fuerat, cum primum edi decretum cœpit. Haud satis ergo est quempiam, ut justus fiat, in Deum credere & sperare; opus est etiam, ut eum diligat, ipsumque peccati ob Dei amorem pœniteat, quemadmodum generalis cœtus cleri Gallicani, an. 1700. habitus, in hæc verba definiit: „ Nemo credere debet se in tuto esse, nisi, in his „ duobus sacramentis, baptismo scilicet & pœniten- „ tia, præter fidei & spei acta, Deum, tamquam „ omnis justitiæ fontem diligere incipiat. "

Concilium deinde mortalia omnia peccata quorum se quispiam reum comperit, post maturum examen, confitendi, & circumstantias quæ peccati speciem mutant, explicandi obligationem statuit. Quoad venialia peccata, ait, tametsi bonum & utile sit, ea in confessione declarari, sine offensa tamen eadem omitti posse, aliisque remediis pluribus expiari. Super reservatis casibus concilium pronuntiat, ad rectam disciplinam, sanctos Patres semper id spectasse tamquam magni momenti rem, ut atrocia quædam & gravia crimina non a quolibet indiscriminatim sacerdote, sed ab iis tantum qui primi ordinis essent, absolverentur.

Ad satisfactionem quod attinet, concilium docet pœnas quæ satisfactionis ergo imponuntur, in peccatum remedii & antidoti, ad animi sanandos morbos, &, ob præterita peccata, pœnitentiæ loco esse debere; sacerdotes debere satisfactiones imponere quæ peccatorum qualitati respondeant, ne per leviores ob gravia crimina satisfactiones cum pœnitentibus indulgentius agentes, alienorum peccatorum reos ipsi se reddant; e Christi Domini satisfactione suum nostras meritum trahere; Deoque nos facere satis posse, non modo per pœnas quas ipsi nobis imponimus, aut per eas quas sacerdos nobis præscribit, sed per temporales etiam

etiam afflictiones quas Deus ad nos mittit, cum eas patienter, & pœnitentiæ animo toleramus.

Lectum est super extrema unctione decretum. In eo dicitur sacramentum hoc tamquam pœnitentiæ, totiusque christianæ vitæ quæ continuata pœnitentia esse debet, consummationem, a sanctis Patribus spectatum fuisse; hanc sacram unctionem, tamquam verum novi testamenti sacramentum, a Domino nostro Jesu Christo fuisse institutam; sacramentum hoc a S. Jacobo perspicue fidelibus commendari, ejusque usum a S. Marco proponi; ejusdem materiam quidem esse oleum ab episcopo benedictum, formam vero contineri verbis quæ, peragendis unctionibus, pronuntiantur; ejus effectum esse peccatorum reliquias detergere, atque adeo peccata ipsa, si qua adhuc expianda supersunt; tranquillare & solari ægrotantis animum, magna de Dei misericordia in eo excitata fidentia; denique interdum pristinam corporis valetudinem, cum ad animi salutem facit, comparare; episcopos & sacerdotes tantum ejus ministros esse. Pronuntiavit deinde concilium canones quindecim super pœnitentiæ, & quatuor super extremæ unctionis sacramentis. Eos *vide* super his duobus verbis, in hujus Operis secunda Parte.

Super reformatione decretum continet articulos seu constitutiones tredecim quæ fere omnes ad episcopalem jurisdictionem referuntur.

CAPUT PRIMUM.

De Reformatione.

Vetat caput hoc, ne, cum episcopus impedierit, ne ordines quispiam suscipiat, aut ob justas & legitimas causas sibi notas sacerdotem suspenderit, ulla dispensatio ejusdemve redintegrandi facultas, sine diœcesani episcopi venia qui eum interdixerit, tribuatur.

CAPUT II. Hoc in capite, prohibentur episcopi *in partibus infidelium*, qui, nec episcopalem sedem, nec clerum, nec diœcesin habentes, in loca se recipiebant quæ episcopum nullum agnoscunt, eosque qui tamquam inhabiles a proprio episcopo rejecti fuerant, ad sacros ordines admittebant, id perficientes privilegii vi quo gaudebant, ut ordines accedenti cuique conferre possent; prohibentur, inquam, ordinationem, sine expressa ordinarii venia, ejusve dimissoriis litteris, quavis obducta causa, cuipiam tribuere, ipsoque jure suspensi declarantur qui hoc decretum transgressi fuerint.

CAPUT III. Pronuntiat decretum hoc episcopum posse, ad quod voluerit tempus, clericos omnes suspendere, qui sine ejus examine ac sine dimissoriis ejusdem litteris ordinati fuerint, quacunque facultate polleat qui eos ordinavit.

CAPUT IV. Mandatur, hoc in capite, ut sæculares clerici quovis tempore & ob quodvis flagitiorum & criminum genus, episcoporum in diœcesibus residentium, tamquam apostolicæ sedis delegatorum correctioni subsint, omnibus exemptionibus, declarationibus huic contrariis, consuetudinibus initisque concordatis nihil obstantibus.

CAPUT V. Cum aliqui privati homines pro suo ipsorum arbitratu judices obtinerent qui *conservatorum* nomen gerebant, quia statuti erant, ut iisdem opitularentur, eosque defenderent, ac suis in juribus, in oppressionis casus servarent; compertumque esset ab ejusmodi judicibus non solum clientes in tuto poni, verum etiam operam dari, ut eosdem justis correctionibus subducerent, aliosque torqueri; &, quod pejus est, episcopos turbari ac defatigari; vetat sancta synodus in posterum neminem posse conservationis litteris uti, per quas ita sibi caveat, ut ne inquiratur, accusetur, & in jus vocetur apud ordinarium ob criminales mixtasque causas; vetatque præterea, ne, in civilibus causis, qui has litteras obtinuerit, adversarium adigere possit, ut se conservatoribus sistat; quod si, in criminalibus causis, accusatus conservatorem suspectum habuerit, aut competentiæ, quoad jurisdictionem, inter hunc judicem & ordinarium, dissidium aliquod subortum fuerit, arbitros e juris forma concilium electos vult; mandatque, ut conservationis litteræ quæ etiam domesticos complectentur, ad plures quam duos pretendi nequeant, & ea quoque lege, ut conservatus his duobus victum de suo tribuat; harumque litterarum beneficio nemo nisi ad quinquennium frui possit, nec conservatoribus liceat ullum tribunal erigere. Quoad causas quæ mercimonia aut pauperes spectant, ea est sancto concilio mens, ut huic decreto suum robur maneat; sed ita, ut ipsum eo nec universitates, nec collegia quibus doctores aut scholares insunt, nec regulares domos, nec hospitalia reapse ad hospitalitatem incumbentia complectatur.

CAPUT VI. Quamvis habitus non faciat monachum, inquit caput hoc, clerici tamen habitum suo ordini consentaneum semper deferant, necesse est, ut per decentiam quam externa specie testati fuerint, morum integritatem exhibeant; quamobrem præcipitur, ut omnes clerici sacris ordinibus insigniti, aut beneficia possidentes, quamcunque tandem exemptionem proferre possint, suo quisque ordini suæque dignitati congruum habitum gestent, prout statuerit & mandaverit eorumdem episcopus cui quidem id juris erit, & transgressores suspendat, nisi moniti pareant, atque adeo beneficiis spoliet, ex Constitutione a Clemente V. in Viennensi concilio edita quæ incipit, *Quoniam*, si post primam correctionem relapsi fuerint.

CAPUT VII. Præcipitur, hoc in capite, ut homicida voluntarius, tametsi crimen occultum sit, quoad in vivis fuerit, omnibus ordinibus, beneficiis, ecclesiasticisque, licet his nulla sit animarum cura, ministeriis privetur; at, si homicidium inconsulto, aut casu, aut propriæ defensionis ergo, perpetratum esse constiterit, ejus dispensatio committatur episcopo, tamquam in facti specie quæ exceptione digna est, ejusque defectu, metropolitano aut episcopo propiori qui accurate rem explorabit.

CAPUT VIII. Caput hoc præsules nonnullos afficit qui, ut, ubi degebant, existimationem sibi conciliarent, obtinebant a Papa veniam, ut ecclesiasticos ibidem punirent, atque adeo episcoporum nonnullos qui prætexentes pravum eorum exemplum qui in proximis diœcesibus versabantur, suis presbyteris scandalo esse, in eos animadvertendi facultatem impetrabant. Hos ergo prælatos concilium vetat agere, nisi ordinarius, aliusve in id ab eodem commissus adfuerit, ea, secus, indicta pœna, ut, quicquid in hanc rem egerint, nullum sit.

CAPUT IX. Hoc in canone, concilium, postquam ostendit diœceses admodum sapienter divisas fuisse, suæ ut oves singulis episcopis singulisque parochis tribuerentur, quarum utrique curam agerent, perpetuas omnes ecclesiarum unius diœcesis cum alterius ecclesiis, quavis obducta causa, uniones prohibet.

CAPUT X. Statuit caput hoc, ut beneficia in regulam, quæ regularibus seu monachis alicujus ordinis in titulum tribui consueverant, si forte per resignationem, per mortem, aut quavis alia ratione vacaverint, non amplius nisi ejusdem ordinis professis, aliisve habitum suscepturis & professionem edituris conferantur.

CAPUT XI. Cum regulares qui ab uno ad alium ordinem transferunt, e monasterio egrediendi facultatem a superioribus facile obtineant, quod iis vagandi atque adeo ab instituto recedendi occasionem suppeditat; mandat sancta synodus, ne quis præsul aut superior quempiam ad edendam professionem suscipiat, nisi ea conditione, ut suis in claustris, sub superioris obedientia, semper consistat, quin ullum unquam sæculare beneficium, atque adeo parœcias tenere possit, quamvis regularis canonicus esset.

CAPUT XII. Pronuntiat caput hoc, jus patronatus iis tantum concedi posse qui novam ecclesiam aut capellam fundarunt, aut qui jam fundatam dotaverint.

CAPUT XIII. Hoc in capite, vetantur patroni, quodcunque tandem privilegium prætexant, suam apud alterum quam episcopum præsentationem peragant; alioquin, nulla erit præsentatio.

XV. SESSIO, *die* 25. *Januarii an.* 1552. Lectum in hac decretum quod enuntiabat fore, ut de negotiis ad Missæ sacrificium & ad Ordinis sacramentum spectantibus de quibus agendum erat, decisio ad usque 19. Martii diem differretur, in Protestantium gratiam qui hanc prorogationem petebant. Lectus est etiam novus commeatus iisdem concessus quo tamen ipso contenti non fuere.

Disputationes quæ inter Imperatoris oratores & Papæ legatos deinde coortæ sunt, novæ in concilio cessationi causam præbuerunt. Hispani tamen & qui e Neapolis & Siciliæ regno erant, episcopi, & quicunque Imperatori suberant, concilium, ejus ministris sollicitantibus, continuatum volebant; at qui a Romanæ curiæ rationibus stabant, veriti, ne Imperiales in eo essent consilio, ut ejusdem curiæ reformationem aggrederentur, nullam non ejus impediendi occasionem quærebant haud ægre ferentes quicpiam incidere quod absolutam suspensionem induceret. Denique Imperatorem inter & Mauritium, Saxoniæ electorem belli rumor in causa fuit, ut episcoporum plerique Tridento recederent; plures enim principes & domini protestantes qui cum hoc posteriore fœdus inierant, ab hac urbe non aberant.

XVI. SESSIO, 28. *Maji an.* 1552. Majoris patrum partis recessus huic sessioni locum præbuit. Lectum in hac decretum quod concilium, quoad pax & securitas restitutæ essent, suspendebat. Jam vero illud per annos fere decem suspensum mansit, hoc est, ad annum usque 1562. quo anno rursus a Pio Papa IV. convocatum fuit, qui Julio III. an. 1555. vita functo successerat, quique Gonzagam, cardinalem Mantuanum, suum primum legatum ad concilium nominavit.

XVII. SESSIO, *die* 18. *Januarii an.* 1562. Huic prælati centum & duodecim, theologique plures interfuerunt. Lecta convocationis bulla, lectum item pro concilii continuatione decretum. Clausula, *proponentibus legatis*, quæ decreto inserta erat, pervicit, refragantibus licet Hispanis episcopis quatuor qui eam novam esse, nec admitti debere, œcumenicisque præterea conciliis injuriosam esse.

XVIII. SESSIO, 22. *Februarii die*. Lectæ plures epistolæ quibus Papa digerendi prohibitorum librorum indicis curam concilio relinquebat; lectumque breve quod episcoporum gradum, ex eorumdem ordinatione, statuebat, quin ulla privilegiorum ratio haberetur, quibus primates gaudebant.

Martii die 11., habita congregatio in qua reformationis articuli duodecim ad examen propositi. Celebris Domnus Bartholomæus de Martyribus, archiepiscopus Bracarensis, super hac re, episcopali & evangelico robore locutus est. Is in ea fuit sententia, ut reformatio a Romana curia inchoaretur; cumque episcoporum nonnulli dixissent illustrissimos cardinales reformatione non indigere, firma voce exclamavit se quidem, quod in ipso erat, contra censere *illustrissimos cardinales perillustri reformatione opus habere*.

Ponderati deinde discussique reformationis articuli duodecim. Ab eo cœptum qui residentiam spectabat; magnis hic contentionibus occasioni fuit; initio statim patres secuit definienda controversia, divini, necne, juris esset residentia; quod magnopere legatos implicuit, quia Papa nolebat ad declarationem super hoc articulo deveniri, veritus scilicet, ex ejus temporis historicis, id gravi damno suæ dignitati fore. Episcopus Granatensis vehementer opinionem fulsit perficiendi nempe, ut declararetur residentiam divino jure niti, inquiens, cum ea declarata esset ejusmodi, tum demum omnia impedimenta ipsa per se desitura; episcopos, suarum obligationum conscios, ad officium redituros, nec se amplius tamquam mercenarios, sed tamquam veros pastores qui Deo debent sibi concrediti gregis rationem reddere, spectaturos, quin dispensationibus acquiescerent quas scirent legitimæ excusationi, satisque proinde firmo ad conscientiæ tranquillitatem ac salutem præsidio sibi esse non posse; ostenditque e pluribus sacrarum Scripturarum oraculis, & e sanctorum Patrum auctoritate, hanc e catholicis veritatibus unam esse. Major prælatorum numerus ab ea stetit sententia, ut decideretur residentiam esse divini juris; legati tamen iniere consilium, ut negotium ad aliam congregationem remitteretur.

Articulus alter spectavit eorum titulos quibus ordines conferuntur; decisumque. ut nemo unus sine beneficii aut congrui patrimonii titulo ordinaretur, & hic ipse titulus alienari non posset. Tertius is erat: quicquam, necne, ob ordinum collationem solvendum esset; quod in quarta sessione tantum decisum fuit. Versabatur quintus super parœciarum in plures divisione. Sextus, super parœciarum, & capellarum unione, superque parochis ignorantibus aut scandalum afferentibus; pronuntiatumque oportere eos aliter excipi, ita videlicet, ut severe cum posterioribus ageretur; & in hos quidem concessa episcopo, tamquam sanctæ Sedis delegato procedendi facultas. Septimus, super commendis; statutum ergo, ut beneficia in ejusdem rationis commendam posita visitandi & restituendi potestas episcopis concederetur. Octavus, super quæstoribus quorum & nomen & officium abolendum censuit sancta synodus, &c.

XIX. SESSIO, *die* 14. *Maji*. Lectæ fiduciariæ litteræ quibus oratorum Galliæ facultates continebantur. (Erant hi DD. Sanctes Gelasius de Lansac, Arnoldus du Ferrier, & du Faur, Dominus de Pibrac, in Tolosano Parlamento præses, ac deinde in Parisiensi Parlamento advocatus generalis.) Documenta quæ acceperant, ad curiositatem apprime faciunt, maximeque utiles constitutiones continent quas ipsi sibi a concilio petendas sumpserant. En eorum nonnulla quæ præcipui momenti sunt.

Petunt oratores, ut ne Papæ ejusque legatorum beneplacito deliberationum quæ initæ fuerint, decisio reservetur; ut, ex veterum conciliorum, atque adeo Constantiensis & Basileensis dispositionibus, teneatur iis omnibus Papa se subdere quæ statuta & decisa fuerint; ut inciperetur a disciplinæ & morum, tam in capite quam in membris reformatione; quod magni momenti opus in Constantiensi concilio propositum promissumque, non tamen, æque atque in Basileensi, executioni mandatum fuit, in quo quidem inchoatum, at deinde intermissum; ut omnes expeditiones gratis, prout a conciliis mandatum est, concedantur; ut, hac sane ratione, annatæ & quicquid ejusmodi reliquum erat, abolerentur; ut omnes archiepiscopi & episcopi suis in diœcesibus residere jubeantur .... oportere concilium, quod dispensationes spectat, ita prospicere, ut nulla amplius causa subesset, cur Romam mitteretur .... servandum esse Chalcedonensis concilii canonem sextum qui ab episcopis, quos ordinant presbyteros, suis singulos functionibus addictos vult, ut inutilium ministrorum numerus imminuatur. Has peculiares propositiones Papa ejusque legati admodum ægre tulere.

Maji die 26., ad Galliæ oratores qui tunc advenerant, excipiendos, habita congregatio; tum quidem Dominus de Pibrac roboris & libertatis plenum, Regis nomine, sermonem habuit, patres, solidioribus & vehementioribus allatis rationum momentis, hortandi causa, ut ad magnum reformationis opus incumberent; en aliqua sermonis specimina: „ Magni a vobis ac prope divini aliquid expectat universus terrarum orbis; vos enim nemo non ut viros spectat qui possint, non suis quidem ipsorum, sed per Christum Dominum divino Numine afflati religionem nostram innumeris quæ in eam irrepserunt, opinionibus læsam sanare, suumque in statum pristinum restituere .... superest nobis hæc una spes, bonorum hæc una hominum animum erigit atque sustentat... prælia quidem vobis inferet implacabilis ille humani generis hostis, nihilque intentatum relinquet, ut vos ab opere quod incepistis, avertat; erit hic ejus ad vos sermo: quam multæ stulte frustraque susceptæ curæ! Qua tandem in re tempus teritis? Perficere nimirum vultis, ut ea vetus & ad summum jus exacta cui patrum primi institere, disciplina, jam prope sepulta, nunc demum reviviscat, eoque vos redigat, minus ut deinceps felices, minusque tranquilli, atque adeo in secessu vivatis. Futurum sedulo reputate, ut vobis non amplius liceat ad Principum aulam accedere, ad lautas mensas sedere, magnificis in ædibus degere, splendido cum apparatu incedere, easque suaves voluptates sine quibus tristis & jucunda vita est, degustare. Oportebit ergo tum demum, ut ad sobriam vitam ipsi vos redigatis, uno & unico beneficio contenti sitis, eique, veluti scopulo adhæreatis, hortemini, persuadeatis, bona vestra in pauperes distribuatis, nihilque aliud quam aliorum utilitatem quæratis. Quid vos juverit concionari? Quorsum ipsi vobis senectutem accelerabitis? Quorsum immaturam mortem, vigiliis laboribusque confecti, subibitis? &c.“

Hac exhibita sollicitationum imagine, quibus usurus dæmon, ut eos a recto veritatis tramite abduceret, Patres monuit fore, ut, si semel aures ei præbuissent, opus quod inchoaverant, quamprimum desererent, ac, præterea, conciliorum auctoritatem & dignitatem in contemptum adducerent .... Addidit iis Deum eam potestatem & libertatem tribuisse, ut, sine ulla exceptione, e Sancti Spiritus afflatu, statuerent decideruntque; Galliæ regem hanc iis potestatem libertatemque quam a Deo acceperunt, secundum veterem conciliorum disciplinam, si opus esset, etiam cum vitæ discrimine, servaturum; seque in id omnino ab eo principe Tridentum missos; atque ita prosecutus est:

„ Videt Deus, e cælorum vertice, uniuscujusque consilia, vota, cogitata; nostrorum cordium latebras penetrat, penitusque rimatur; perpendit, quo noster spectet animus, cum suffragia conferimus, quæ nos causæ moveant, occultum ne nos odium ad agendum trahat, immisceatne se nostris sermonibus assentatio, nostramne ipsorum gloriam consectemur, impediatne nos ambitio, quominus veritati testimonium exhibeamus, an denique, per turpem obsequentiam, nobis, in decisionibus, summorum Pontificum, Imperatorum, Regum favorem conciliare, iisdemque liberalibus uti studeamus. Tum Patres hortatus est, ut diurna nocturnaque collata opera, perficerent, ut constaret eos non inutiliter hoc supremum remedium ægrotanti ac propemodum desperatæ Christianæ reipublicæ conquisiisse; non aliud, in concilio, quam per examen & discussionem agendi consilium esse; liberum cuique fore, justæ disputationis ergo, in arenam descendere, & ita quidem, ut omnis a cœtu vis arceretur, nec alia quam Spiritus Sancti vox audiretur.

„ Interest,

„ Interest, inquit, plurimum nemini non innotesce„ re huc vestra omnia consilia, vestrorum omnia ani„ morum sensa referri, ut, cum rumor hic percrebue„ rit, vestrasque laudes fama longe lateque diffuderit, „ Germania, ea nobilis Europæ pars, quæ tantopere „ nos afficit, a somno in quo versatur, excitata coire „ possit, & huc oratores designare, antesignanis præ„ cipuisque harum omnium disputationum inventori„ bus, ejusque sapientioribus aptioribusque theologis „ comitantibus, qui vobis candide ingenueque suas „ super religione sententias exponant, suosque maxi„ me intimos mœrores detegant. Ita quidem universa „ Christiana respublica ex longo jam tempore secta ac „ discissa se, per Dei gratiam, in unum idemque cor„ pus redintegratam perspiciet."

XX. SESSIO, *die* 4. *Junii*. In hac lectæ regii mandati fidem facientes a Galliarum regis, Caroli IX. oratoribus allatæ litteræ; & concilii promotor ad Domini Pibracii sermonem respondit, nunquam fore inquiens, ut satanæ thecnæ tam affabre atque ingeniose in eo sermone detectæ contra sanctum concilium prævaleant; Christum enim Dominum qui eidem præest, & in quo patres suam omnem fidentiam ponebant, omnia dæmonis molimina evertere prorsusque disjicere facile posse. Lectum deinde ad sessionis prorogationem decretum.

CONGREGATIO. Propositi in hac articuli quinque, super eucharistiæ sacramento, & quoad communionem sub utraque specie, discutiendi. In medium rursus allata quæstio de residentia, ut eam divino jure niti pronuntiaretur. Cardinalis Mantuanus, ut decisionem eluderet, se quidem mirari significavit id esse consilii, ut de argumento a præsenti disputatione prorsus alieno verba fierent; cæterum, se suosque collegas futurum promittere, ut ea de re suo loco ageretur. Jussi erant a Papa legati hanc controversiam sopire. Huic mandato, quemadmodum ex Cardinalis Borromæi ad legatum Simonettam epistola compertum fit, ea causa erat, non quod sancta Sedes, siquidem residentia divini juris declararetur, ut nonnulli afferebant, aliquod inde damnum subire posset, sed quia, cum acriores super hac re in concilio subortæ disputationes occasionem præbuissent, ut disseminaretur, in omnibus aulis, rumor ad apostolicæ sedis & pontificiæ dignitatis excidium ejusmodi decisionem vergere, super eadem re decretum confici nec honestati nec rationi consonum erat. Et sane, ante aliquod tempus, Papa, in consistorio quod Romæ habuit, episcopos dixit sibi videri satis gravibus rationum momentis nixos propugnare divini juris residentiam esse, eamque, utcunque tandem se res haberet, inviolate servandam esse.

Postquam theologi suam super articulis quinque sententiam dixere, editi sunt, quoad communionem sub utraque specie, canones quatuor. In hac nimirum congregatione ipsa oratores Galli scriptum obtulere in quo patres ad concessionem calicis hortabantur. Ajebant, in rebus quæ positivi, ut hæc, juris sunt, sapientiæ esse tempori opportune cedere, ne scandalo essent qui se tam firmos ad hominum jussa custodienda, tamque negligentes ad Dei præcepta servanda exhiberent; concludebantque, obtestati patres, ut ea ratione decretum ederent, quæ juri quo gaudebant Galliarum reges, ut, suæ consecrationis die, sub utraque specie communicarent, aut consuetudini quæ penes nonnulla, in eodem regno, Cisterciensis ordinis monasteria vigebat, ut in eumdem modum communio perciperetur, officere omnino non posset.

Habitæ congregationes plures in quibus in examine positi fuere reformationis articuli. Primus super nimio presbyterorum numero versatus est; edixeruntque patrum nonnulli oportere eum numerum ad eos tantum redigi quibus ecclesiastici reditus suppetunt, quique alicujus ecclesiæ servitio addicti sunt; at decisum fuit, ut episcoporum judicio qui sacros ordines conferrent, hoc negotium relinqueretur; 1. super patrimoniali titulo; 2. super gratuitis ordinationibus; 3. super designanda ex cathedralium aut collegialium ecclesiarum fundis parte quæ in quotidianas distributiones impenderetur; episcopos ecclesiarum quinque e re esse consuli, ut ampliores episcopatus in plures dividerentur; 4. super novarum parœciarum iis in locis institutione in quibus magna erat populi multitudo, quæve latius patebant, quam ut earum servitio unus tantum parochus obeundo esset; dictumque fore, ut novæ parœciæ, vel invitis veterum parochis, instituerentur; 5. super collapsis capellis; ut in præcipuas ecclesias transferrentur, ibi, ubi ædificatæ fuerant, erecta cruce; 6. super Commendis; editum fuit decretum enuntians, ut ejusmodi beneficia, in quibus potissimum disciplina deferbuerat, quotannis ab episcopis visitarentur.

Die 14. Julii, alia est habita congregatio in qua doctrinæ discussa capita quatuor. Demonstratum, in primo, loca quæ in gratiam communionis sub utraque specie e sacris Litteris afferebantur, ejusdem necessitatem nequaquam probare; quam in rem prolata sunt testimonia plura e Christi Domini verbis ducta, in S. Joannis capite sexto, ubi Salvator promiscue, modo de comedendæ Carnis, bibendique Sanguinis, modo de Corporis tantum comedendi obligatione loquitur; quod evincit hoc posterius sufficere.

XXI. SESSIO, *die* 16. *Julii an.* 1562. Declaravit in ea concilium laicos, ipsosque, dum non consecrant, ecclesiasticos nullo divino præcepto obstringi, ut eucharistiæ sacramentum sub utraque specie suscipiant; nec, salva catholica fide, dubitari posse; 1. quin communio, sub specierum una, satis ad salutem sit; 2. quin semper ea penes Ecclesiam potestas fuerit, ut in sacramentorum dispensatione statueret atque adeo mutaret quod ad reverentiam sacramentis ipsis debitam, aut ad eorum qui ea suscipiunt, utilitatem expedire judicavit, pro temporum, locorum & occasionum varietate, ita tamen, ut ne ipsam eorumdem essentiam attingeret; 3. quin, etsi Christus Dominus sub ambabus speciebus sacramentum hoc instituerit & Apostolis dederit, fateri tamen nemo non debeat Christum Dominum omnino totum, verumque sacramentum, sub una tantum specie, suscipi, nec, sub una, quempiam, quoad effectum, privari gratiarum ulla quæ eidem addictæ sunt; 4. quin pueri qui nondum pollent rationis usu, nulla necessitate ad eucharistiæ sacramentalem communionem adigantur, quippe qui per baptismatis aquam quæ eos lavit, regenerati, Christique Domini corpori additi, quam acquisiere gratiam, ut Dei filii essent, ea sane ætate amittere nequeunt.

Lectum deinde reformationis decretum continens capita novem.

CAPUT PRIMUM.

De Reformatione.

Statuit caput hoc, cum ecclesiasticus ordo ab omni prorsus avaritiæ suspicione immunis esse debeat, oportere proinde episcopum ejusque ministros nihil sumere seu ob ordinum collationem, seu ob dimissorias & fidem facientes litteras, seu ob sigillum, seu ob aliam quamlibet causam, quacunque tandem obducta specie, quamvis iis ultro daretur; cancellarios in iis solum locis in quibus nihil sumendi laudabilis consuetudo non viget, scuti aurei decimam partem accipere posse, dummodo nulla omnino stipendia muneri quod iidem obeunt, addicta sint, episcopusque ex eo quod notario datum est, nullum emolumentum, directe vel indirecte, percipiat, abrogetque omnes taxas huic constitutioni contrarias, omnesque ante quamvis memoriam institutas consuetudines quæ potius *abusus qui simoniæ favent*, appellari debent.

Caput secundum, quia dedecet eos qui ad altarium ministerium evecti sunt, mendicare, vel turpem artem aliquam profiteri, vel sordidum lucrum facere, ut his incommodis occurratur, vetat, ne quis sæcularis clericus, quamvis alioqui dignus sit, ad sacros ordines promoveatur, quin ecclesiasticum beneficium, patrimoniale bonum, aut aliqua ad victum sufficiens pensio eidem suppetat; ac ne beneficium hoc resignari, pensio hæc extingui, patrimonium hoc alienari possint, sine episcopi venia, nisi habeat aliunde clericus ad victum satis.

Caput tertium, cum beneficia instituta sint, ut cultus Deo debitus exhibeatur, & ecclesiastica officia cætera peragantur, ne quam divinum officium diminutionem patiatur, declarat episcopum in cathedralibus, & collegiatis ecclesiis in quibus nullæ quotidianæ distributiones existunt, nimiumve modicæ sunt, tertiam e præbendarum reditibus partem convertere posse; atque non eam synodo mentem esse, ut quicquam immutet in ecclesiarum consuetudinibus, ubi canonici qui non resident, aut qui nullum ibidem servitium præstant, nullam distributionem, aut tertia parte minus percipiunt, non obstantibus omnibus consuetudinibus aut exemptionibus huic decreto contrariis.

Caput quartum episcopis, tamquam sanctæ Sedis delegatis eam facultatem tribuit, ut parochos quorum ampliores parœciæ sunt, populusque frequentior, quam ut ipsi soli sacramentorum administrationi pares sint, ad congruum presbyterorum numerum sumendum adigant, qui iis ad munia subsidio sint; atque adeo parœcias quæ latius patent, vel invitis parochis dividant; ac si minus reditus sufficit, populum cogant id quod ad novos parochos sustentandos necessarium fue-

rit, suppeditare, ex Alexandri III. Constitutione quæ incipit, *ad audientiam*.

Caput quintum concedit episcopis, ut parochiales ecclesias aliasve cum aliis beneficiis animarum curam habentibus aut non habentibus ad perpetuitatem uniant, ob earumdem paupertatem, & in quibus aliis casibus per jus licet, quin uniones hæ, quavis obducta causa, revocari possint.

Caput sextum mandat episcopis, ut ignorantibus parochis vicarios dent, parte e beneficii proventu iisdem addicta; eos puniant qui in scandalo vivunt, ac, nisi se corrigant, beneficiis privent, e canonicis constitutionibus.

Caput septimum episcopos vult ecclesiarum quæ corruunt, aut præ paupertate restitui nequeunt, simplicia beneficia in matrices aliasve eorumdem aut proximorum locorum ecclesias, cum omnibus earumdem juribus & proventibus, transferre posse; præterea perficere, ut parochiales ecclesiæ e reditibus qui ad eas pertinent, restituantur; iisque non sufficientibus, dominos & parochianos adigere, ut ad earum ecclesiarum reparationem contribuant, contrariis omnibus, appellatione, exemptione aut oppositione nihil obstantibus.

Caput octavum enuntiat, quia par est, ut ordinarii, in sua quisque diœcesi, sedulo rebus invigilent quæ Dei cultum spectant, iis proinde facultatem concedi, ut beneficia quæ sunt in commendam, cujuscunque tandem naturæ sint, quotannis, visitent, afferantque omnia ad regularitatem ibidem restituendam congrua remedia.

Caput nonum ait, de quæstoribus loquens, plura quidem generalia concilia dedisse operam, ut contra quæstores afferrent remedia bene multa quæ tamen inutilia evaserunt eorumdem quæstorum malitia, qui videntur in dies succrescere, ad fidelium scandalum, qui hac de re conqueri non desistunt, nulla jam eos corrigendi affulgente spe; ac proinde sanctum concilium mandare, ut quæstuorum nomen & usus ubique per Christianam rempublicam aboleantur.

Aliquot post hanc sessionem diebus, allatum est Italis episcopis Papæ responsum, in quo, de residentia verba faciens, ajebat, quod ad definitionem spectabat quam nonnulli petierunt, ut, cujus tandem juris esset residentia, decideretur, e sua quemque scientia super hac re loqui posse; se quidem non id improbare, ac velle integra libertate concilium frui, sed ita tamen, ut pax in disputationibus servaretur. Suum nihilominus nuntium per litteras jussit tutas rationes inire quibus ea quæstio sopiretur, quibusque ipse perficeret, ut eadem ad Sanctam Sedem remitteretur.

CONGREGATIONES *super Missæ Sacrificio*. Harum primæ adfuere legati omnes, Imperatoris, Regis Galliæ & Venetæ Reipublicæ oratores, prælati centum quinquaginta septem, theologi circiter centum, aliarumque personarum fere duo millia.

Consensere theologi omnes Missam tamquam verum novi fœderis sacrificium in quo Christus Dominus sub sacramentalibus speciebus duabus offertur, spectandam esse. Eorum præcipua rationum momenta erant Christum sacerdotem esse secundum ordinem Melchisedech; hunc obtulisse panem & vinum; &, quod inde consequitur, panis & vini sacrificium in Hominis-Dei sacrificio contineri. In secunda, quæsitum est, in cœna ne, an super cruce tantum se Patri Christus in sacrificium obtulerit, & an propitiatorium esset Missæ sacrificium.

In hac ipsa congregatione, rursus Imperatoris oratores institerunt, ut calicis usus concederetur. Quia postulatum hoc præcipui cujusdam momenti erat, & graves utrinque rationes stabant, super hoc proinde negotio habita congregatio, ut innotesceret, quid unusquisque quoad hanc calicis concessionem sentiret. Cardinalis Madrutius ostendere conatus est concilium posse, atque adeo debere id concedere quod ab eo petebatur; cum Basileense concilium Boemis id olim concessisset, eos adigendi causa, ut in Ecclesiam regrederentur, Tridentinum potiore id ipsum jure debere concedere, quandoquidem ea demum ratio erat, qua non solum suis ab erroribus hæretici revocarentur, verum etiam catholici, ne se ipsi sejungerent, impedirentur. Episcopus Ecclesiarum quinque jam exposuerat, inter alia rationum momenta quibus concessionem suadebat, christianam charitatem non pati, ut patres, dum consuetudinem durius servatam volebant, magnam animarum multitudinem ad catholicæ Ecclesiæ sinum pertrahere negligerent.

Ælius. Hierosolymitanus patriarcha, calicem recusandum opinans, cum alia, tum illud edixit, si Boemis, quod petebant, concederetur, timendum fore, ne, hinc arrepta occasione, in sua ipsi perniciosa sententia animum obfirmarent, crederentque Christi Domini solum corpus sub panis, & solum sanguinem sub vini specie contineri; aliqua indulgentia quoad eos adhibita, fore dubio procul, ut idem cæteræ nationes peterent, atque adeo longius abirent, imagines scilicet, veluti idololatriæ quoad populos occasionem, abrogatas vellent. Episcoporum alii, ab hac ipsa sententia stantes, Ecclesiam dixere timore permotam, ne consecratum vinum dispergeretur, aut acesceret, calicem sustulisse. Qua porro ratione id in frequentissimis parœciis, præsertim cum illud longius & per pravas vias deferretur, evitari posset?

Osius, Reatinus episcopus, contra calicis concessionem, omnium gravissime locutus est; animadverti nimirum voluit concilia semper id decrevisse quod ex diametro cum hæreticorum doctrina pugnabat; Judæorum nonnullis fidem amplexis veteris legis cœremonias servari volentibus, Apostolos earum usum interdixisse & abolevisse; Mariam Christi, non Dei matrem esse contendente Nestorio, Concilium pronuntiasse Mariam deinceps Dei matrem appellandam esse; cum Boemi calicis usum divini juris esse contenderent, Constantiense concilium ejus usum vetuisse; nec vero esse, quod Basileensis concilii auctoritas afferretur, quoniam experientia compertum erat Ecclesiam ex calicis concessione nihil emolumenti traxisse; & hanc ipsam ad augendam hæreticorum arrogantiam solummodo contulisse; Tridentinum concilium eidem errori obluctari debere, videlicet Germanis calicem non concedere, & superiorum conciliorum vestigiis insistere.

Alii vero qui concessioni favebant, calicis usum dicebant a Constantiensi concilio prohibitum, ex parte a Basileensi concilio restitutum fuisse; plures religioni addictos Principes eumdem, tamquam unum & unicum ad reducendos populos remedium proponere; neminem non sequi oportere S. Pauli monitum, qui eum qui infirmus in fide est, recipi vult.

Itaque controversia hæc adeo sententias secuit, ut una plures congregationes ab Augusti 25. ad usque 6. Septembris diem occuparet. Ea summa fuit, ut, e septuaginta prælatis, triginta octo a calicis negatione, viginti novem ab ejusdem concessione starent; viginti quatuor negotium ad Papam remittendum censerent; triginta & unus opinarentur eum quidem concedi oportere, sed ita, ut rei executionem ad Papam remissam vellent; decem dicerent rogandum Papam, ut delegatos in Germaniam mitteret; novemdecim denique concessionem ad Germaniam tantum & Pannoniam redigerent.

XXII. SESSIO, *die 17. Septembris an.* 1562. Editum hac est, super Missæ sacrificio, doctrinæ decretum. Dicitur in eo 1. Christum Dominum, etsi Deo Patri se ipse semel oblaturus esset, super crucis altari moriens, ut ibi æternam redemptionem operaretur, tamen, quia ejus sacerdotium non debebat per ipsius mortem extingui, ut visibile sacrificium, quod nempe hominum natura requirebat, & per quod cruentum crucis sacrificium repræsentaretur, Ecclesiæ relinqueret, in ultima cœna, qua ipsa nocte traditus fuit, se sacerdotem in omnem æternitatem institutum, secundum ordinem Melchisedech, declarantem, suum corpus suumque sanguinem, sub panis & vini speciebus, Deo patri obtulisse, &, sub earumdem rerum symbolis, utrumque apostolis sumendum dedisse, quos tunc novi testamenti Sacerdotes instituebat; iisque per ea verba: *Hoc facite in mei memoriam*, mandasse, iis, inquam, & eorum successoribus, ut idem corpus eumdemque sanguinem offerrent, prout catholica Ecclesia semper intellexit & docuit.

2. Quoniam Christus ipse Dominus qui se super cruce cum sui sanguinis effusione semel obtulit, continetur immolaturque sine sanguinis effusione in divino eo sacrificio quod in Missa perficitur; declarat sancta synodus hoc sacrificium vere propitiatorium esse; nosque, prout opus habemus, per illud misericordiam obtinere, gratiamque & subsidium invenire, siquidem contriti & pœnitentes, sincero corde, recta fide, animoque ad timorem & reverentiam composito ad Deum accedimus; quandoquidem is ipse Christus Dominus qui super cruce se olim obtulit, se quoque etiamnum per sacerdotum ministerium offert, cum hoc tantum discrimine, quod alia sit ejus offerendi ratio.

3. Quamvis in Sanctorum honorem missas Ecclesia nonnunquam celebret, non minus tamen uni Deo qui eos coronavit, sacrificium offerri; tunc scilicet ea solummodo eorum patrocinium implorat.

4. Ecclesiam, jam inde a sæculis pluribus, sanctum Missæ canonem instituisse, qui ita depuratus itaque exemptus ab omni prorsus errore est, ut nihil contineat

peat quod non sanctitatem & pietatem oleat, utpote qui non nisi Domini Nostri verbis ipsis, apostolorum traditionibus, piisque Sanctorum summorum Pontificum institutionibus constat. 5. Ecclesiam, ut tanti sacrificii majestatem magis commendabilem redderet, certos quosdam usus instituisse, causa exempli, ut in Missa res quædam submissa voce, aliæ altiore vocis sono pronuntiarentur, & cæremonias, ut mysticas benedictiones, luminaria, thurificationes, ornamenta, ex apostolorum traditione, induxisse. 6. Quamvis optandum esset, ut, in quaque Missa, omnes fideles non modo spiritaliter, sed etiam sacramentaliter communicarent, non proinde tamen concilium damnare privatas missas in quibus sacerdos solus communicat, sed eas approbare suaque auctoritate firmare, quia eædem a publico ministro, & pro se ipso & pro omnibus fidelibus celebrantur. 7. Ecclesiam sacerdotibus mandasse, ut aquam cum vino miscerent, quia nimirum est quod Christus Dominus ita fecisse credatur; quia aqua cum sanguine ex ejus latere effluxit; & quia, per hanc mixtionem, ejus mysterii memoria renovatur. 8. Missam non ubique vulgari lingua celebrandam esse, & unamquamque ecclesiam retinere debere veterem usum quem hactenus servavit, quique a sancta Romana Ecclesia approbatus fuit.

Lecti deinde, 1. canones novem qui pronuntiant in eos anathema, qui hanc doctrinam impugnant. Eos *vide*, verbo *Missa*.

2. Lectum de rebus decretum, quæ in Missæ celebratione servandæ vel evitandæ sunt; in eo mandatur episcopis, ut, quicquid aut per avaritiam quæ idololatria quædam est, aut per irreverentiam quæ ab impietate propemodum sejungi nequit, aut per superstitionem quæ falso pietatem imitatur, inductum est, prohibeant aboleantque. Quamobrem iidem vetabunt omne pacti seu conditionis genus, ob mercedes aut stipendia quæcunque fuerint, & quicquid ob missas datur quæ primæ dicuntur; vetabunt præterea, ne quis errabundus ignotusve sacerdos, aut qui notorie de crimine præventus sit, missam celebrare sinantur; neve hoc sanctum sacrificium in privatis domibus offeratur; musicos etiam modos omnes proscribent, quibus impuri aut effeminati aliquid admixtum sit.

3. Lectum de reformatione decretum quod undecim capita continet.

Decretum de Reformatione.

Primum caput mandat, ut quæcunque a summis Pontificibus & conciliis, super moribus, vitæ honestate, in vestibus decentia, & scientia in ecclesiasticis necessaria, epularum fuga, choreis & ludo vitandis, salubriter instituta sunt, deinceps serventur, sub iisdem, atque adeo majoribus pœnis, prout ordinariis statuere placuerit; ac, si quod ex ejusmodi statutis neglectum fuit, illud episcopi in usum revocare studeant.

Secundum caput mandat, ut episcopatus iis tantum conferantur qui omnibus qualitatibus quas sancti canones requirunt, insigniti, sacrosque in ordines, saltem sex ante annis, ingressi sint. Quod si viri Romanæ curiæ noti non sint, ibive solum paulo ante innotuerint, eorum verbalis processus a Legatis seu Nuntiis apostolicis, aut a loci ordinario, ejusque defectu, a propioribus episcopis fiet. Electi, præterea, scientia referti sint, oportet, suo ut munere digne fungantur, ideoque debent esse doctores aut licentiati in theologia vel in jure canonico, aut saltem muniti publico alicujus universitatis testimonio e quo constet eos aliis docendis idoneos esse. Quod si regulares sint, ostendent suorum superiorum eamdem fidem facientes litteras; & quicunque, ut dicant quod sciunt, rogandi erunt, gratis attestari debebunt; aliter, se noverint magnopere onerare conscientiam suam, certoque fore, ut a Deo suisque superioribus de peccato puniantur.

Tertium caput permittit episcopis, ut e cathedralium aut collegialium ecclesiarum reditibus tertiam partem in distributiones convertant; quique ibi dignitatem aliquam possidebunt, cui nulla jurisdictio nulliusque servitii onus inerit, & in aliqua ejusdem diœcesis parœcia extra urbem residebunt, eos in dictis ecclesiis præsentes haberi vult.

Quartum caput statuit, ut, qui in cathedrali aut collegiata ecclesia fuerint, quique saltem subdiaconatus ordinem non susceperint, nulla in capitulo voce gaudeant; qui vero aliquam dignitatem, personatum, aliudve beneficium obtinent aut in posterum obtinebunt, cui certæ quædam, ut evangelium vel epistolam in missa canendi obligationes addictæ sunt, ordines ad has functiones requisitos intra annum sumant; aliter, subituri pœnas inflictas per Viennensis concilii Constitutionem quæ incipit: *Ut ii qui*.

Quintum caput vult dispensationum, *extra curiam*, mandata ad ordinarios mitti; dispensationes vero quæ ex gratia erunt, omni prorsus effectu carere, nisi ordinarii, tamquam apostolici delegati summatim perspexerint eas sine subreptione aut obreptione impetratas fuisse.

Sextum caput declarat, in mutationibus dispositionum ultimæ voluntatis, episcopos, tamquam sedis apostolicæ delegatos, summatim, antequam hæ mutationes executioni mandentur, an impetrantes veritatem exposuerint, exploraturos.

Septimum caput legatos, nuntios, patriarchas aliosque judices superiores ei legi subesse vult, ut Innocentii IV. Constitutionem quæ incipit, *Romana*, seu recipiendis appellationibus, seu concedendis defensionibus, servent.

Octavum caput jubet episcopos, tamquam sanctæ sedis delegatos, piarum omnium, tum ultimæ voluntatis, tum inter vivos, dispositionum executores esse; eo jure gaudere, ut visitent omnia hospitalia, collegia & communitates laicas, easque ipsas quæ *Scholæ*, aut quavis alia ratione nominantur, exceptis locis quæ proximo regum patrocinio subsunt; itemque eleemosynas dictas *Montis Pietatis*, & cætera omnia loca pia, etiamsi penes laicos esset eorumdem administratio; denique ad rerum omnium executionem incumbere, quæ ad Dei servitium, vel ad animarum salutem, vel ad pauperum solatium institutæ fuerint, e sanctorum canonum constitutionibus.

Nonum caput oportere ait, ut qui, tam ecclesiastici quam laici, ecclesiarum, aliorumque omnium, quæcunque fuerint, religionis locorum fabricam administrant, ordinario, quotannis, suæ administrationis rationem reddant, omnibus consuetudinibus aut privilegiis huic decreto contrariis nihil obstantibus. Si tamen, ob aliquam loci consuetudinem, designatis aliis personis ratio reddenda sit, non id oberit, quin ordinarius appelletur; secus, administratores rite liberati exonoratique non erunt.

Decimum caput injungit episcopis, tamquam apostolicis delegatis, ut omnes notarios causis negotiisque ecclesiasticis addictos examini subdant, seu iis auctoritas a Romana curia, seu a regibus vel imperatoribus sit; eosque officio, si forte ignorantes compererint, interdicant.

Undecimum idemque postremum caput statuit, ut, si quis, cujuscunque gradus extiterit, atque adeo imperator licet aut rex fuerit, alicujus ecclesiæ aut beneficii jurisdictiones, bona, census, jura & proventus, quavis obducta causa, usurpare audet, excommunicatus sit, quoad in integrum restitutionem ediderit, & absolutionem a Papa obtinuerit; quod si ecclesiæ patronus ipse est, suo patronatus jure privetur; & quicunque clericus hujusmodi usurpationibus adhæserit, in easque consenserit, iisdem pœnis subdatur, beneficiis privetur quæ possidet, aliisque reddatur inhabilis.

Habita congregatio in qua propositi articuli qui morum reformationem spectabant; ea theologis demandata provincia, ut, quæ ad Ordinis sacramentum pertinebant, argumenta discuterent; quæ res sibi vindicavit congregationes plures.

In harum congregationum una, petiere prælati plures, ut septimo canoni qui episcoporum institutionem spectat, clausula quæ eam divini juris esse exprimeret, adderetur; probatum fuit, quemadmodum Papa S. Petri successor est, ita cæterorum apostolorum successores episcopos esse; episcopatum primas tenere inter hierarchicos ordines tres; Christum Dominum, cum auctor hierarchiæ sit, jurisdictionis etiam quæ ab ea sejungi non potest, auctorem esse; episcopos, & quoad ordinis & quoad jurisdictionis potestatem, apostolis successisse; & hanc veritatem tamquam fidei dogma spectandam esse.

In congregationum earumdem alia, cardinalis Lotharinginus cujus recens erat ad concilium adventus, exposuit regem poscere, ut serio concilium ad morum ecclesiasticæque disciplinæ reformationem incumberet, & quidem initio ab ea ducto quæ Dei domum spectabat.

Du Ferrier, Parisiensis senatus præses, regis orator, roboris plenum, super hujus reformationis necessitate, sermonem habuit. Dixit in eo, re quidem ipsa, propositionibus quas concilii patribus exhibendas habebat Galliarum Ecclesia, non alia quam totius ad eos Christiani orbis postulata contineri, ea scilicet ipsa quæ in sacris Litteris, in veteribus conciliis, atque in summorum pontificum & patrum constitutionibus occurrebant.

Per hoc, a vicesima secunda ad vicesimam tertiam sessiones, temporis intervallum, oratores Galli reformatio-

mationis articulos quos digesserant, legatis exhibuerunt; erant hi numero triginta duo, in iis potissimum petebatur, ut ne quis crearetur episcopus, quin virtute præditus & docendo par esset; ut beneficiorum pluralitas aboleretur, quin ullus amplius compatibilium & incompatibilium distinctioni locus esset; ut res eo demum redigeretur, ut cuique parocho redituum satis ad clericos duos sustentandos, exercendamque hospitalitatem suppeteret; ut evangelium in missa, & sacramentorum, antequam administrarentur, vis populo explicaretur; ut beneficia nec alienigenis nec indignis conferrentur; ut expectativæ, regressus, resignationes, commendæ, tamquam canonibus repugnantes abrogarentur; ut simplices prioratus beneficiis animarum curam conjunctam habentibus a quibus abscissi fuerant, redderentur; ut episcopi grave nihil, inconsulto capitulo, agerent; ut canonici suis in ecclesiis perpetuo residerent; ut excommunicatio non nisi post monitiones tres, & ob magni solum momenti peccata pronuntiaretur; ut juberentur episcopi beneficia in eos conferre qui ea fugiebant, non in eos qui eadem petebant, quique, per hanc petitionem, iis indignos se declarabant; ut synodi, diœcesanæ quidem semel saltem quotannis, provinciales vero, triennio quoque, generales denique, decimo quoque anno, congregarentur.

XXIII. SESSIO, *die* 15. *Julii an.* 1563. Constabat cœtus e legatis tribus, Lotharingiæ & Tridenti cardinalibus, Imperatoris, regum Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Poloniæ, Venetæ reipublicæ & Sabaudiæ ducis oratoribus, episcopis octodecim supra ducentos, Ordinis generalibus, abbatibus & theologiæ doctoribus.

Lectum in ea, 1., decretum super Ordinis sacramento; enuntiat hoc reapse, agnoscendum esse in Ecclesia visibile externumque sacerdotium quod veteri successit; sacram Scripturam & traditionem docere illud a Christo Domino institutum fuisse, qui consecrandi, offerendi & administrandi ipsius corporis & sanguinis, itemque peccata remittendi & retinendi potestatem Apostolis eorumque successoribus tribuit; necesse fuisse, ad Ecclesiæ rectum ordinem, in ea ministrorum qui altarium servitio consecrati essent, ordines plures existere; sacras Litteras non de presbyteris tantum, sed etiam de diaconis loqui, &, ab Ecclesiæ exordio, reliquorum ordinum nomina & munia in usu fuisse; ordinem e septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis unum esse, quia in eo per ordinationem quæ per verba externaque signa fit, gratia confertur; per hoc sacramentum imprimi characterem qui deleri non potest; episcopos qui apostolis successerunt, primo loco ad hierarchicum ordinem pertinere; a Spiritu Sancto, ut Dei Ecclesiam regerent, statutos fuisse; esse presbyteris superiores, & functiones peragere quas hi obire non possunt; eos vero qui solum a populo, vel ab aliqua sæculari potestate electi instituuntque id sibi sumunt, ut hoc ministerium exerceant, quin ad id ordinati fuerint, tamquam fures, non tamquam veros Ecclesiæ ministros spectandos esse.

2. Editi canones octo super Ordinis sacramento; at in his haud definitum episcopos divino jure institutos, aut divino quoque jure presbyteris superiores esse, quamvis omnes episcopi, bene animati, horum capitum duorum definitionem vehementissime postularent. *Vide* canones hoc verb. *Ordo*.

3. Lectum est reformationis decretum quod octodecim capita continet.

De Reformatione.

Caput primum quod super residentia versatur, fusiusque est, enuntiat, cum eos quibus tamquam pastoribus demandata est animarum cura, divinum præceptum adigat, ut suas oves agnoscant, pro iis sacrificium offerant, eas prædicatione, sacramentorum administratione, bonoque exemplo pascant, pauperum rationibus consulant, ac sine intermissione cæteris omnibus pastoralibus functionibus vacent; cumque fieri non possit, ut qui non semper adsunt suo gregi invigilaturi, faciant his omnibus obligationibus satis; omnes proinde & singulos sanctum concilium hortari, ut eum ex conscientia & veritate nutriant & manu ducant; ac, ne quis, sub Paulo III. latas super residentia sanctiones pro suo ipsius arbitratu, contraque concilii mentem, interpretetur, sibive licere putet per quinque continuos menses abscedere; declarare concilium ipsum eos omnes qui ecclesiarum regimini præpositi sunt, seu patriarchæ, primates, metropolitani, episcopi, seu quocunque nomine aut titulo insigniti fuerint, etiamsi cardinales essent, ipsos per se residere debere, quin unquam recedere possint, nisi cum id Christiana charitas, aliqua urgens necessitas, obedientia superioribus debita, vel evidens Ecclesiæ reive publicæ utilitas postulaverint; concilium ipsum legitimæ absentiæ causas a Papa vel a metropolitano approbatas velle, præter quam cum eædem notoriæ fuerint, vel occasiones inopinato contigerint; atque a provinciali concilio facultates quæ in id concessæ fuerint, expendi, ne quis hac libertate abutatur; prælatos qui recedere opus habebunt, tam bene suo gregi prospicere, ut nullum is damnum ex eorum absentia patiatur; &, quatenus qui non absunt nisi ad breve tempus, absentes, secundum veteres canones, censendi non sunt, eam sancto concilio mentem esse, ut hæc absentia non sit nisi ad duos, vel, ut summum, tres per annum menses, seu deinceps, seu per intervalla numerandos; & ita quidem, ut huic ipsi absentiæ legitima causa subsit, eademque nullum gregi damnum afferat; quod episcoporum conscientiæ concilium relinquit, eos monens, ne unquam abeant Adventus aut Quadragesimæ tempore, vel Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes & Corporis Christi diebus, quibus nempe potissimum diebus suum ipsi gregem spiritualiter alere, eique lætitiam per suam ipsorum præsentiam inspirare debent.

Si quis hoc decretum violaverit, præter pœnas institutas renovatasque sub Paulo III., & præter lethalis peccati culpam in quam incidet, declarat sancta synodus eum non posse, tuta conscientia, sui proventus fructus, absentiæ ipsius tempore, elapsos retinere, sed debere eos ecclesiæ fabricæ aut pauperum rationibus applicare.

Sanctum præterea concilium vult hæc eadem omnia quoad pastores inferiores locum habere; atque oportere, ut, cum eos abesse contigerit, sui loco, idoneum vicarium, tamquam talem ab episcopo approbatum ponant, eique sufficientem portionem statuant. Denique concilium mandat, ut præsens decretum, illudque quod sub Paulo III. editum fuit, in provincialibus & diœcesanis conciliis enuntientur.

Caput secundum præcipit, ut qui cathedralibus aut superioribus ecclesiis præpositi fuerint, quocunque tandem nomine id fieri possit, etiamsi cardinales essent, si, intra tres menses, haud se consecrandos curaverint, fructus restituant quos perceperint, ac, si per tres alios præterea menses distulerint, suis ecclesiis, ipso jure, priventur; quod si eorum consecratio extra Romam fiat, peragatur hæc in eorum cathedrali ecclesia ipsa, vel saltem in aliquo provinciæ loco, siquidem commode fieri possit.

Caput tertium vult jubetque, ut episcopi ordines conferant ipsi per se; &, cum ægrotabunt, suos diœcesanos ad episcopos alios non mittant, quin iidem prius examen subierint & idonei comperti fuerint.

Caput quartum vetat, ne ad primam tonsuram admittantur qui confirmati aut primis fidei rudimentis imbuti non fuerint, aut qui legere aut scribere nescierint, aut qui visi fuerint hoc vitæ genus eligere, non ut Deo serviant, sed ut sæculari jurisdictioni se subtrahant.

Caput quintum mandat, ut, qui ad minores suscipiendos ordines se præsentabunt, parochi studiique magistri testimonium afferant. Qui vero ad majores ordines adspirabunt, mense ante ordinationem, adibunt episcopum qui eorum nomina, in ecclesia, frequenti adstante populo, edici jubebit, eorumque natalia, mores & vitam exquiret.

Caput sextum declarat nullum clericum, minoribus licet ordinibus insignitus sit, posse, ante decimum quartum ætatis annum, ullum beneficium tenere; aut, nisi aliquod beneficium possideat, vel in aliquo seminario aut in aliqua universitate versetur, ut ad majores ordines suscipiendos se comparet, ecclesiasticæ jurisdictionis privilegio gaudere. Quoad clericos conjugatos, servabitur Bonifacii VIII. Constitutio quæ incipit, *Clerici qui cum unicis*, ea conditione, ut hi clerici in aliqua ecclesia servitium reapse obeant, habitumque clericalem & tonsuram deferant.

Caput septimum mandat, veterum canonum vestigia premens, ut episcopus, cum ordines conferre volet, eos omnes qui eosdem suscipere cupient, superiore quarta, aliave, prout ei libuerit, feria, ad urbem acciri jubeat, & adsistentibus viris qui in sacris litteris versati sint, & ecclesiastica statuta probe calleant, singulos diligenter examinet.

Caput octavum injungit episcopis, ut eo tempore quod a jure præscriptum est, & in cathedrali ecclesia, præsentibus canonicis, ordinationes peragant. Quod si hæ fiant in aliquo alio diœcesis loco, præcipua semper ecclesia sumetur, ad quam loci quoque clerus vocabitur. Unusquisque a suo proprio episcopo ordinari debet; & nemo ab alio ordinari poterit, nisi prius

ejus

ejus boni mores ex ordinarii testimonio perspecti fuerint.

Caput nonum vetat episcopis, ne cui suorum domesticorum conferant ordines, qui ex ejus diœcesi non fuerit, nisi post annorum trium apud se domicilium; eaque lege, in hac ipsa facti specie, ut ei de beneficio simul provideant, contraria qualibet consuetudine nihil obstante.

Caput decimum declarat nullum abbatem nullumve prælatum, etsi privilegio gaudeant, deinceps posse primam tonsuram aut minores ordines aliis tribuere quam regularibus qui eorum jurisdictioni subsunt; nec abbates, collegia, capitula sæculari clerico dimissorias litteras dare, quarum vi ab aliis ordinentur, non obstantibus privilegiis, præscriptionibus aut consuetudinibus contrariis; & quidem suspensionis indicta pœna.

Caput undecimum vetat minores ordines iis conferri qui non saltem latine sciant; jubetque interstitia servari, quo melius ordinati perspiciant, quam magni hæc disciplina momenti sit, sunmque in ecclesia quam iis episcopus designavit, officium obire possint; &, quoniam iidem minores ordines sunt gradus quidem, ut ad reliquos ascendatur, ad eos neminem promotum vult, quin, per scientiam, tribuat sperandi locum fore, ut aliquando majoribus ordinibus dignus evadat; statuitque, ut a postremo minorum gradu ad majorum primum integri anni interstitium excurrat, nisi episcopus expedire crediderit, ut aliter hac in re ad Ecclesiæ utilitatem ipse se gerat.

Caput decimum secundum neminem promovendum ait ad subdiaconatum ante ætatis annos viginti duos, ad diaconatum ante viginti tres, & ad presbyteratum ante viginti quinque; idem servandum quoad regulares ipsos, eorum privilegiis nihil obstantibus. Monet tamen episcopos, ne eos qui ætatem hanc attigerunt, ad ordines indiscriminatim promoveant, sed eos tantum qui iis digni sunt, & quos probitas rectaque vitæ ratio jam senes reddunt.

Caput decimum tertium oportere pronuntiat, ut, qui ad subdiaconi & diaconi ordines suscipientur, bene actæ in minoribus ordinibus vitæ specimina dederint, ac deinceps, per Dei gratiam, servandis continentiæ legibus se pares sentiant; in ecclesiis reapse serviant, quibus addicti fuerint, sciantque se magnæ ædificationi fore, si saltem dominicis aliisque solemnibus diebus quibus altari deservient, communicare cernantur; nec subdiaconi altius ascendant, quin per anni spatium suo munere functi sint; nec denique duo sacri ordines, quodcunque privilegium suppetere in id possit, eadem die conferantur.

Caput decimum quartum vetat, ne quis ad sacerdotium evehatur, quin diaconi officium saltem ad annum obierit, nisi episcopus ob Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem aliter statuat, & quin constet eum docendo populo & sacramentis administrandis idoneum esse; episcopum curare vult, ut presbyteri saltem diebus dominicis & in solemnibus festis celebrent, ac, si animarum curam habent, toties sacrum faciant, quoties opus fuerit, suo ut muneri satisfaciant; eumdem tamen ex gratia cum iis agere posse, qui *per saltum* promoti fuerint, legitima causa ita ferente, ac si minus officium suum exercuerint.

Caput decimum quintum notat, etsi a peccatis absolvendi potestatem presbyteri cum presbyteratum suscipiant, sanctum tamen concilium declarare nullum presbyterum, ac ne regularem sacerdotem quidem, confessiones audire posse, nisi beneficium possideat cui curæ titulus sit, aut nisi approbationem quæ gratis dabitur, ab episcopo acceperit, omnibus privilegiis & consuetudinibus immemorabilibus nihil obstantibus.

Caput decimum sextum, renovans sextum Chalcedonensis concilii canonem, statuit, ne quis ordinibus initietur, quin alicujus ecclesiæ, aut pietatis loci servitio, ut suum ibi ministerium obeat, addictus sit; eumque, si, absque episcopi venia, locum sibi destignatum deseruerit, a suis functionibus interdictum vult; vetat præterea, ne quis clericus alienigena ad celebrandum & sacramenta administranda, nisi ordinarii sui testimonium afferat, recipiatur.

Caput decimum septimum, ut omnium ordinum, a diaconatu ad ostiariatum usque, functiones quæ in Ecclesia cum honore ab apostolorum temporibus exercebantur, in usum pristinum restituantur, & ut eas vanas inutilesque credendi ansa omnis hæreticis adimatur, mandat, ut hæ functiones in posterum ab iis tantum edantur qui reapse in ordinibus constituti sunt, quorum eædem propriæ & peculiares sunt; episcopofque perficere vult, ut earum usus, quoad fieri poterit, in omnibus cathedralibus, collegiatis & parochialibus suæ diœcesis ecclesiis redintegretur; quod si non occurrerint in locis clerici non conjugati qui minorum ordinum munia peragant, sumi alii poterunt conjugati, modo non bigami, & servitio idonei sint.

Decimum octavum & ultimum caput mandat, ut, quoniam adolescentes a natura ipsa ad voluptatem feruntur, nisi detur tempestive opera, ut ad pietatem trahantur, cathedrales ecclesiæ in collegio episcopatui proximo, aliove commodo loco certum quemdam e diœcesi puerorum numerum in ecclesiastica professione instituendum curent; eorum nullus eo recipiatur, qui non duodecimum saltem ætatis annum attigerit, qui non e legitimo matrimonio natus sit, nec legere & scribere sciat; pauperes præferantur divitibus, qui hi tamen excludantur, dummodo suppeditent suum ad victum satis, studiumque ad Dei ejusque Ecclesiæ servitium referant; iidem pueri, cum eos episcopus pro numero, ætate, & in ecclesiastica disciplina progressu in peculiares cohortes diviserit, semper habitum clericalem & tonsuram deferant; grammaticen, cantumque & calculum discant; sacram Scripturam, Patrum Homilias, Rituales libros, & quicquid eos ad confessiones audiendas comparare potest, legere jubeantur; operam denique det episcopus, ut omnes & singuli quotidie missam audiant, singulis mensibus confiteantur, &, cum episcopo visum fuerit, communicent.

Ad fundum his collegiis sustentandis necessarium quod attinet, enuntiatur, reditus qui jam quibusdam in locis ad puerorum institutionem victumque designati comperti fuerint, reapse novo seminario addictos deinceps censendos fore. Præterea, ita mandante synodo, episcopus, ut id congerat quod deerit, accedente duorum canonicorum, aliorumque duorum urbis ecclesiasticorum consilio, ex omnibus diœcesis beneficiis certam quamdam redituum partem distrahet quæ addicetur addeturque dicto collegio; atque adeo simplex aliquod beneficium, quodcunque fuerit, eidem uniri poterit. Eos qui munera aut præbendas tenent quæ docendi obligationem adjunctam habent, adigent episcopi, ut iis in scholis aut ipsi per se, aut per idoneos suffectos viros lectionem peragant; & in posterum dignitates quæ scholasticæ nuncupantur, doctoribus tantum aut licentiatis in theologia vel in jure canonico tribuentur. Quod si quæ in provincia tam pauperes ecclesiæ sunt, ut in unaquaque collegium fundari non possit, de reditu duarum pluriumve ex iis pauperibus eccclesiis unum aut plura in metropoli aliave commodiore provinciæ ecclesia statuentur. In majoris amplitudinis diœcesibus, episcopus pluribus in locis, prout ipsi videbitur, seminaria plura quæ tamen ab eo pendeant quod in episcopali urbe aderit, erigere poterit.

Die 22. Septembris, habita congregatio in qua orator Du Ferrier, vehementissimo sermone, reformationis articulos qui propositi fuerant, haud satis esse conquestus est.

XXIV. SESSIO, 11. *Novembris die an.* 1563. In hac edita, 1. catholicæ super matrimonii Sacramento doctrinæ expositio. Concilium, postquam ex Geneseos & Evangelii formalibus textibus indissolubile matrimonii vinculum esse statuit, Christum Dominum subdit gratiam, ad sponsi & sponsæ unionem firmandam & sanctificandam, necessariam, per suam passionem, promeruisse; quod nobis apostolus significare voluit, cum dixit: „ Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam; " & paulo post: „ Sacramentum „ hoc magnum est; ego dico in Christo & in Eccle„ sia. " Cum ergo evangelicæ legis matrimonium sit veteribus matrimoniis, ob gratiam quam confert, longe præstantius, jure nos ac merito sancti patres, concilia, & traditio universa ab omni tempore docuerunt, ut illud, in novæ legis sacramentorum numero poneremus. Pronuntiati proinde, cum anathemate, super hac re, canones viginti duo; quos *vide* verb. *Matrimonium*.

2. Lectum super hoc ipso sacramento decretum quod clandestina matrimonia potissimum spectat, continetque capita decem.

De reformatione super Matrimonio.

Caput primum ita habet: etsi certum sit clandestina matrimonia esse veri nominis matrimonia, ut ea proinde Ecclesia non abrogaverit, eosque concilium damnet qui eadem firma & valida non habent, itemque eos qui asserunt matrimonia a filiis familias, sine parentum consensu, inita nulla esse, patresque & matres ea firma aut irrita reddere posse; Ecclesia tamen ab iis semper abhorruit eademque semper prohibuit; at sanctum concilium, prohibitiones videns nihil amplius prodesse, mandat, ut matrimonia, antequam ineantur, tribus consequentibus festis diebus in ecclesia enuntientur, ex Lateranensis, sub Innocentio III. concilii decre-

decretis; tum vero, si nulla legitima oppositio subest, celebrabuntur in facie Ecclesiæ, ubi parochus, postquam virum & feminam interrogaverit, & utriusque consensum sumpserit, iis dicet: „ Ego conjungo vos „ in matrimonium, in nomine Patris & Filii & Spi„ ritus Sancti ", vel aliis verbis utetur, pro cujusque regionis usu. Quod si qua subsit timendi causa, ne, dum tot enuntiationes peraguntur, matrimonio, per malitiam, impedimentum aliquod afferatur, poterit ordinarius a duabus posterioribus dispensare; qui vero sine præsentia parochi, alteriusve presbyteri quem parochus ordinarius auctoritate munierit, ac sine duobus tribusve testibus matrimonium contrahere ausi fuerint, eos male contraxisse concilium pronuntiat. Si parochus aliusve presbyter, sine præscripto testium numero, matrimonium peragit, testes qui ei sine parocho aliove presbytero adfuerint, itemque partes contrahentes, ex ordinarii arbitratu, punientur. Præterea virum & feminam hortatur sancta synodus, ne una degant ante nuptialem benedictionem quam in ecclesia suscipere debent; & parocho librum præsto esse vult, in quo matrimonii diem locumque describet cum partium testiumque nomine.

Caput secundum ita; cum experientia compertum sit prohibitionum multitudinem in causa esse, ut matrimonia per ignorantiam sæpe prohibitis in casibus contrahantur, in quibus, si persistitur, graviter Deus læditur, eademve abrogari necesse est, quod non sine gravi scandalo fit; sanctum proinde concilium, his incommodis remedium afferre volens, impedimentum quod a spiritali affinitate nascitur, redigit ad patrinum & filiolum, ad patrinum & matrinam, ad presbyterum qui baptismum confert, & infantem baptizatum, itemque baptizati patrem & matrem. Idem in affinitate servandum quæ per confirmationem contrahitur.

Caput tertium ita: sanctum concilium de medio funditus tollit impedimentum justitiæ, ob publicam honestatem, cum valida sponsalia non fuerint; quod si valida sunt, impedimentum non longius quam ad primum gradum protenditur.

Caput quartum ita: concilium, gravibus de causis, affinitatis per fornicationem contractæ impedimentum ad eos redigit qui in hujus affinitatis primo & secundo gradu versantur.

Caput quintum ita: qui scienter matrimonium vetitis in gradibus contrahent, separabuntur, quin unquam dispensationem obtinere possint; itemque qui contraxerint, quin gradus scirent, cæremonias tamen ad contrahendum requisitas servare neglexerint; quod si quis eas quidem servavit, at comperitur occultum aliquod impedimentum habere de quo probabile sit eum penitus ignorasse, dispensationem obtinere poterit, quæ, in hac facti specie, gratuita erit; quod si qua tribuitur ob matrimonia nondum inita, id raro, ex legitima causa & gratis fiet; at in secundo gradu nulla unquam nisi magnis Principibus, & ob publicam rem tribuetur.

Caput sextum ita; ea est sancti concilii mens nullum inter raptorem & raptam matrimonium existere posse, dum hæc in raptoris potestate est; quod si, cum sejuncta est & libertate gaudet, eum sibi virum voluerit, poterit eidem nubere; raptor tamen & quicunque consilio vel aliter ei præsto fuerint, excommunicati *ipso facto*, in perpetuum infames omnibusque muneribus impares erunt; si clerici fuerint, suo gradu excident; & præterea raptor, seu raptam feminam sibi conjugem sumat, seu non, ei legi suberit, ut e judicis arbitrio dotem eidem statuat.

Caput septimum ita: concilium errones ad matrimonii Sacramentum admitti vetat, nisi prius, quid genus hominum sint, sedulo inquisitum fuerit, suamque ordinarius facultatem tribuerit, & magistratus, ut hoc genus hominum propius explorent, hortatus fuerit.

Caput octavum ita; mandat concilium, ut concubinarii, seu conjugati sint, seu non, cujuscunque tandem conditionis fuerint, excommunicatione plectantur, si concubinas, ab ordinario ejusve officiariis ter moniti, non ejecerint; quod si per annum a censuris in peccato perstiterint, ordinarius summo in eos jure aget; concubinæ vero quæ post monita tria non paruerint, e loco, atque adeo, si ordinario videbitur, e diœcesi pellentur; & in id implorabit, si opus fuerit, sæcularis brachii subsidium; declarat præterea reliquis pœnis quas canones in adulteros & concubinarios statuunt, suum omne robur vimque manere.

Caput nonum ita: sanctum concilium omnibus dominis & magistratibus sæcularibus, sub anathematis pœna, vetat, ne suos subditos suæque jurisdictioni obnoxios matrimonium suis in gratiis inire, directe vel indirecte cogant.

Caput decimum ita: servabuntur veteres interdictiones celebrationis nuptiarum ab Adventu ad Epiphaniæ diem usque, & a feria quarta Cinerum ad Paschatis octavam usque & hanc ipsam; & operam dabunt episcopi, ut eædem magna cum modestia & honestate celebrentur, quia matrimonium res sancta est, sancteque tractandum.

Concilium, materiam prosequens, quæ de matrimonii sacramento est, sponsum & sponsam hortatur, ut ne simul, in eadem domo, ante presbyteri benedictionem, versentur, diligenter confiteantur, & religiose ad eucharistiæ sacramentum accedant, antequam matrimonio jungantur. Impedimenta quæ inter certas quasdam personas occurrunt, efficiuntque, ne matrimonium simul inire possint, exponit; sunt autem hæc: 1. spiritalis affinitatis impedimentum quod oritur ex baptismate, & in causa est, ut patrinus & matrina matrimonium cum eo eave contrahere nequeant, quos ad baptismi fontes tenuerunt, aut cum eorumdem patre & matre; itemque qui baptismum contulit, affinitatem cum baptizato ejusque patre & matre contrahat. 2. Declarat publicæ honestatis impedimentum quod ex sponsalibus nascitur, cum hæc invalida evadunt, non ultra primum gradum extendi. 3. Impedimentum quod ex affinitate per fornicationem contracta oritur, ad eos redigit qui in hujus affinitatis gradibus primo & secundo versantur. 4. Qui prohibitis in gradibus matrimonium contrahent, separabuntur, absque ulla dispensationis obtinendæ spe. 5. Nulla dispensatio concedetur, aut raro tantum, ob legitimam causam & quidem gratis. 6. Non tribuetur in secundo gradu dispensatio, nisi in favorem magnorum Principum & ob aliquod publicum bonum. 7. Concilium declarat matrimonio locum esse non posse raptorem inter raptamque, dum hæc in ejus potestate est; at si ab eo sejungatur & in tuto libereque loco ponatur, in ejusque matrimonium consentiat, is eam sibi conjugem retinebit. Raptor tamen, quique ei consilium & opem præbuerint, excommunicati jure ipso erunt.

XXIV. SESSIO *& ultima, die* 3. *Decembris an.* 1563.

Lectum initio statim super purgatorio, Sanctorum invocatione, imaginumque & reliquiarum cultu decretum.

Lectum deinde reformationis decretum; 1. super regularibus & monialibus.

De Regularium & Sanctimonialium Reformatione.

Caput primum enuntiat concilium non ignorans gloriam utilitatemque quæ in Ecclesiam ex religiosis domibus derivatur, cum ibidem nihil non ex ordine agitur, necessarium judicasse, ad regularitatem quibus in locis eam perire contigisset, restituendam, & in quibus perstitit, sartam tectam servandam, mandare, ut omnes regulares suæ quisque regulæ consentaneam vitam ducant, eaque fideliter exequantur quæ ad eorumdem status perfectionem spectant, cujusmodi sunt obedientiæ & castitatis vota, & cætera quæ singulorum ordinis propria & peculiaria sunt, ut vivendi ratio & habitus.

Caput secundum declarat nullum regularem nullamque religiosam posse ulla mobilia aut immobilia bona proprietatis titulo possidere; nec, in posterum, superiores posse ullis regularibus ulla in fundum, vel usus, administrationis aut commendæ titulo, bona concedere. Quoad mobilia, regularibus quæcunque necessaria fuerint, suppetent, at supervacanei nihil aderit. Si quis id mandati violaverit, activa & passiva voce privabitur ad annos duos, e suaque regula suique ordinis constitutionibus punietur.

Caput tertium omnibus monasteriis, mendicantibus ipsis, præter quam Capucinis & Observantinis, eam veniam dat, ut bona in fundum possideant; statuitque, ut in singulis claustris is tantum religiosorum numerus adsit cui reditus aut consuetæ eleemosynæ sint ad victum satis; nec novas regulares domos sine episcopi facultate erectas vult.

Caput quartum regulares vetat ullius prælati, principis, universitatis aut communitatis servitio, sine superioris nutu, se dedere, suove a claustro, sine obedientia per scriptum, abscedere. Quod si religiosorum quispiam absque hac obedientia compertus fuerit, tamquam sui ordinis desertor punietur.

Caput quintum ait, concilium renovans Bonifacii VIII. Constitutionem, cujus initium, *Periculoso*, episcopis mandare, ut monialium clausuram, ubi violata fuerit, restituendam, &, ubi perstitit, servandam sedulo curent, omnes principes cohortans, ut episcopis præsto sint, sæcularibus magistratibus id facere jussis sub excommunicationis pœna; ne monialium ulli e claustris egredi, vel in ea cuipiam, cujuscunque conditionis, sexus

sexus aut ætatis fuerit, sine episcopi de scripto venia, ingredi liceat; ut monasteriorum quæ extra urbium mœnia extiterint, religiosæ in aliis novis, aut in veteribus quæ in urbium ambitu fuerint, collocentur; & perduelles, per ecclesiasticas censuras, parere cogantur.

Caput sextum abbates, abbatissas, superiores & antistitas secretis suffragiis eligi vult, quin liceat in posterum procuratores statui qui absentium suffragia suppleant; secus, electionem nullam fore pronuntiat.

Caput septimum vetat abbatissam, priorissam aut antistitam eligi quæ non quadragesimum ætatis annum attigerit, nec ante annos octo professionem ediderit. Quod si in nulla e monasterio religiosa hæ conditiones occurrant, sumi monialis poterit quæ annos triginta prætergressa sit, & saltem ex annis quinque professionem emiserit; monialium nulla monasteriis duobus præfici poterit; & qui electioni præerit, ad clathrorum fenestram suffragia sumet.

Caput octavum vult puellarum monasteria quæ ordinariis non subsunt, quæque regulares ordinarios visitatores non habent, sed proximo sanctæ Sedis regimini subesse consueverunt, se in congregationem, intra annum ab absoluto concilio, redigere; ut administrationis formam sumant; ita quidem, ut, hac statuta forma, qui superiores aut visitatores electi fuerint, eamdem in suæ congregationis monasteria auctoritatem obtineant, qua cæteri superiores in aliis ordinibus pollent.

Caput nonum mandat, ut puellarum monasteria quæ sanctæ Sedi proxime subsunt, quocunque nomine instituta sint, ab episcopis, tamquam Papæ delegatis, regantur.

Caput decimum monialibus præcipit, ut singulis saltem mensibus confiteantur & communicent; iisque præter confessarium qui adest ex ordine, alium extra ordinem datum vult, qui, bis aut ter in anno, earum confessiones audiat; verum easdem vetat sanctum Sacramentum intra claustra retinere, contrario quolibet privilegio nihil obstante.

Caput undecimum, in virorum aut puellarum monasteriis, ubi curiales functiones super sæcularium aliquibus exercendi jus est, eos qui easdem exercent, proxime, quoad sacramentorum administrationem, episcopi visitationi & correctioni subesse vult, Cluniacensi abbatia & monasteriis exceptis, quorum abbates episcopali & temporali in parœcias jurisdictione gaudent.

Caput duodecimum regularibus mandat, ut non solum Papæ, sed etiam episcoporum censuras & interdicta suis in ecclesiis enuntient & servent; quæque ordinarius jusserit, festa colant.

Caput tertium decimum eam episcopis facultatem tribuit, ut omnia de prælatione inter ecclesiasticos sæculares aut regulares dissidia, sine appellatione, dijudicent; & utrosque publicis processionibus interesse vult, iis exceptis qui ex arctæ clausuræ legibus vivunt.

Caput decimum quartum statuit, ut quicunque e regularibus, extra claustra, in notoriam & scandalo obnoxiam culpam inciderit, a suo superiore, intra tempus quod episcopus præscripserit, severe puniatur; secus, in eum episcopus ipse animadvertat.

Caput decimum quintum quamlibet religiosi aut religiosæ professionem quæ ante completos ætatis annos sexdecim, nec integro peracto probationis anno, edita fuerit, nullam declarat.

Caput decimum sextum enuntiat nullam abdicationem nullamve obligationem validam fore, nisi, cum episcopi venia, duorum mensium spatio, qui proxime professionem antecesserint, facta sit; mandatque, ut, novitiatu absoluto, superiores ad professionem admittant novitios dimittantve; quod locum non habebit quoad clericos Societatis Jesu; monasterium a novitio nihil, ante ejus professionem, accipiat, nisi quod necessarium ad victum & vestitum fuerit; quod si novitius recedit, quicquid attulerit, ei reddatur.

Caput decimum septimum vetat, ne qua puella habitum sumat, aut professionem edat, quin episcopus aliusve ab eo designatus ejusdem puellæ voluntatem, & an requisitæ ad monasterii regulam conditiones eidem adsint, expenderit.

Caput decimum octavum in eos anathema pronuntiat qui puellam aut mulierem, extra casus a jure expressos, ad habitum suscipiendum vel ad edendam professionem adegerint; itemque in eos qui, sine justa causa, puellas aut mulieres, ne religioni nomen dent, impedierint. Excipiuntur tamen feminæ quæ ad bonam frugem redierint.

Caput decimum nonum vetat, ne, quicunque suam professionem nullam esse contenderit, audiatur, nisi rationum momenta quibus nititur, intra priores quinque suæ professionis annos protulerit; eumque qui, ante rationes ipsas apud superiorem & ordinarium expositas, habitum deseruerit, ad suum monasterium regredi coactum vult. Præterea, nullus regularis ad mitiorem religionem transferri, habitusve mutandi facultatem obtinere poterit.

Caput vicesimum mandat, ut abbates qui ordinum capita sunt, monasteria visitent quibus præsunt, etiamsi in commendam essent, & commendatarios ei legi subesse vult, ut eorum jussa exequantur; generalibusque capitulis, seu visitationibus præcipit, ut monasteriorum in commendam spiritali regimini claustrales priores præficiant, relictis memoratis ordinibus, quoad cætera, in suis omnibus privilegiis.

Caput vicesimum primum declarat concilio quidem in votis esse monasteria ad monasticam disciplinam reducere, & duram temporum conditionem non pati rebus omnibus remedium afferri; ipsum tamen sperare Papam, cum tempus arriserit, perfecturum, ut in monasteriis quæ in commendam sunt, ejusdem ordinis regulares professi instituantur qui eadem regant; ea lege, ut, quæcunque deinceps vacaverint, non amplius nisi regularibus committantur.

Caput vicesimum secundum ait sanctum concilium mandare, ut antecedentia decreta omnia in omnibus cœnobiis & monasteriis serventur, cujuscunque generis eadem sint, nihil obstantibus omnibus privilegiis, iis ipsis quæ in fundatione obtenta fuere; episcopi vero & abbates, nulla interjecta mora, decreta hæc executioni mandanda curent; hortarique principes & magistratus, suam ut opem in id conferant, quoties rogati fuerint.

Post hanc lectionem, secretarius qui eam peregerat, venit in cœtum medium, quæsiitque ex patribus, an vellent concilio finem imponi, legatosque eorum omnium decretorum confirmationem, ejus nomine a patribus petere; cum omnes ita se velle respondissent, exceptis tribus qui dixere se hanc confirmationem non petere, legatus præses edixit: Actis Deo gratiis, Reverendissimi Patres, recedite; qui responderunt: Amen. Tum cardinalis Lotharingicus acclamationes pronuntiavit; erant hæ vota, benedictiones, gratiarum actiones pro Papa, Imperatore, Regibus, Principibus, Rebuspublicis. Oratores, legati, cardinales & episcopi respondebant: *Amen*, seu, *magnas gratiarum actiones*, *longos annos*, &c.

Idem Cardinalis finem fecit per plausum super concilii decretis, inquiens: *Est hæc patrum & apostolorum fides; est hæc orthodoxorum fides.*

Patres deinde subscriptiones suas ediderunt; erant hæ numero ducentæ quinquaginta quinque; subscripsere scilicet legati quatuor, cardinales duo, patriarchæ tres, archiepiscopi viginti quinque, episcopi centum sexaginta octo, procuratores triginta novem pro absentibus, abbates septem & ordinis generales itidem septem. Omnes huic verbo, *ego subscripsi*, addidere, *definiendo*, exceptis procuratoribus quibus haud concessum fuerat suffragii jus.

Pius Papa IV. per Bullam diei 6. Januarii an. 1564. concilium confirmavit. Tridentini concilii decreta omnium primi Veneti receperunt; ea senatus in ecclesia sancti Marci solemniter enuntiari jussit, eorumdemque executionem mandavit; quod non impediit, quin respublica suos veteres usus suaque omnia supremæ potestatis jura servaret, concilii decretis quæ iisdem contraria sunt, nihil obstantibus.

Hispaniarum rex, Philippus II. cum per aliquod temporis spatium deliberasset, &, quid fieri expediret, in synodis expendi jussisset, conclusit, in suo consilio, fore quidem, ut concilium reciperetur & indiceretur in ejus ditionibus, at sine ejusdem jurium præjudicio. Indictum illud fuit in eumdem modum in Belgio, & in regnis Neapolis & Siciliæ. Sebastianus, Lusitaniæ rex, decreta pure & simpliciter haud ægre suscepit. Idem præstitit Sigismundus III. Poloniæ rex, in Polonicæ nationis generali conventu, Parzoviæ an. 1564. habito, non autem in Petricoviensi concilio, ut Piaseki testatur in *Chron. an.* 1607. *pag.* 247.

Germaniæ Principes protestantes concilium recipere renuerunt; at illud ab imperatore Maximiliano II. quoad ejus peculiares ditiones, ac deinde ab universa Germania, in conventu Augustæ Vindelicorum, an. 1566. habito receptum fuit.

Haud æque facile ac catholicæ nationes cæteræ, Gallia adduci potuit, ut Tridentinum concilium reciperet; atque, iterum licet iterumque summis Pontificibus & Clero sollicitantibus, Galli reges nunquam pati voluerint ejus decreta in regno enuntiari, ut ibidem pollerent legis vi. Id tamen non impedit, quin Gallia Tridentinum concilium vere œcumenicum spectet; quin dogmata quæ continet, quæque credenda pro-

image not available

SESSIO XXII.

Concilii super iis decretum quæ in sancta Missa celebratione Episcopi servanda curare aut prohibere debent.

Unusquisque secum ipse reputare facile potest, quam sollicitudinem afferri necesse sit, ut, sacrosanctum Missæ sacrificium, quam fieri potest maxime cultu & veneratione celebretur, animadvertens eum qui facit opus Dei negligenter, maledictum in sacris Litteris appellari. Quod si necessario fateri cogimur fidelibus nihil sanctius diviniusque suppetere quam hoc formidandum mysterium in quo Sacerdotes quotidie eam vivificam Hostiam immolant per quam Deo patri reconciliati sumus; liquido constat illud magna cum cordis intima puritate celebrandum esse. Quamobrem, cum per temporum calamitatem hominumve negligentiam & improbitatem irrepserint abusus plures qui magni hujus sacrificii dignitatem dedecorant, ut Dei cultus restituatur & fideles ædificentur, sacrosanctum concilium episcopis mandat, ut, quicquid per avaritiam quæ idololatria quædam est, aut per irreverentiam quæ ægre impietate vacat, aut per superstitionem quæ falso pietatem imitari vult, inductum est, prohibeant aboleantve. Atque, ut paucis verbis plura complectatur, quoad avaritiam, iisdem præcipit, ut omnis generis conditiones & pacta, & quicquid datur missarum ergo quæ primæ celebrantur, itemque eas importunas eleemosynarum postulationes quæ exactionem adeoque simoniam redolent, interdicant. Ad irreverentiam vitandam, impedient episcopi, ne errabundi ignotique presbyteri ad sacrum faciendum recipiantur, neve qui de criminibus notorie præventi fuerint, altari deserviant. Haud patientur in privatis domibus, aliisve in locis quæ nec ecclesiæ nec oratoria sunt, Missam dici; musicos modos omnes quibus lascivi aut impuri aliquid inest, profana acta, mundana colloquia, deambulationes, rumores clamoresque eliminabunt. Denique, ut superstitio cohibeatur, impedient, ne sacerdotes Missam extra præscriptas horas, aliisve cæremoniis & precibus dicant quam quæ ab Ecclesia approbatæ sunt usuque receptæ; abolebunt etiam abusum quo certum quemdam missarum & luminum numerum superstitio potius quam pietas excogitavit; populosque monebunt, ut suas sæpe parœcias, dominicis saltem majoribusque festis diebus adeant; declarat præterea Synodus hæc omnia ordinariis esse proposita, ut, tamquam sedis apostolicæ delegati, per ecclesiasticas censuras aliasque pœnas, inviolate servanda curent.

Aliud reformationis decretum, unum supra viginti capita continens.

Enuntiat caput primum, quia danda est apprime opera, ne sit errori locus in longe maximi momenti re, quæ electio est, cum ecclesiam aliquam vacare contingit, publicas preces edendas esse, ut bonus pastor obtineatur; eos quibus ad electionem aliquid juris est, animo reputare debere lethaliter se peccare, nisi peculiari studio eos eligendos curent quos digniores Ecclesiæque utiliores judicaverint, ea lege, ut e legitimo matrimonio nati, omnibusque quas sancti canones hujusque concilii decreta postulant, qualitatibus ornati sint; &, quoniam, ut is eligatur cui, proborum doctorumque virorum judicio, omnes qualitates insint, difficile admodum est electores, utpote quibus alia regio, alii mores sunt, simul omnes & singulos convenire; sanctum concilium mandat, ut in provinciali synodo quæ ab unoquoque metropolitano celebrabitur, instituatur examinis aut inquisitionis formula cujusque provinciæ propria, quam Papæ approbatione firmatam esse oportebit; inquisitionis autem in hunc modum peractæ publicus actus edatur Romam mittendus, ut consistorii judicio subsit; omnes conditiones quibus opus est, ut quispiam ad episcopatum evehatur, in cardinalium promotione, licet diaconi solum fuerint, pariter locum habeant; eosque Papa ex omnibus Christiani orbis nationibus sumat, pro ut id commode fieri poterit, & ubicunque ipse idoneos viros compererit. Denique concilium calamitatibus Ecclesiæ percitum sibi temperare non potest, quin dicat plurimum interesse Papam sedulo, pro sui muneris ratione, cavere, ne ad cardinalatum nisi dignos viros extollat, neve ecclesiarum regimen nisi iis conferat qui probis moribus sint, satisque mente polleant, præsertim cum Christus Dominus ovium rationem petiturus ab eo sit, quæ pastorum negligentia peribunt.

Caput secundum mandat, ut provincialia concilia, ubi omissa fuerunt, restituantur; ea metropolitani, ut serius, anno post absolutum concilium, ipsi per se, aut per suffraganeum seniorem, congregent; ac deinceps, tertio quoque anno saltem, post octavam Paschatis, aliove commodiore tempore; episcopi non possint in posterum adigi, ut, vel inviti, se ad metropolim conferant; qui nulli archiepiscopo subsunt, sibi semel aliquem e proxima regione metropolitanum deligant, cujus synodo eos interesse, quæque in eadem edita fuerint, statuta servare oportebit; sua iis privilegia, quod ad cætera pertinet, integra maneant, cujusque diœceseos synodi quotannis habeantur, quibus exempti ipsi interesse debebunt, iis exceptis qui generalibus capitulis subsunt, nisi sæculares ecclesias annexas habeant quarum causa synodo adesse debeant.

Caput tertium patriarchis metropolitanis & episcopis mandat, ut annis singulis suarum diœceseon visitationem peragant, aut, si quod iis legitimum impedimentum subest, suum generalem vicarium aliumve peculiarem visitatorem mittant; hanc autem visitationem si per diœceseos amplitudinem quotannis peragere nequeant, intra biennium omnino perficiant; comprovincialium episcoporum cathedrales ecclesias aut diœceses metropolitani non nisi ob causas a provinciali concilio approbatas visitent; archidiaconi cæterique inferiores ministri suam ipsi per se, notario adsistente, visitationem obeant; visitatores quos capitula designabunt, ab episcopo prius approbentur; eorum apparatus modestus sit, & quam citissime poterunt, visitationem absolvant; nihil ad victum sumant, eorumque vita frugalis sit; iis qui visitabuntur, optio sit, ut hunc victum numerata pecunia solvant; ubi vero nihil dari consueverit, ea consuetudo servetur; patroni non id attingant quod sacramentorum administrationem spectat, non irrepant in visitationem ornamentorum Ecclesiæ, non in fabricæ bona manum injiciant, nisi in hæc jus iis tamquam fundatoribus suppetat; at episcoporum erit hanc sibi curam sumere.

Caput quartum episcopos vult sua in ecclesia ipsos prædicare, aut, si quod iis legitimum impedimentum subest, id per alium supplere; suis quoque in ecclesiis prædicare parochos, eosve, horum defectu, quos Episcopus nominaverit, eorum quos id spectat, impensis, & quidem dominicis diebus singulis, in solemnibus festis, Adventusque & Quadragesimæ diebus singulis, aut saltem ter in hebdomada; episcopum monere populum ejus esse suæ se parœciæ ad Dei verbum audiendum sistere; neminem, seu sæcularem, seu regularem audere e suggestu dicere, sine episcopi consensu; episcopos operam dare, ut, in quaque parœcia, festis & dominicis diebus, pueri christiana doctrina imbuantur. Quoad cætera quæ prædicationem afficiunt, id integrum relinquitur, quod sub Paulo Papa tertio statutum fuit.

Caput quintum statuit, ut, in criminali negotio, contra episcopos, graves causæ solum a Papa finiantur; quæ si ejusmodi fuerint, ut eas extra Romam remitti necesse sit; metropolitanis tantum aut episcopis quos Papa selegerit, demandabuntur, his autem non alia potestas inerit, quam ut factum instruant de quo Papam certiorem facient, cui definitivum judicium reservatum manebit; renovanta præterea concilio decreta quæ felicis recordationis Julius III. edidit, & Innocentii III., in Lateranensi generali concilio, Constitutionem quæ incipit, *Qualiter & quando*, criminales minoris momenti causæ a provinciali concilio, vel ab iis queis illud commiserit, absolvantur.

Caput sextum episcopis eam facultatem tribuit, ut ab omnibus irregularitatibus & suspensionibus in quas ob occulta crimina quispiam inciderit, iis exceptis quas voluntarium homicidium inducit, dispensent; itemque ab occultis omnibus atque adeo sanctæ Sedi reservatis peccatis absolvant, seu ipsi per se, seu per vicarios, excepto hæresis crimine, cujus causam nemini committere poterunt.

Caput septimum ait, quo majore cum reverentia & pietate ad sacramenta fideles accedant, concilium mandare, ut, antequam iis sacramenta administrarentur, iisdem eorum vis ususque explicentur, vulgari lingua; prout in suo catechismo concilium præscribit, quem quidem episcopi fideliter in vernaculam linguam vertendum curabunt, ut eum parochi populo legant, qui pariter eidem sacram Scripturam, diebus festis & dominicis, explicabunt, ita scilicet, ut inutiles a cathedra quæstiones arceant.

Caput octavum mandat, ut qui publice nec sine scandalo deliquerint, publicam crimini respondentem pœnitentiam subeant, quam tamen episcopus in aliam occultam convertere poterit; itemque in cathedralibus ecclesiis, siquidem fieri potest, pœnitentiarium, eumque doctorem aut licentiatum in theologia, vel in ju-

te canonico, & quadraginta quidem annos natum episcopi statuant.

Caput nonum decreta sub Paulo III. & sub Paulo IV. ad beneficiorum visitationem edita servari jubet quoad ecclesias nullius diœcesis dictas quos propior episcopus visitabit.

Caput decimum pronuntiat, ad visitationem & morum correctionem quod attinet, eorum executionem quæ episcopi mandaverint aut judicaverint, nullius exemptionis vel ad apostolicam sedem ipsam appellationis vi, impediri aut sisti posse.

Caput undecimum ait, cum privilegia & exemptiones quæ hominum plerisque, multiplici titulorum genere, conceduntur, non nisi turbis dissidiisque in ecclesiasticis tribunalibus causam præbuerint, sanctum concilium declarare protonotariorum, acolythorum, comitum palatinorum, regalium cappellanorum, aut fratrum in militaribus ordinibus, monasteriis & hospitalibus servientium titulos non impedire, quin ii quibus privilegia concessa fuerunt, ab ordinariis, tamquam sanctæ Sedis delegatis pendeant, iis tamen exceptis qui in iis locis servitium reapse obeunt, & sub eorumdem obedientia vivunt; regios capellanos subditos pariter fore, at prout enuntiat Innocentii III. Constitutio cujus initium, *Cum capellani*; exemptiones quibus cardinalium domestici gaudent, locum non habituras in eorum favorem qui beneficiarii sunt, quod ad eorum beneficia pertinet.

Duodecimum caput edicit, quandoquidem dignitates, in cathedralibus ecclesiis potissimum, institutæ fuerunt, ut ecclesiastica disciplina servaretur & augeretur, & ut qui eas possident, pietate cæteros superarent, exemplo essent, perque officium suum episcopis suppetias ferrent, sanctum concilium mandare, ut nemini de ulla dignitate cui animarum cura sit, provideatur ante vicesimum quintum ætatis annum, & quin sui muneris onera calleat, sitque moribus commendandus, secundum Alexandri III. in Lateranensi concilio Constitutionem quæ incipit, *Cum in cunctis*; ut archidiaconi, in theologia doctores aut in jure canonico licentiati sint; ut cæteræ dignitates ab iis tantum repleantur qui idonei sint, & viginti duos saltem annos attigerint; ut qui curata beneficia obtinuerint, pariterque cathedralium ecclesiarum canonici, intra menses duos, non solum apud episcopum, sed etiam in frequenti capitulo, fidei professionem edant; ut nemo ad ullam dignitatem, præbendam seu portionem admittatur qui non in ordine sacro quem ejusdem titulus postulat, aut non ea ætate sit, ut eum suscipere possit; ut cuique cathedralium ecclesiarum præbendæ seu portioni addicta sit obligatio, ut qui eam possidet, presbyter, diaconus aut subdiaconus sit; & id quidem episcopus una cum capitulo statuat, sed ita, ut dimidia saltem pars e presbyteris constet; ut in cathedralibus aut collegiatis ecclesiis dignitates omnes, aut ex dimidia saltem parte non nisi doctoribus aut licentiatis in theologia vel in jure canonico conferantur, nec beneficiarii ultra tres per annum menses ab iis ecclesiis abesse possint; ut qui servitio non adfuerint, distributionibus priventur; ut sua quisque munia per se, non per substitutum obeat; ut canonici decenter induti sint tum in choro, tum alibi, abstineantque a venatione, a tabernis, a ludis aliisque ejusmodi rebus quas canones prohibent; quod autem divini officii peragendi rationem spectat, diœcesanæ synodo super ea statuendæ pro tota diœcesi formulæ libertas relinquitur.

Caput decimum tertium mandat, ut, quia cathedralium ecclesiarum plurium longe minor est reditus quam ut ulla prorsus ratione episcopali dignitati respondeat, provincialis concilii sit earum proventus augere, & Papam de re monere, ut e prudentiæ regulis statuat; studeat episcopus, seu per beneficiorum non regularium unionem, seu per decimarum attributionem, seu per tributi in singula parochianorum capita impositionem pauperibus parochis providere, parochiales Ecclesiæ nec monasteriis, nec abbatiis, nec cathedralium ecclesiarum dignitatibus aut præbendis; nec aliis simplicibus beneficiis, nec hospitalibus, nec denique equitum ordinibus unquam uniantur, quæque jam unitæ fuerint, ab ordinariis ad trutinam revocentur; cathedrales ecclesiæ quarum reditus non superat scuta mille, & parochiales quibus annua non amplius quam centum scuta suppetunt, nullis deinceps pensionibus nullisve fructuum reservationibus onerari possint; ubi parœciis haud certi statique limites sunt, & promiscue sacramenta petentibus administrantur, episcopus peculiarem parochum cuique parœciæ designet; & quibus in locis non aderant, parœciæ quamprimum instituantur.

Caput decimum quartum episcopos jubet abolere omnia ingressus & alia jura quæ ob possessionis susceptionem solvuntur; id enim sancta synodus detestatur, nisi forte in pios usus ea conferantur; omnesque pœnas a canonibus in simoniacos latas transgressores subire vult.

Caput decimum quintum in cathedralibus aut collegiatis ecclesiis ubi numero plures præbendæ sunt, nec quotidianarum distributionum satis ad honestam canonicorum sustentationem est, episcopis, cum capituli consensu, licere statuit simplicium beneficiorum aliqua iis præbendis unire, vel earumdem nonnullas supprimere.

Caput decimum sextum oportere declarat, ut, episcopalis sedis vacantis tempore, capitulum ad quod pertinet fructuum receptio, unum atque adeo plures œconomos statuat quibus redituum cura sit, octo post diebus, vicarium nominet, eumve confirmet qui defuncto præsuli fuerat; secus, ad metropolitanum jus devolvetur; & in novi episcopi potestate fore, ut fructuum administrationis rationem sibi redditam velit, &, siquidem male rem egerint, œconomos puniat.

Caput decimum septimum vetat, ne quis ecclesiasticus, cardinalis licet fuerit, uno plura beneficia teneat; quod si beneficium hoc non est ad titularis sustentationem satis, simplex aliud beneficium ei conferri licebit, dummodo neutrum ad personalem residentiam obliget, quod locum habebit quoad omnia beneficia tam sæcularia quam regularia, etiam in commendam, cujuscunque generis sint; qui tunc parochiales ecclesias plures, duasve, cathedralem unam & parochialem alteram possidebant, eos vult intra sex menses sibi unam tantum & unicam retinere, cæterasque deserere, quæ alioquin singulæ vacare censebuntur; pronuntiat tamen concilium optare, ut commoda ratione aliqua, prout Papæ visum esset, eorum necessitatibus consuleretur, qui ita resignare cogerentur.

Caput decimum octavum ait, quandoquidem ea est fidelium utilitas, ut a dignis pastoribus gubernentur, ac de iis quamprimum provideantur, eam sancto concilio mentem esse, ut, cum aliquam parœciam per mortem, resignationem vel aliter vacare contigerit, sumantur singulorum nomina qui proponentur, quive ipsi se præsentabunt, quo ab episcopo, tribus aliis examinatoribus adsistentibus, examinentur; ut ex omnibus qui idonei judicati fuerint, eum episcopus eligat qui dignior ipsi videbitur; quod si ecclesiastici patronatus ecclesia sit, eum episcopo patronus præsentet, quem omnium qui ab examinatoribus approbati fuerint, aptissimum judicaverit; at, si laici patronatus ecclesia est, qui a patrono præsentabitur, ab iisdem deputatis examinetur, nec admittatur, nisi idoneus conventus fuerit; proponantur quotannis in diœcesana synodo examinatores sex e quibus episcopus tres eliget qui examen cum eo peragant; hi vero examinatores qui in theologia vel in jure canonico doctores aut licentiati erunt, jurent super Evangelio se fideliter id muneris executuros, nihilque vel ante vel post examen accipiant.

Decimum nonum caput declarat sanctum concilium velle non amplius expectativas gratias vel collegiis, universitatibus, parlamentis aliisque personis concedi, quavis obducta, etiam indulti causa, nec amplius mentalibus reservationibus locum fore.

Caput vicesimum enuntiat fore, ut ecclesiasticæ causæ, cum beneficiales sunt, in prima quidem instantia ad locorum ordinarium tantummodo deferantur, & intra biennii spatium, ut serius, finiantur; aliter, liberum sit partibus alios judices sumere; nulla prorsus appellatio, nisi post definitivam sententiam, aliamve cui vis eadem insit, suscipiatur, exceptis causis quas Papa ob justa & urgentia rationum momenta ad se evocandas censuerit; matrimoniales & criminales causæ non nisi ad episcopum deducantur; quod si, in matrimonii negotio, partium altera suam paupertatem probaverit, adigi nequeat, ut, seu in secunda instantia seu in tertia, extra provinciam litiget, nisi pars altera victum suppeditare & litis impensas ferre voluerit; legati, nuntii, ecclesiastici præsides aliique episcopos in dictis causis non turbent, neque vero in clericum ullum agant, nisi forte negligens episcopus fuerit; appellans denique de suo debeat ad appellationis judicem afferre omnia litis apud episcopum intentatæ acta, quorum exemplum notarius, intra mensem, ut serius, congruæ mercedis ope, appellanti præbere tenebitur.

Caput vicesimum primum declarat eam nunquam concilio mentem fuisse, ut, per clausulam decreto in prima, sub Pio IV. sessione enuntiato appositam quæ his verbis concepta est, *Proponentibus legatis*, consuetam in generalibus conciliis de negotiis agendi rationem ulla ex parte mutaret, tribueretve cuipiam aut

adi-

ademeret quicquam; contra ac veteres canones & generalia concilia statuerunt.

DECRETUM ALIUD.

De generali Reformatione, ubi unum & viginti capita continentur.

Caput primum de suo statim officio monet episcopos hortaturque, suam ut externam vitæ rationem tam recte instituant, ut iis quibus præsunt, frugalitatis, modestiæ, & continentiæ exempla præbeant; consanguineos & domesticos de Ecclesiæ bonis non locupletent, sed iis solum tamquam pauperibus opem ferant, quod ipsum quicunque seu sæcularia seu regularia beneficia possident, atque adeo cardinales servare debent, quos quidem eo magis se virtutibus ornatos prodere necesse est, quod oculos in eos utpote Ecclesiæ cum supremo Pontifice regendæ addictos universus orbis intendit.

Caput secundum mandat episcopis omnibusque qui provincialibus conciliis adesse consueverunt, ut hæc decreta suscipiant; ut Papæ obedientiam jurent, omnesque hæreses per sanctos canones, per generalia concilia, &, inter alia, per hoc ipsum damnatas, in provinciali quod primum habebitur, concilio anathematizent; ut qui deinceps ad episcopatum promoti fuerint, in provinciali synodo cui primæ intererunt, idem præstent, itemque omnes beneficiarii in prima synodo quæ in eorum diœcesi celebrabitur; qui universitates moderantur, in iis eadem decreta suscipienda curent, ad quæ professores suam super catholica fide doctrinam exigent, quod se facturos per solemne jusjurandum, ad cujusque anni initium recipient; Papa vero det operam, ut universitates quæ ei proxime subsunt, ab ipsius delegatis visitentur & reformentur, prout eidem placuerit.

Caput tertium ait, tametsi excommunicationis gladius nervus ecclesiasticæ disciplinæ sit, maximeque, si quid aliud, homines in officio contineat, eumdem tamen admodum prudenter tractandum esse, experientia docente eum, cum temere adhibetur, in contemptum adduci, magisque ad animarum perniciem quam ad earumdem salutem vergere; ait, inquam, excommunicationes quibus amissarum ereptarumve rerum revelatio præcipitur, non nisi ab episcopo decerni posse, qui probe cavere debet, ne sæcularis cujusquam atque adeo magistratus ratione habita, ita se gerat; ecclesiasticum judicem, quacunque dignitate insignitus sit, interdicto abstinere jubet, cum realis aut personalis executio per ejus auctoritatem fieri poterit; pronuntiatque eumdem, in civilibus causis quæ ad ecclesiasticum tribunal, aliquo modo, pertinebunt, in laicos, etiam per pecuniariam mulctam, per bonorum sequestrationem aut per corporis capturam, & quidem suis in id ministris vel aliis adhibitis, procedere posse; judicem ipsum, siquidem ad realem aut personalem executionem deveniri non potest, & rei justitiæ perduelles sunt, posse ad excommunicationem progredi, si criminis qualitas ita postulet, postquam perfecerint, ut monita duo eamdem præcederent; ea sæcularibus magistratibus indicta lege, ut ne, quominus excommunicationem pronuntiet, ecclesiasticum judicem impediant, cogantve, quam tulerit, excommunicationem tollere, prætexentes ab eo servatas non esse decreti formas; denique statuit, ut excommunicatus a sacramentis arceatur, ac tamquam de hæresi suspectus, si per annum in pertinacia perstiterit, habeatur.

Caput quartum episcopos suis in synodis, & ordinum capita suis in capitibus generalibus statuere sinit, prout ad servitium suarumque ecclesiarum utilitatem opus esse judicaverint, super fundatis missis quarum nimius est numerus quarumve eleemosynæ sunt adeo tenues, ut nemo sit qui eas celebrandas sibi sumere velit; ita nihilominus, ut semper fiat defunctorum commemoratio qui pia legata reliquerunt.

Caput quintum, cum ratio postulet, ut, quæ recte instituta sunt, per contrarias sanctiones non destruantur, in beneficiorum collatione aliave dispositione, conditionibus aut oneribus quæ fundatores imposuerunt, derogari vetat; secus provisio subreptitia censebitur.

Caput sextum servari jubet in omnibus cathedralibus & collegiatis ecclesiis decretum sub Pauli III. pontificatu editum quod incipit, *Capitula cathedralium*, non solum episcopalis visitationis tempore, verum etiam cum ad ejus tribunal in quempiam agetur ob causarum aliquam quas memoratum edictum continet; mandat tamen, ut episcopus, cum, extra visitationem, in canonicorum quempiam procedet, id faciat e canonicorum duorum sententia consensuque, quos capitulum ad cujusque anni initium eliget, sed quibus una tantum erit conjunctim vox; iidem si aliter atque episcopus sentiant, canonicum tertium eligant; si minus inter eos de hujus tertii electione convenerit; delectus ad propiorem episcopum revolvatur; in concubinatuum causis, & atrocibus aliis criminibus, episcopus solus inquisitionem inchoare & ad accusati detentionem procedere poterit, præscriptum ordinem servans; episcopus primum locum, seu in choro, seu in capitulo, seu in publicis processionibus, teneat & capitulo præsit in quo non agetur ejusdem res; eo absente, nihil non fiat a capitulo, quin vicarius generalis se actis immiscere possit; qui non sunt e capitulo, in ecclesiasticis causis episcopo subsint; in ecclesiis vero in quibus, consuetudinis alteriusve juris vi, major episcopis jurisdictio suppetit, decretum hoc locum non habeat.

Caput septimum, quia in ecclesiasticis beneficiis, quicquid hæreditariam successionem redolet, sanctis conciliorum canonibus sanctorumque Patrum decretis odiosum est, mandat, ut, in posterum, facultas accessus aut regressus ad ullum beneficium nemini concedatur; quæ vero concessæ fuerint, suspendi, extendi aut transferri non possint, quod quoad cardinales ipsos locum habebit; neque vero ad futuram successionem coadjutoriæ ob nullum beneficium concedantur; quod si in alicujus cathedralis ecclesiæ vel monasterii favorem ita fieri utile aut necessarium est, Papa de re cognoscat, & coadjutor qui electus fuerit, omnibus qualitatibus ornatus sit quæ in episcopis requiruntur.

Caput octavum beneficiarios monet, ut, quantum eorum reditus pati poterit, hospitalitatem a Patribus tantopere commendatam exerceant, animo reputantes Christum Dominum recipi, cum hospitalitas exercetur; qui hospitalia in commendam, in regulam, aliisve titulis tenent, in illud hospitalitatis aut charitatis genus quod obire debent, impendant reditus qui eidem addicti sunt, ex Viennensis concilii Constitutione, sub Paulo III. renovata quæ incipit, *Quia contingit*; quod si ejus generis homines non occurrunt quos postulat fundatio, in alium pium usum qui quam proxime poterit, ad fundatoris mentem accedat, idque ex episcopi duorumque ejus canonicorum sententia, reditus convertantur; ait præterea eos qui hospitalitatem exercere neglexerint, sæculares licet administratores essent, ad id ecclesiasticis censuris aliisque juris rationibus adigi posse, atque adeo administratione privari, præterquamquod requiret ab iisdem conscientiæ lex, ut fructus restituant; statuit denique, ut hæc administratio non ultra triennium in posterum protrahatur, nisi aliter fundator mandaverit, contrariis omnibus exemptionibus, consuetudinibus & privilegiis nihil obstantibus.

Caput nonum ait, quemadmodum haud justitiæ consonum est patronatus jus cuipiam adimi, aut pias fundatorum voluntates violari, ita absonum esse eam, hac obducta causa, veniam dari, ut ecclesiastica beneficia in servitutem redigantur; quamobrem declarat sancta synodus juris patronatus ratihabitionem ex fundatione aut dotatione repetendam, &, per authenticum actum, aut per plures omnium temporum præsentationes probandam esse; quoad personas, communitates aut universitates quas sibi jus hoc usurpasse præsumptum fuerit, multo accuratiore probatione, ut ostendatur tituli bonitas, opus fore; nec eam sufficere quæ ex immemorabili tempore ducitur, nisi eam fulciant præsentationes per annos saltem quinquaginta, sine intermissione, iteratæ quæque suum omnes effectum sortitæ sint; reliquos omnes patronatus nullos abrogatosque censendos esse, iis exceptis qui ad imperatorem, ad reges, vel ad eos pertinent qui regna possident, aliosque magnos principes qui suis in ditionibus suprema potestate pollent, iis quoque quibus universitates gaudent; episcopum posse eos rejicere quos patronus præsentaverit, nisi idoneos compererit; patronos in fructuum perceptionem non posse manum immittere; jus patronatus in alios, venditionis titulo aut aliter, transferri non posse; liberorum beneficiorum cum iis uniones quæ in patronatu posita sunt, si suum forte plenum effectum nondum habuerint, aboleri jubet, & beneficia in hunc modum unita, cum vacaverint, libere ut ante unionem servari; jubetque præterea nihil obesse, quin ordinarii, tamquam sanctæ sedis delegati, uniones expendant quæ post quadraginta annos editæ, suumque effectum sortitæ fuerint; eas vero quas per subreptionem aut obreptionem obtentas fuisse constiterit, abrogatas vult; mandat denique, ut omnia patronatus super ecclesiis jura, post annos quadraginta, super dotis augmentationem, seu per aliquod aliud novum ædificium acquisita pariter ab ordinariis examinentur ab iisdemque revocentur, si minus ex Ecclesiæ aut beneficii

ficii utilitate rem esse compererint, in qua facti specie patronis id reddent quod dederint.

Caput decimum vult, in quoque provinciali concilio, vel in cujusque diœcesis synodis, personas quasdam, ex Bonifacii VIII. Constitutione quæ incipit, *Statutum*, requisitis qualitatibus præditas eligi quibus deinceps a sancta sede, vel a legatis & nuntiis ecclesiasticæ causæ, si forte ad loca remissæ fuerint, demandari possint; tum vero omnes judicum delegationes ad alios missæ quam quos provinciale concilium designaverit, subreptitiæ habebuntur.

Caput undecimum vetat, ne ecclesiastica bona, anticipandæ, in successorum præjudicium, solutionis conditione, itemque, ne ecclesiasticæ jurisdictiones locentur, quas qui conduxerint, nec exercere ipsi, nec per alios exercendas curare poterunt; statuitque, ut locationes bonorum ad ecclesias spectantium, triginta ab hinc annis ad longum tempus, vel ad annos viginti novem, vel plures, editas, etiamsi per apostolicam auctoritatem confirmatæ fuerint, Ecclesiæ perniciosas provinciale concilium declaret.

Caput duodecimum haud omnino ferendos ait qui, technis pluribus, decimas ecclesiis adimere, vel ad sua ipsorum beneficia detorquere volunt; cum Deo debita decima sit: eosque qui nolunt easdem solvere, aut impediunt, ne solvantur, alienum bonum sumere. Itaque sanctum concilium mandat, ut qui decimas debent, quæcunque tandem eorum conditio fuerit, eas ecclesiis integræ solvant; alias, excommunicationem subituri, quin absolvi nisi post integram restitutionem possint. Hortatur deinde fideles synodus, ut suorum bonorum partem episcopis & parochia tribuant quorum ecclesiæ pauperes sunt.

Caput decimum tertium mandat, ut, quibus in locis quarta portio *fun rum* dicta, ante annos quadraginta cathedrali aut parochiali ecclesiæ solvebatur, a qua ad hospitalia vel ad alia pia loca migravit, ad ecclesiam redeat, non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, iisque ipsis quas exprimit Bulla cujus initium, *Mari magno*, huic decreto contrariis.

Caput decimum quartum omnibus ecclesiasticis prohibet, ne apud se vel in urbe concubinas aliasve suspectas feminas teneant, ea, secus, indicta pœna, ut redituum ad beneficia quæ possident, pertinentium parte tertia post primam admonitionem priventur, eorumque fructus omnes amittant, si, post secundam, in eadem pravitate perstiterint; omnibus denique beneficiis, officiis & pensionibus ecclesiasticis in perpetuum spolientur (nisi eos deinceps superiores dispensent), si in prava vitæ ratione perstant; quod si, postquam concubinas deseruerint, ausi fuerint easdem recipere, excommunicatione plectentur: horum casuum cognitio ad episcopos tantum pertinebit; clerici porro quibus beneficia non suppetunt, ab episcopo trudentur in carcerem, a functionibus quæ eorum ordinibus addictæ sunt, suspendentur, omnibusque beneficiis inhabiles declarabuntur; quod si episcopi ipsi in hanc depravationem inciderint, nec ab ea post provincialis synodi admonitionem recesserint, *ipso facto* suspensi erunt; ac, si delinquere pergunt, a synodo deferentur ad Papam qui eos, per beneficii privationem, pro criminis ratione puniet.

Caput decimum quintum enuntiat clericorum illegitimos filios non posse beneficia seu ministerium in ecclesiis habere in quibus eorum patres habent vel habuerunt, ullamve pensionem super beneficiis quorum possessores sunt aut fuerunt eorumdem patres; si quid ejusmodi pater & filius habent in eadem ecclesia, filium oportere illud resignare intra menses tres, aut permutare; omnem resignationem a patre factam amico, ut deinde resignet ejusdem filio, nullam fore.

Caput decimum sextum beneficia quibus adjuncta est animarum cura, in simplicia beneficia converti vetat, etiamsi congrua portio vicario designaretur, gratiis omnibus nihil obstantibus, quæ quidem suum plenum effectum non habuerunt; ad ea quod attinet quibus addicta animarum cura deducta est in vicarium perpetuum cui congruam portionem non suppetere compertum fuerit, quamprimum ab ordinario provisum vult.

Caput decimum septimum obsequentiam detestatur qua quidam episcopi abjectum & servilem in modum cum regum aliorumque dominorum officiariis utuntur, suumque characterem dedecorant, eo devenientes, ut iis in ecclesia locum cedant, ipsique tamquam officiarii servitium præstent; quamobrem concilium omnes generalium conciliorum canones, cæterasque apostolicas constitutiones ad honoris dignitatisque episcopalis incolumitatem spectantes renovat mandatque episcopis, ut ab his omnibus abjectionibus abstineant meminerintque se pastores esse; principibus omnibusque commendans, ut eos tamquam filii parentes observantia prosequantur.

Decimum octavum caput fideles monet oportere, ut sanctos canones fideliter servent; & si qua subest urgens cum aliquo dispensationis causa, concilium hac in re cum causæ cognitione procedi vult, semperque gratuitam dispensationem esse.

Decimum nonum caput omnino eliminandum ait e Christiana republica execrandum singularium certaminum usum quem diabolus ad animarum perditionem induxit, declaratque fore, ut imperator, reges, principes aliique temporales domini qui suis in terris ad hæc inter Christianos ineunda certamina locum concesserint, excommunicati ex eo ipso temporis momento sint, urbisque aut oppidi in quo per eos certamen iniri licuerit, siquidem locus ab Ecclesiæ jurisdictione pendeat, dominio spoliati censeantur; singulares pugnatores, vulgo duellistæ, eorumque patrini in excommunicationis, bonorum jacturæ, perpetuæque infamiæ pœnam incidant; &, siquidem in pugna ipsa moriuntur, ecclesiastica sepultura priventur; instigatores denique, promotores spectatoresque certaminis excommunicationi pariter subsint.

Caput vicesimum enuntiat sperare concilium fore, ut Principes æquo animo ferant in sua Ecclesiam jura regredi, atque adeo suos subditos ad cleri observantiam adducant; Ecclesiæ ecclesiasticarumque personarum immunitates a suis officiariis suisque magistratibus violari non patiantur; sed suo eos exemplo excitent, ut summorum pontificum & conciliorum constitutionibus obsequantur. Eos oportere declarat sanctos canones, generalium conciliorum decreta & sanctiones a summis pontificibus, in ecclesiasticorum favorem, latas servare. Hortatur imperatorem, reges, principes & respublicas, ut id quod ad Ecclesiam pertinet, revereantur, eamque suis in juribus turbari non sinant, quo prælati cæterique ecclesiastici pacifice residere, suoque ad populi ædificationem munere fungi possint.

Caput vicesimum primum declarat, quæcunque sint clausulæ & verba quæ in reformationis decretis sub summis pontificibus, Paulo, Julio & Pio editis continentur, eam concilio mentem esse, ut semper in integro maneat apostolicæ sedis auctoritas.

PROSECUTIO SESSIONIS XXV.

De Decreto super Indulgentiis.

Enuntiat decretum hoc, cum indulgentias conferendi potestatem Ecclesia a Christo Domino acceperit, eaque omnibus retro actis temporibus usa fuerit, concilium declarare usum hunc tamquam Christiano populo apprime salutarem & a sanctis conciliis approbatum habendum esse; eosque anathemate percellere qui ajunt indulgentias inutiles esse, easve tribuendi jure haud Ecclesiam pollere; cupiens tamen eas, ex Ecclesiæ veteri consuetudine, cum circumspectione & moderatione, conferri, & ut abusibus qui quoad hanc rem irrepserunt, remedium offerat, concilium negotiationis genus omne, quod attinet ad caput hoc, interdicere, episcopisque mandare, ut omnes abusus per eorum diœceses hac in re disseminatos sedulo congerant & ad provinciale concilium deferant ad summum deinde pontificem remittendos, qui, super hoc negotio, quod universæ Ecclesiæ expediet, id statuat, ut in omnes fideles sancte incorrupteque indulgentiarum gratia distribuatur.

Super Ciborum delectu, Jejuniis & Festis diebus.

Præterea, sanctum concilium, per Servatoris adventum, pastores omnes hortatur, ut, tamquam boni milites, omnibus fidelibus omnia commendent quæ Romana Ecclesia mandavit, & quicquid in hoc & in cæteris omnibus generalibus conciliis statutum fuit; nullamque non diligentiam adhibeant, ut eos ad servanda pertrahant quæ peculiariter ad carnis macerationem conferunt, cujusmodi est jejuniorum usus, quæque pietatem augent, e quorum numero potissimum est festorum dierum sanctificatio; eos sæpe monentes, suis ut superioribus pareant.

Quod ad prohibitos libros spectat, concilium ait aliquibus e concilii patribus, in sessione secunda, sub Pio IV. eam demandatam provinciam esse, ut, super hac re, quid fieri congrueret, expenderent; sed, quoniam, ob ingentem malorum librorum numerum, de singulis ex tempore judicium ferri non poterat, se proinde rem hanc totam, itemque Catechismum, Missale & Breviarium remittere.

Denique concilium principes ad unum omnes exstimulat, ut ne ejus decreta ab hæreticis violari sinant,

sed

sed ea potius a suis omnibus subditis recipienda fideliterque servanda curent; quod si quid in iisdem occurrerit quod explicationem postulet, Papa prospiciet, seu e locis ipsis, ubi difficultas suborta fuerit, perspicaces viros appellans quibuscum eam solvat disjiciatque, seu generale rursus concilium convocans, seu alia demum ratione quam congruam judicaverit.

Concilium Narbonense, an. 1551.

Decembris mensis die 10. inchoatum concilium hoc, ejusdem mensis die 20. finem habuit. Id ei singulare fuit, quod episcoporum nullus eidem interfuit ipse per se, verum illud omnino conflatum fuit e secundi ordinis ecclesiasticis quos hujus provinciæ præsules & cathedrales ecclesiæ miserant, si excipiatur Elnensis ecclesia a cujus episcopo & capitulo nemo missus. Interfuit Abbas Caunus, totiusque cœtus caput fuit Alexander Zerbinatis, in jure professor, sanctæ Sedis protonotarius, & cardinalis Francisci Pisani, Narbonensis archiepiscopi, generalis vicarius. Hi simplices presbyteri canones sexaginta sex edidere qui præclari sunt eorumque sollicitudinis experrectæque mentis eximium specimen exhibent.

Continet primus fidei confessionem in qua fit professio credendi unam Ecclesiam sanctam, catholicam & apostolicam (cujus Christus Dominus caput est) sub sancti patris nostri Papæ jussu & auctoritate; cui quidem Ecclesiæ omnes & singuli Christifideles obedire debent, quemadmodum recipere debent quicquid per concilia legitime congregata & a Spiritu Sancto afflata ductaque, per canalem veluti quemdam, e sancta Romana Ecclesia sanctisque Patribus derivatur. In ea generatim novæ omnes hæreses rejiciuntur; exhibeturque doctrinæ compendium quam super septem sacramentis, purgatorio, prece pro mortuis, Missæ celebratione, Beatæ Mariæ Virginis & Sanctorum cultu, jejuniis & abstinentiis, religionis votis, peregrinationibus ex pietate susceptis, Ecclesiæ cæremoniis, Imaginibus, libero arbitrio & bonis operibus Romana Ecclesia profitetur. Denique declaratur recipi omnino Parisiensis theologicæ Facultatis articulos diei 10. Martii an. 1542.

Secundus annuntiat de pastoribus & de ovibus in sequentibus canonibus sermonem fore.

Tertius mandat, ut se quisque ad regulas a sanctis Patribus præscriptas conformet, quæ scilicet eos examini subdi & serio probari volunt, qui ad ordines extollendi, ne, si quis secus egerit, aliena peccata participet; &, quia præstat parvum bonorum ministrorum numerum quam inutilium inertiumque majorem existere, dabit proinde episcopus, imprimis, operam, ut de eorum qui se ad ordinationem præsentant, vita, familia, patria, ætate, bonis, educatione ingenioque ipse per se aut per eruditos prudentesque presbyteros certior fiat; & servabuntur canones qui vetant, ne spurii, qui corporalibus quibusdam vitiis laborant, qui præscriptam ætatem non attigerunt, qui bonis ad titulum sibi statuendum necessariis destituti sunt, qui denique nec scientiæ satis, nec congruos mores præseferunt, ordinibus initientur.

4. Tonsura non nisi ætatis anno septimo, quatuor minores ordines duodecimo, subdiaconatus decimo octavo, diaconatus vicesimo, presbyteratus vicesimo quinto conferentur.

5. Non ordinabuntur nisi qui Deum timent eique serviunt; qui parentes amore prosequuntur, & honore afficiunt, quique iisdem servitium præstant, &, prout opus habent, opitulantur; qui casti, pacifici & discordiæ hostes, ergaque omnes æqui sunt.

6. Ad sanctos ordines legitimi tantum filii admittentur; omnesque spurii ab iis arcebuntur.

7. Neminem ordinabit episcopus, quin eum probe norit ipse per se; vel per exhibitam e scripto fidem judicis ordinarii seu consulum loci ejus nativitatis aut domicilii, qui testentur ei ætatem, mores & natalia ad clericaturam requisita suppetere.

8. Nemo ordinabitur cui non adsit beneficium, aut valoris turonensium saltem triginta librarum primordialis titulus quem jurabit se non alienaturum, quoad eodem carere possit, ut vitam trahat, cujusque apud episcopi secretarium relinquet actum qui rem probet, autographum, aut exscriptum, quemque ordinarius loci beneficii aut patrimonialis tituli judex signaverit.

9. Nemo ordinabitur nisi post maturum super ejus idonea indole examen, graduatus licet, austerove ex ordine religiosus sit. Id erit curæ, peculiariter, ut qui ad sacerdotium aspirant, ecclesiasticum sciant, & ad Evangelii textum populo explicandum idonei sint.

10. Non ordinabitur balbus, non mancus, non quicunque per canones, ob morbos aut vitia corporis, ab ordinibus excluditur.

11. Dimissorias litteras ad ordines iis tantum episcopi tribuent quibus omnes, ut supra, firmatæ qualitates & conditiones præsto fuerint.

12. Ii ad quos pertinet dimissorias litteras dare, haud satis habebunt pene se exonerare conscientiam suam super eorum statu & dispositionibus quibus eas tribuunt, sed testabuntur eos dignos esse qui ordinentur; & pro quoque peculiariter ordine dimissoriam epistolam, non autem unam tantum pro omnibus dabunt. Hæ dimissoriæ, itemque ordinationis litteræ gratis dabuntur, aut saltem qui eas expedient, non nisi modicum salarium accipient.

13. Non recipientur ad sanctorum mysteriorum celebrationem vel ad parœciarum servitium vagi sacerdotes, & generatim eorum quispiam qui sine episcopi venia & commendatitiis litteris e suis diœcesibus egrediuntur.

14. Quoniam presbyteri debent esse sobrii, modesti, casti, continentes, omnique in re fidelibus exemplum præbere, decet proinde eos veste omnique externa specie in id argumenta dare.

15. Simplex erit & modestus ecclesiasticorum, præsertim vero canonicorum habitus. Non serica deferent, non plumis ornatum pileum, non in digito annulum, non torquem sæcularium in modum. Tonsuram gerent ordini congruam, longumque habitum, at breviorem per iter ferre poterunt, qui tamen ad genua usque descendat.

16. Monachi qui coronam & habitum sui ordinis proprium non ferent, ab ordinario punientur e summo canonum jure, eorum privilegiis aut exemptionibus nihil obstantibus.

17. Vinolentiam vitabunt clerici, nec tabernas nisi iter agentes ingredientur; idque, sub carceris pœna. Neque vero tabernarios agent, sub eadem pœna aliisque gravioribus.

18. Non ludent, nec intererunt prohibitis ludis, & peculiariter aleis, si quidem easdem pœnas subire noluerint.

19. Eadem in eos pœna qui choreis se dedent, qui personati incedent, aut qui mimicis histrionum ludis intererunt.

20. & 21. In clericos interdictio, ne arma, nisi forte per iter, gerant; ne serviles professiones exerceant; ne se statuant rei domesticæ curatores, litium sollicitatores, argentarios, mercatores, usurarios, judices, procuratores aut notarios in sæcularis justitiæ tribunalibus.

22. Nulla clericis erit cum feminis familiaritas. Earum nullam excipient apud se, quarum licentior est vitæ ratio, quasve ætas suspectas reddit. Non eas invisent quæ fama laborant, nullumque depravationis locum subibunt. Concubinarii trudentur in carcerem, punienturque cæteris pœnis quas canones iisdem imponunt. Eos parochi, sub excommunicationis pœna, ad episcopos eorumve magnos vicarios deferre debebunt.

23. Clerici concubinarii qui suos, aut feminarum filios, quæ absonis rumoribus occasionem præbuerant, apud se retinebunt, excommunicationi subdentur & ad arbitrium punientur.

24. Clerici rei qui a magistratibus capti fuerint, ad episcopum remittentur, sine strepitu, iisque adhibitis circumspectionibus quæ eorum status sanctitati debetur.

25. Ecclesiastici qui terras possident quibus insunt justitiæ tituli, criminibus præventos homines non recipient, prætexentes id genus homines esse ad audaciam factos, & ejusmodi, ut dominorum qui eorum opera utuntur, mandatis observantiam concilient.

26. Omnes beneficiarii exhibeant, oportebit, intra mensem, ordinis litteras quarum vi beneficia possident, itemque dispensationes quas obtinuerunt, ut ea possiderent, quæ ejusmodi litteras postulant.

27. Omnes clerici, seu sæculares seu regulares qui beneficia tenent quibus est animarum cura, accuratam perpetuamque residentiam servabunt, præter quam quibus in casibus ab ea canonice dispensati ad tempus fuerint, eam, secus, pœnam subituri, ut tertiam annui reditus partem amittant.

28. & 29. Curabit diœceseos præses, ut litteratos & ad exemplum probos vicarios ponat in parochorum locum quos legitimæ causæ abesse coegerint, honestæque eorumdem vicariorum sustentationi consulat.

30. Parochi ipsi qui abesse cogentur, operam dabunt, ut suis vicariis ad eleemosynam erogandam, & hospitalitatem exercendam satis relinquant.

31. Omnes beneficiarii quibus animarum cura est, vicegeren-

gerentes quos in legitimæ abſentiæ caſu ſibi ſufficient, epiſcopo ejuſve magno vicario, ut ab iis approbentur, præſentare debebunt.

32. Parochi aut vicarii non alibi degere poterunt quam in presbyterio quod ornare & reparare debebunt e beneficii reditibus.

33. Codicem habebunt in quem eos referent quos baptizant quoſque ſepeliunt; & codex hic in eccleſia ſervabitur.

34. Præſto erunt cuique parocho vetus & novum Teſtamentum, Evangeliorum & Epiſtolarum quæ per anni curſum in miſſa dicuntur, explicationes, & parochorum manualis liber.

35. Omnes parochi dominicis diebus ſingulis prædicabunt, legent explicabuntque parochianis Evangelium, eoſque docebunt *Pater*, *Ave*, *Credo*, *Confiteor*, Deique & Eccleſiæ præcepta.

36. Parochianos monebunt, ut omnibus dominicis omnibuſque feſtis diebus ad parœciæ miſſam veniant, ibique modeſte ſe gerant; flexis genibus, ſtantes, aut ſedentes, ad celebrantis benedictionem uſque.

37. Alienigenas presbyteros prædicare non ſinent, quin iis epiſcopi facultates ſuppetere certi ſint; omneſque concionatores, in ſermonis initio, elata voce, ſalutationem angelicam recitabunt.

38. Sanctam Euchariſtiam, in eccleſia, parochi & vicarii, appoſita clave, ſervabunt, nec ſine lumine, ſeu interdiu, ſeu noctu, relinquent; eamdem ad ægrotantes non ſine aliquo luminari deferent, monebuntque populum, ut genuflectat, eam adoraturus, ſeu cum ipſa ad infirmos affertur, ſeu cum miſſa celebratur. Decima quinta quaque die ſanctas hoſtias, & ſingulis annis ſanctum chriſma renovabunt.

39. Habebunt omnia ornamenta & vaſa omnia ad divinum cultum neceſſaria, & admodum decenter eadem tenebunt.

40. Omnes cujuſque parœciæ presbyteri parocho ſua munia obeunti feſtis & dominicis diebus, ſuppetias ferent, adſiſtentque eccleſiaſticis induti veſtibus.

41. Nihil exigetur ob ſacramentorum adminiſtrationem, vel ob funera, niſi forte ob æris campani ſonum; at id accipi poterit quod libere oblatum fuerit. Sicubi fuerint conventiones aut conſuetudines huic decreto contraria, nec ſacramenta nec ſepultura negabuntur, harum conſuetudinum harumve conventionum violationis obducta cauſa.

42. Severe punientur parochi cæterique presbyteri qui diœceſanæ ſynodo deerunt cui intereſſe debent.

43. Cathedralium eccleſiarum Theologales ei legi ſuberunt, ut per Quadrageſimam & Adventum prædicent, & prætera gratis in eccleſia ſacram Scripturam canonicis omnibuſque urbis presbyteris explicent. In cathedralibus vero quibus Theologalis non ſuppetit, quam citiſſime poterit, inſtituetur, addiceturque huic inſtitutioni præbenda quam primam vacare contigerit.

44. Eccleſiaſtici qui capellas vel alia ſacerdotalia beneficia, extra cathedrales & collegiatas eccleſias, extraque monaſteria, poſſident, eorum beneficiorum onera exhibere debebunt, & facere iiſdem ſatis, prout fundatio præſcribit; ſecus, miſſarum quas dicere, cæterorumque officiorum quæ obire debebunt, numerum ordinarius ipſe iiſdem imponet.

45. Pulſabuntur congruis horis æra campana, populi ad eccleſiam convocandi, excitandæque pietatis ergo. Clerici non ſine eccleſiaſticis indumentis, canonicarum horarum initio, ſe choro ſiſtent, ut communi voce ac religioſe divinum officium recitent, quin rideant, garriant, aliumve librum, vel ipſum Breviarium, legant:

46. Omnis generis ſpectacula, cantilenæ rumoreſque riſui movendo inſervientes ab eccleſiis arcebuntur.

47. Arcebuntur itidem ab eccleſiis & cœmeteriis choreæ & convivia quæ depravationem & licentiam olent. Neque vero patientur parochi ſuos parochianos. etiam privatis in domibus, agere quaſdam epulas dictas *deſructus*, aut canere, *Memento, Domine*, *David*, ſine *truffa*.

48. Pax & ſilentium ſervabuntur in eccleſia, dum divinum officium peragetur; ac tum quidem nec rumori, nec deambulationi, nec inutilibus, vel ad ſæcularia negotia ſpectantibus ſermonibus locus erit.

49. Parochianos monebunt parochi, ut feſtos & dominicos dies ſanctificent, ſcilicet, ad precem incumbant, ſermoni & divinis officiis interſint, & ab omni, per eos ſane dies, ſervili opere, a venditionibus, ab emptionibus, a negotiatione, ab omnibus denique peccatis abſtineant.

50. Omnes ad unum parochiani, ſemel in anno, apud proprium parochum confeſſionem edent, ex ejuſque manu communionem ſuſcipient, niſi alibi confitendi & communicandi facultatem ab eo obtinuerint. Tenebit ſingulorum indicem, qui ſuum paſcha peregerint, & epiſcopo ejuſve magno vicario, intra dies octo, eos omnes denuntiabit, qui huic non fecerint officio ſatis.

51. Confeſſionales, ut vulgo nuncupantur, non admittentur, quin eos epiſcopi aut magni eorumdem vicarii viſitaverint. Jam vero *confeſſionales* de quibus hoc in canone ſermo eſt, erant litteræ, ſchedulæ ſeu chartæ quædam quas quæſtores populis quibus prædicabant, diſtribuendas ſecum ferebant, quæque plures gratias ſeu privilegia continebant, ut confeſſarii pro cujuſque arbitratu eligendi, &c.

52. Medici ſuos ægrotantes ad confeſſionem edendam adducent.

53. Matrimonii celebrationem ſemper bannorum proclamationes tres, dominicis aut feſtis diebus peragendæ, itemque tridui poſt ultimam proclamationem intervallum præcedent. Non conjungentur in matrimonium alienæ diœceſeos perſonæ, niſi ex proprii earum epiſcopi aut magni ejuſdem vicarii, aut ordinarii judicis earumdem domicilii teſtimonio conſtet in iis nullum impedimentum ad matrimonium exiſtere. Matrimonia, extra legitimæ diſpenſationis caſum, in parochialibus tantum eccleſiis & publice fient.

54. Parochi epiſcopo omnes ſuarum parœciarum adulteros & concubinarios denuntiabunt.

55. Non ferent epiſcopi aliquo in monaſterio unum tantummodo religioſum eſſe, aut religioſas ſuis e clauſtris egredi, vel in ea quempiam recipere, ſine aliqua urgenti cauſa & ſine ſuperioris venia.

56. Nemo inſtituetur Scholæ magiſter, quin prius epiſcopo, vel ejus magno vicario, vel denique eccleſiaſtico ad quem ejuſdem inſtitutio ex jure aut ex conſuetudine pertinet, præſentatus fuerit, ut ſuper fide, moribus & ſcientia examinetur.

57. Epiſcopi pro viribus adnitentur, ut hæreſes, ſortilegia, veneficia, auguria, omnium denique generum ſcandala & ſuperſtitiones exſtirpent. Parochianos ſuos monebunt paſtores, ut carne, ovis & lactariis, per vetitos dies, abſtineant, nec iis veſcantur ſine conſilio medici, confeſſarii, aut ſaltem parochi cujus erit epiſcopum ſtatim de re monere. Iiſdem præterea quibus præſunt, edicent parochi, ne, potiſſimum ad menſam conſidentes, de religionis negotiis diſputent.

58. Ex generalium conciliorum ſtatutis, epiſcopi non ſinent quæſtores ſuis in ſermonibus aliud proponere, quam quod in eorum bullis ſeu litteris indulgentiarum continetur.

59. Epiſcopi, vel generales eorumdem vicarii, ſaltem ſemel quoque triennio, diœceſin ſuam viſitabunt, ut in ea corrigant quicquid correctione indiguerit.

60. Excommunicati denuntiati adigentur, impoſitis pecuniariis mulctis aliiſque pœnis, ut ſe ab excommunicatione liberandos curent; & quicunque excommunicatus denuntiatus extiterit, nullum publicum officium obire poterit.

61. Indulgentiores, ad diſpenſationes concedendas, ordinarii non erunt.

62. & 63. Eccleſiæ parocho, in qua quiſpiam ut plurimum cum familia commoratur, decimas & primitias ſolvet.

64. Qui fidelium eleemoſynas in eccleſiis colligunt, eas in peculiarem codicem referent, &, ad anni finem, earumdem rationem reddent.

65. Præſto erit unicuique parœciæ liber in quo ejus omnia mobilia & immobilia bona deſcripta erunt.

66. Subduntur Romanæ Eccleſiæ judicio omnia ſtatuta hæc neque vero contenditur generalibus aut provincialibus conciliis uſu receptis confirmatiſque derogari, vel Chriſtianiſſimi regis, Gallicanæ Eccleſiæ ſanctorumque decretorum auctoritatem lædi. *Lab. Tom. XV. Hard. Tom. X.*

Concilium Remenſe, an. 1564.

Cardinalis Lotharingicus, cum a Tridentino concilio reverſus eſſet, habuit, Remis, Decembris menſe, ſuæ provinciæ concilium hoc, in quo ſcilicet Tridentini concilii decreta recipienda curaſſet, & ad cleri reformationem incumberet. Epiſcopi Sueſſionenſis, Silvanectenſis, Catalaunenſis ipſi per ſe, epiſcoporum vero Noviodunenſis, Laudunenſis, Ambianenſis & Bononienſis (in Gallia) procuratores adfuere cœtui. Appellati pariter ad concilium archiepiſcopus Senonenſis & epiſcopus Verodunenſis qui Remis eo tempore verſabantur. Capitulorum deputati & abbates plures ſua in eo

in eo suffragia contulerunt. Ibi lecta fidei professio per quam Tridentini concilii decreta approbabantur, & unde viginti statuta seu constitutiones quoad disciplinam editæ.

1. Parochi residebunt suis in parœciis, ei pœnæ, secus, obnoxii, ut iisdem priventur, post absentiæ annos tres, ab episcopis qui eas, tamquam vacantes, idoneis viris conferent. Ut residentiæ officio faciat parochus satis, eum sua in parœcia otiose commorari non sufficit; necesse præterea est, ut animum ad suum gregem cognoscendum intendat; ut pro eo missæ sacrificium offerat; ut eum verbi pane nutriat; ut ei sacramenta administret; ut eum suis exemplis ædificet, &, prout spiritales & corporales ejusdem rationes postulaverint, solatio afficiat.

2. Tridentini concilii doctrina suum parochi populum imbuent; ei, singulis saltem dominicis festisque diebus, ex epistola, evangelio aliove Sacræ Scripturæ libro aliquid explicabunt, imprimis vero quicquid ad salutem necessarium est, eumdem docebunt.

3. Ei pariter sacramentorum quæ ab iis suscepturus est, vim & usum vernacula lingua exponent, eumque hortabuntur, ut digne ad eadem accedant.

4. Patrinus unus & matrina una, ut summum, aderunt qui super baptismi fontibus infantem levent; & hi quidem spiritalem affinitatem cum baptizato tantum baptizatique patre & matre contrahent. Personæ quæ baptizant, spiritalem cognationem non contrahent & ipsæ nisi cum baptizato ejusque patre & matre; qua de re monebunt eos parochi qui etiam eorum, baptizatique pueri patris & matris nomina, itemque administrati Baptismatis diem & annum in codice inscribent.

5. Nullum celebrabitur matrimonium ab Adventu ad Epiphaniæ diem usque, vel a cinerum die ad Paschatis diem & hunc ipsum. Hortabuntur parochi futuros sponsos, ut suo proprio presbytero confiteantur, & triduo saltem ante communicent quam matrimonium ineant; monebuntque præterea, ut matrimonium sancte tractent, ejusque sanctitatem nec operibus nec sermonibus lædant.

6. Parochi bonorum omnis generis operum exemplum præbebunt.

7. Nominabuntur, quotannis, in synodo, sacerdotes sex idonei, sæculares aut regulares, ut eos examinent qui ad aliquam curam præsentati aut nominati fuerint. Jurabunt super sanctis Evangeliis examinatores suæ se commissioni fideliter, sine personarum acceptione, facturos satis, examinisque occasione, seu antea seu postea, nihil sumpturos. Non admittent nisi aptos congruosque viros, etiamsi vacantes curæ ad patronatum laicum spectarent.

8. Agent episcopi, quicquid in ipsis erit, ut non nisi per gradus & post longas probationes, ordines conferant.

9. Ad tonsuram nemo admittetur, quin confirmatus sit, quin suum catechismum probe calleat, quin legere & scribere sciat, & quin de ejus ad ecclesiasticum statum vocatione certo constet. Tonsurati non gaudebunt clericaturæ privilegio, nisi cum clericalem habitum deferent, eruntque, ex episcopi mandato, vel in aliqua ecclesia, cui, prout eorum erit, deserviant, vel in aliqua universitate, vel in aliquo seminario, ut se ad superiores ordines comparent.

10. Restituentur in cathedralibus, collegiatis & parochialibus ecclesiis minorum ordinum munia; & hæc quidem, si clerici desint, conjugati, modo bigami non sint, iidem tamen integræ vitæ homines obire poterunt.

11. Tribuentur minores ordines iis tantum qui saltem latine scient, vitamque agent quæ exemplo sit. Jubebuntur interstitia servare, ut ab uno ad alium ordinem deferantur; nec evehentur ad sacros ordines nisi anno postquam minorum ordinum postremum susceperint, nisi ecclesiæ necessitas vel utilitas postulet, ut tempus hoc præveniatur. Ad minores ordines aspirantes idoneum suorum parochorum suorumque scholæ magistrorum testimonium secum afferent.

12. Nullius prorsus ordinis gradus cuipiam tribuetur, quin statæ ecclesiæ piove alicui loco, ubi obeat officium suum, addicatur; nullusque clericus alienigena ad missæ celebrationem, vel ad sacramentorum administrationem, sine commendatitiis episcopi sui litteris, admittetur.

13. Non conferetur subdiaconatus nisi vicesimo secundo, diaconatus vicesimo tertio, & presbyteratus vicesimo quinto ætatis anno. Nemo subdiaconus fiet, nisi ex beneficio vel aliunde habeat ad victum satis.

14. Qui sacrum aliquem ordinem suscepturi sunt, mense ante ordinationem, episcopis eorumve magnis vicariis se præsentabunt, ut parochi eorumdem aspirantium nomina captumque ab iis consilium in ecclesia enuntient, eorumque natalia, ætatem & mores diligenter explorent.

15. Quicunque clerici ordinati fuerint, ad ecclesias se conferent, quibus addicti erunt, ut ibidem sui ordinis functiones obeant; ibique ad magnam missam omnibus Apostolorum festis, præcipuisque cæteris solemnibus diebus communicabunt.

16. Declaramus haud licere seu nobis ipsis, seu officiariis nostris quicquam accipere ob ordines, ob tonsuram, ob dimissorias aut testimoniales litteras, ob sigillum, ob aliud ejusmodi. Secretarii nostri solummodo aurei scuti decimam partem (*decimam tantum unius aurei partem*) ob dimissorias seu testimoniales litteras recipere poterunt, quin ullum nobis inde seu directum seu indirectum emolumentum derivari possit.

Aurei scuti alius aliis temporibus valor fuit; at illud centum quatuordecim solidis fere constitit.

17. Omnes clerici suam vitæ rationem ita componere debent, ut nihil non in vestitu, gestu, incessu, sermonibus gravitatem, moderationem & religionem exhibeat; evitent leviora ipsa peccata quæ in eorum personis gravissima essent, suaque ad eos acta omnium observantiam & venerationem pertrahant. Renovamus hac de causa quicquid unquam Papa & concilia quoad clericorum vitam moresque mandarunt, itemque pœnas quas in transgressores decreverunt, quin appellatio suspendere earum executionem possit quæ morum correctionem spectant.

18. Suas visitationes præscripto tempore peragent archidiaconi, & mense post episcopis earum rationem reddent; his autem visitationibus id erit propositum, ut cleri populique fides moresque explorentur, corrigantur quæ corrigenda, vel hæc ipsa ad episcopos deferantur; ut visitatores neminem non ad pacem & veritatem hortentur, omnibus exhibentes charitatis, modestiæ abdicatæque cupiditatis exemplum, caventes, ne cui onus aut scandalum afferant, viaticoque seu stipendio contenti sint quod lex aut consuetudo præscripsit.

19. Archidiaconi decanique rurales monebunt sæpe clericos & potissimum parochos, ut cum pietate vivant, preci se dedant, suosque greges ad pœnitentiam agendam & parochiales ecclesias reparandas hortentur quas Deus fœdari & diripi passus est, ut cleri & populi peccata puniret. *Ibidem.*

Concilium Cameracense, an. 1565.

Maximilianus de Bergues, archiepiscopus Cameracensis, habuit concilium hoc, mense Augusto an. 1565., una cum episcopis Tornacensi, Atrebatensi, Audemaropolitano, Namurcensi; in eoque plura statuit Tridentini concilii constitutionibus consentanea, cum fidei professionem super ejusdem concilii doctrina edidisset.

De Hæreticorum libris, suspectis prohibitisque.

1. Bibliopolis & typographis non licebit libros vendere aut aliunde ad se mittendos curare, quin persecerint, ut ab iis ad quos id ex jure pertinet, eorum catalogus approbaretur; & magistratus rogabuntur, ut eos jubeant fidei professionem secundum Tridentini concilii doctrinam edere, sanctæque sedi obedientiam promittere.

2. Episcopi, parochi & concionatores, quoad poterunt, magiæ & divinationis libros omnes exterminabunt.

3. Expungetur e precum libris quicquid falsi & superstitiosi iisdem inesse poterit.

De theologicis Lectionibus in Capitulis & Monasteriis.

1. Servabitur Tridentini concilii in sessione quinta decretum, quod attinet ad theologiæ lectiones in capitulis & monasteriis.

2. Instituentur in iis ergo theologiæ professores qui ita docebunt, suis ut auditoribus prudentiam & scientiam inspirent.

3. & 4. Episcopi, capitula & monasteria perficient, ut quam plurimi hos professores confluant; eorumque lectionibus statos dies & horam præscribent.

De Scholis.

1. Operam dabunt episcopi, ut christianas scholas, ad pueros religionis elementis imbuendos, restituant aut servent.

2. Dominicis festisque diebus singulis, parochi, capellani,

pellani, clerici aut scholæ magistri, in puerorum gratiam, catechismum edent; puerique & puellæ, quoad fieri poterit, in scholis, invicem sejungentur.

3. Scholæ magistri non nisi ab episcopo approbatos libros suis discipulis legent.

4. Horas aliquo, quicunque fuerit, errore infectas nemo servabit; eæque tantum venales exponi poterunt quæ ab episcopo ejusve delegatis approbatæ fuerint.

5. Sui singulis parœciis scholæ magistri ad juventutis institutionem aderunt. De puerorum progressu; quoque mense, parochi inquirent; suamque omnem sollicitudinem conferent, ut iis Domini timor & amor, ab ipsis incunabulis, inspiretur.

6. Rurales decani, sexto quoque mense, aut quoque saltem anno, has minores scholas visitabunt, &, quam quisque scholæ magister in juventute instituenda rationem servet, ordinario significabunt.

De Seminariis.

1. 2. & 3. Cum seminariorum institutio maxime, si quid aliud, adjumento sit, suus ut vetus splendor Ecclesiæ & Sacerdotio reddatur, fiet, quamprimum poterit, ad hanc institutionem super beneficiis omnibus contributio.

4. Pueris qui in seminariis collocandi sumentur, erit duodecim saltem annorum ætas; iidem prima litterarum elementa scient; &, postquam annos quatuor, pluresve aut pauciores, prout episcopo visum fuerit, ibidem transegerint, ad superiores scholas mittentur.

5. 6. & 7. Instituetur duplicis generis fundus; unus quo alantur, in seminario, pauperum filii; alter quo facilior in illud ingressus iis reddatur qui nec divites nec pauperes sunt. Jurabunt patres aut tutores eam sibi mentem esse, ut iidem pueri ecclesiasticum statum amplectantur, in eoque perseverent.

De Doctrina & Prædicatione verbi Dei.

1. Omnibus dominicis omnibusque solemnibus festis diebus parochi prædicabunt.

2. Suos parochianos super apostolicis traditionibus itemque super sanctarum cæremoniarum vi & institutione edocebunt.

3. Charitatis multum, agitandis controversiæ quæstionibus, exhibebunt, & satis habebunt id explicare quod credi oportet, quin hæreticos injuriis afficiant. Si ad ejusmodi res pertractandas scientia non satis pollent, eo se redigent, suos ut auditores ad Domini timorem, ad omnium religionis officiorum usum, & ad omnium vitiorum fugam hortentur.

4. Neminem sine ordinarii venia suis in ecclesiis prædicare sinent, & ab omni dogmate non solum hæretico, sed etiam superstitioso aut fabuloso abstinebunt.

5. Non habebunt parochi libros qui religionem aut mores corrumpere possint, sed bonos tantum, quique a catholicis universitatibus approbati sint; omnino, sub juris in hujus decreti transgressores pœnis.

6. Parochi qui concionari non possunt, per alios concionatores approbatos se supplendos curabunt.

De divino Cultu, Cæremoniis & Officio.

1. Concilium servari jubet quicquid super sancta Eucharistia Tridentinum decrevit; omnesque sacerdotes hortatur, ut sanctum missæ sacrificium cum attentione & pura conscientia celebrent.

2. Ecclesiarum rectores episcopo ejusve magno vicario aut officiali omnes presbyteros denuntiabunt qui accedent missam dicturi, postridie ejus diei qua notorium, quodcunque fuerit, ut ebrietatis, &c. crimen patraverint.

3. Quia missæ partes quædam, ut Epistola, Evangelium, Symbolum, institutioni fidelium, aliæ laudi, aliæ preci addictæ sunt; priores quidem ita legentur aut canentur, ut, qui adsunt, verba singula audire possint; adeoque ad Symbolum silebunt organa, nullusque musicæ locus erit, nisi id tam simplicem in modum fiat, ut impedimento non sit, quominus ejusdem Symboli vocabula omnia percipiantur, quin ea repeti necesse sit. Missæ partes, ut *Gloria in excelsis*, hymnique aut prosæ quæ ad laudem pertinent, graves aptosque ad pia sensa excitanda modos musicos adjunctos habere poterunt. Id vero quod ad precem refertur, ita legetur aut canetur, ut supplicationem potius quam lætitiam referat.

4. Sedulo cavebitur, ne quid in organorum usu lascivi sit; eaque adhiberi licebit ad Prosam, ad Offertorium, ad *Sanctus* & ad *Agnus* Missæ.

5. Episcopus ipse per se vel per alios expendet prosas quæ Ecclesiæ usui esse debebunt.

6. Cæremoniæ quas ab apostolis vel a Catholicæ Ecclesiæ traditione accepimus, cum sanctæ piæque sint, religiose servabuntur. Exquirent episcopi, an quæ pluribus ecclesiis peculiares sunt, quicquam habeant, quod haud analogiæ fidei pietatisque christianæ respondeat; nec novæ inducentur sine episcoporum approbatione, qui in id incumbent, ut omnes superstitiones de medio tollant, quæcunque in ecclesias irrepserint, *cæremoniarum* nomine, cujusmodi est præscriptio stati cereorum numeri, &c.

7. Canonici & capellani in choro concinent seu psallent; nec suo se officio perfunctos putabunt, si minus huic functioni fecerint satis, nisi eos forte valetudinis vitium aut alia legitima causa impedierit. Hebdomadarii quoque munus singuli per vices obibunt.

8. Operam dabunt episcopi, ut, quicquid incerti falsique Sanctorum actis, vulgo legendis quæ in ecclesia lectitantur, inesse potest, expungant; ea distincte legentur, nec celerius nempe nec lentius.

9. Episcopi, duobus canonicis duobusve monachis opem ferentibus, alienas omnes additasque preces a divino officio amovebunt, ut illud obiri possit religiosus, satisque temporis ad studium suppetat. Manuales distributiones matutinis, solemni missæ, vesperis & anniversariis pro defunctis addictæ erunt. Has percepturi non sinentur loqui aut per ecclesiam deambulare divini officii tempore; qui vero id egerint, diei quo deambulaverint, aut horæ officii qua locuti fuerint, distributionibus privabuntur.

10. Edi poterunt ad egressum ex ecclesia, at nunquam in ecclesia ipsa, proclamationes aut clamores quæ temporalia & profana negotia spectant.

11. Episcopi aliique superiores impedient, ne ecclesiastici, festis quibusdam diebus, in ecclesiis quædam agant quibus ethnicæ superstitionis plus quam christianæ modestiæ inest. Docebunt populos, ut eos sanctos dies per religiosam pietatem honore prosequantur; perpendentque, an eorum aliquos expungi quam pari eosdem depravatione ac licentia profanari satius fuerit. Perficient etiam, ut, ad festa & jejunia quod attinet, peculiares ecclesiæ, patronorum festis expunctis, se, quoad fieri poterit, ad metropolis usum redigant.

12. Supplicationes aut processiones publicæ populo annuntiabuntur, eique explicabuntur earumdem causæ, ut uberior fructus ex iis percipiatur. Habebitur concio diceturque missa in stationis loco; Litaniæ canentur non ad regulas exacto & harmonico, sed gravi vocis sono qui humilem & supplicem ecclesiæ dispositionem iudicet.

13. Archiepiscopo vel episcopo, pontificali ratione in sua cathedrali ecclesia celebranti semper aderunt archidiaconi duo, vel alii duo dignitarii, vel duo denique seniores canonici.

14. Abolebitur abusus eos cum strepitu expellendi qui sero ad chorum veniunt; satisque habebitur distributione ei horæ addicta eosdem privari.

15. Canetur missa, hora nona per hiemem, & octava per æstatem, ruralibus in parœciis.

16. Qui æra campana argute & numerose pulsant, perficient, ut ea nunquam lascivos & inhonestos modos, sed cantica solum aut hymnos resonent. Cantores ad divinum officium erunt presbyteri aut in sacris ordinibus constituti, aut saltem lectores & cælibatarii, quoad fieri poterit, & integris iidem moribus. Collegialium ecclesiarum decani servanda curabant capituli statuta; illudque non cogent, quantum licuerit, officii tempore.

De ecclesiasticis Ministris.

1. In ordinatione, servabunt episcopi ordinem in Romano Pontificali præscriptum.

2. Quicunque ordinandi fuerint, pridie quam ordinatio peragatur, aut etiam prius, episcopo se præsentabunt, ut episcopus ipse aliusve in id ab eo designatus iis breviter explicet catechismi præcipua capita quæ ad sacerdotale ministerium referuntur. Hora octava matutina, fiet exercitatio hæc.

3. Duabus vero post meridiem horis, examen ordinibus congruum quos petunt, iidem subibunt, testimonium de vita & moribus, secum ferentes, quod ab eorum rurali decano vel parocho firmatum fuerit.

4. Sedulo eorum tituli qui subdiaconatum postulant, expendentur; iidemque jurare jubebuntur nunquam fore, ut eos alienent, nisi aliunde redituum satis ad victum habeant.

5. Metropolitanus non conferet, sine causæ cognitione,

tione, clerico beneficiam quod eidem ab ordinario negatum fuerit; quod si justa est recusationis causa, illud inexorabiliter & ipse negabit.

6. Capitula & abbates quorum ecclesiis curata beneficia unita sunt, ad ea parochos non nominabunt, quin episcopo præsentati fuerint, ejusque approbationem acceperint; eosque sine ejusdem episcopi consensu revocare non poterunt.

7. Parochi non poterunt nisi presbyteros ab episcopo rite approbatos sibi vicarios sumere.

8. Regulares ne presbyterorum quidem confessiones absque episcopi approbatione excipere poterunt.

9. Qui ecclesiarum fabricis præsunt, ad sacrum faciendum obeundasque fundationes, presbyteros eos tantum recipient qui, ut oportet, ab episcopo approbati, & huic officio a parocho addicti fuerint.

10. Qui præpositi sunt ecclesiarum custodiæ, sordida, cujusmodi sunt custodis nemorum & villici, munera sibi non sument. Iidem ornamenta, & mobilia suæ custodiæ concredita diligenter servabunt & reverenter tractabunt.

De Vita & Honestate Clericorum.

1. Evitabunt omnes clerici vinolentiam, & a prava ad bibendum mutuo provocandi consuetudine abstinebunt, ea, secus, indicta pœna, ut ab officio aut beneficio suspendantur.

2. Cavebunt etiam a gulæ vitiis, itemque a mensæ apparatu ac mollitie, simplici & frugali victu contenti.

3. Feminarum frequentatio nullo modo sacerdoti congruit cui præcipuo ornamento castitas esse debet; itaque sanctum concilium vetat, ne quis clericus in sacris ordinibus constitutus alienam & suspectam ullam feminam domi suæ habeat aut frequentet; gravis ex ordinarii arbitratu punitionis statuta pœna.

4. Eadem in clericos pœna, qui, cum modestas suoque statui congruas vestes ferre debeant, ausi fuerint eas ferre quæ militi magis aut laico quam clerico congruerent.

5. Episcopis cæterisque omnibus ecclesiasticis non alii domestici erunt, quam qui probis in omni vita ad ædificationem exemplumque moribus sint.

6. Clerici non nisi per iter ad cauponas se conferent.

7. Presbyteri qui primo sacrum facient, sedulo dabunt operam, ut, quicquid ad ebrietatem & insana gaudia vergeret, ut choreas & ejusmodi alia a prandio arceant quod hac occasione instruent.

De Episcoporum Examine.

Cum primum cathedralis ecclesia vacaverit, edentur publicæ preces, ut probe vocatus pastor a Deo petatur; &, cum ejus electio, postulatio aut nominatio peractæ fuerint, apponentur vacantis ecclesiæ foribus schedulæ, ut palam fiat liberum cuique esse impedimenta quæ electi, postulati aut nominati viri confirmationi obstaculo esse possent, apud metropolitanum vel apud provinciæ seniorem episcopum denuntiare. Metropolitanus aut senior episcopus, quod in ipso erit, consuetas inquisitiones super propositi præsulis natalibus, ætate, moribus, scientia, omnibus denique qualitatibus peraget, nihilque non subscriptione firmatum obsignatumque ad Papam mittet.

De Parochorum Examine.

Super hoc negotio servabitur sessionis vicesimæ tertiæ decimum octavum Tridentini concilii caput.

De Episcoporum Residentia.

1. 2. & 3. Servabitur Tridentini concilii decretum quod vetat, ne ultra menses tres a suis diœcesibus absint episcopi, sine legitimis causis quas suis metropolitanis declarare debebunt. Cavebunt iidem episcopi, ne per Adventum & Quadragesimam aut solemnibus diebus recedant.

De Residentia & Officio Parochorum.

1. 2. & 3. Tridentini quoque concilii super pastorum residentia decretum parochi servabunt; quique illud servare noluerint, suas parœcias intra quindecim a Purificationis festo dies resignare debebunt; secus, earum collatio ad eos devolvetur quibus est conferendi jus, monitis patronis, suo ut jure præsentationis utantur. Parochi, quoad poterunt, ipsi per se prædicabunt, celebrabunt & sacramenta administrabunt. Sanctum viaticum ad infirmos deferent non sine stola, superpelliceo, cereis accensis & tintinnabulo, ut populus de suo erga sanctum Sacramentum ergaque ægrotantem officio admoneatur.

De Visitatione.

1. Episcopi & quicunque visitationis jure gaudent, facient gravi huic officio satis ipsi per se, & Tridentini concilii super hac materia decretum quoad omnia servabunt.

2. & 3. Suas visitationes inchoabunt ab inquisitione de capitulorum aut monasteriorum quæ visitabunt, fide, vita, moribus; deinde vero de regulæ & statutorum executione, quin habitum & tonsuram oblivi-scantur.

4. Explorabunt imprimis qua ratione pastores, seu in prædicatione, seu in sacramentorum administratione, seu in venerabilis Sacramenti, sanctorum oleorum & baptisteriorum custodia, suo ministerio fungantur; quin ecclesiarum mobilia & immobilia bona, itemque fundationes & quibus eædem ex fundatorum mente subsunt, eleemosynas negligant.

5. Publica errata publice & clam occulta corrigent.

De Potestate & Jurisdictione ecclesiastica.

1. Dubitari non potest, quin existat ecclesiasticum forum duplex, *clavium* nomine a Christo Domino designatum; unum sacramenti pœnitentiæ, quod proprie conscientiam spectat, & in quo reus non nisi e sua ipsius confessione ligatur aut solvitur; alterum jurisdictionis externæque politiæ, in quo reus convincitur per testes, judicatur, damnatur puniturque, ut impediatur, ne ipse se perdat in omne tempus, & ut in æternæ beatitatis viam revocetur.

2. Cum ergo Christus Dominus, hoc sane consilio, excommunicationis gladium, tamquam ecclesiasticæ disciplinæ nervum Ecclesiæ suæ concrediderit; non minus divino juri quam sanctis canonibus repugnat laicos judices id sibi sumere, ut ecclesiasticos judices vetent eos declarare qui in excommunicationem a jure latam inciderunt, aut quempiam communione privare, aut cuipiam mandare, ut excommunicationem tollat.

3. In omnes Ecclesiæ judices interdictio, ne leviter excommunicationis gladium adhibeant.

4. 5. & 6. Ut impensis occurratur quas longiora acta secum trahunt, perficiet Ecclesiæ judex, ut accusatus se ipse sistat, superque suis propriis factis respondeat, absque ullius procuratoris subsidio. Si suam ipse culpam fatetur, ejusve per testes convictus est, illico ad reparationem damnabitur; si testes respuit, brevis prorogatio, pro negotii ratione, ei concedetur; si post monita tria comparere renuerit, damnabitur tamquam reus.

7. & 8. Notariorum officium in ecclesiasticis causis ipsis clerici non obibunt, nisi forte in accurati examinis consecutionem, a locorum ordinariis ad id officii recepti & approbati fuerint. Una erit eademque per totam provinciam judicia exercendi forma.

9. Designabunt episcopi idoneos viros quibus ecclesiasticæ causæ *in partibus* delegabuntur.

10. & 11. Tridentini concilii omnia super doctrina & moribus decreta servabuntur; & episcopis id erit curæ, ut ea suis in synodis enuntiari jubeant.

De Matrimonio.

1. Custodientur Tridentini concilii decreta quoad matrimonium quod sancta est a Deo instituta res, quodque sancte tractari debet.

2. Pastores suis parochianis identidem repetent, ab iis in matrimonio tria spectari oportere; fidelitatem, filios & sacramentum; fidelitatem quæ matrimonii jus inviolatum reddere debet; filios qui, prout christianum hominem decet, educari debent; sacramentum quod sponsos docet, ut, e Christi Domini Ecclesiæque exemplo, insolubiliter uniti consistant.

3. & 4. Adolescentes matrimonio aptos monebunt, ut super hoc gravi capite parentes consulant, eorumque sententiæ obsequantur & acquiescant; monebunt etiam parentes ipsos, ne filios hoc illudve matrimonium inire cogant.

5. Non negligent parochi matrimoniales enuntiationes edere; quique matrimonium inituri sunt, jurabunt se nihil agnoscere quod eos, quominus illud ineant, impedire possit.

6. & 7. Sponsalia & matrimonia fient in ecclesia.

8. Ut antevertatur erronum impudentia, qui plures femi-

feminas aliis in locis sibi conjuges sumunt, Tridentini concilii in hanc rem decretum servabitur.

9. Qui matrimonii falsum impedimentum protulerint, & qui verum cum causæ cognitione tacuerint, excommunicatione plectentur.

10. Super dubiis impedimentis ordinarium parochus consulet.

11. 12. & 13. Super consanguinitatis, affinitatis & consanguinitatis impedimentis servabuntur Tridentini concilii decreta.

De Decimis, Oblationibus & Portionibus congruis.

1. Tridentini concilii dispositiones quoad decimas servabuntur.

2. Oblationes quæ ecclesiæ tribui consueverunt, recipient parochi, non autem laici, patroni nomine. Parochi tamen ipsi patronis partem quæ ex hujusmodi oblationibus ad eos pertinet fideliter dabunt.

3. 4. 5. & 6. Perficient episcopi, ut proventuum satis ad victum parochis suppetat, seu beneficia iis unientes, seu eorumdem parochianis mandantes, ut in id pro suis quisque facultatibus conferant. In duarum ecclesiarum unionis casu, unus tantum utrique ecclesiæ parochus erit.

7. Episcopi & magistratus moderabuntur parochorum jura, ut ea scilicet vel imminuant, vel augeant, vel, cujusmodi sunt, relinquant.

8. & 9. Qui decimas percipiunt, ecclesiarum chorum reparare & reficere debebunt, quibus in locis id moris obtinet; eidemque obligationi suberunt parochiani; ubi pariter usus id oneris iisdem imponit.

10. Monasteria concilium hortatur, ut ne, in parochorum præjudicium, privilegiis utantur quæ decimis eadem eximunt.

De Purgatorio.

1. & 2. Sanctum concilium id credit & doceri jubet quod Ecclesia semper credidit, quodque Tridentina synodus definivit, ad Purgatorium quod attinet; videlicet, existere statum locum purgandis animabus addictum quæ ex hoc terrarum in gratiæ quidem statu egrediuntur, at quibus adhuc peccata quoad pœnam expianda remanent; hasque animas per fidelium preces & eleemosynas & peculiariter per sanctum missæ sacrificium solatio affici. Docebunt pastores populos, ut sancte ac sine superstitionum mixtione, sanctas has piasque exercitationes peragant.

De Virorum & Feminarum Monasteriis.

Hæc priorum octo hujus tituli capitum summa est. Qui quæque regunt monasteria, regulam cujus professionem edidere, servabunt & servandam curabunt. Divino officio assidue intererunt, efficientque, ut omnes eorum inferiores comedant in triclinio, ubi semper aderit sancta lectio, atque ubi jejunia quæ præscribit regula, servabuntur. Ipsi cum suis inferioribus in triclinio vescentur, cum eos occupationum multitudo aut magnus hospitum numerus qui ab iis excipiendi venient, non impediet; quamque maximam poterunt, attentionem afferent, ut a mensa, quicquid ultra modum est, arceant, eamque omnino ad frugalitatem & sobrietatem componant. Religiosorum superiores non minus animum referent, ut, omnem cum feminis familiaritatis occasionem adimentes, emissi castitatis voti custodiam iisdem faciliorem reddant.

9. 10. & 11. Religiosi & religiosæ suum paupertatis votum accurate servabunt; ita scilicet, ut proprietatis titulo nihil habeant, &, quicquid iis pecuniæ ex labore, ex industria, ex amicorum liberalitate, vel quavis alia ratione provenire potuerit, in superiorum manus remittant; superiores vero dent operam, ut, quicquid necessarium est, humaniter iis comiterque, non e pecunia; sed in natura suppeditent. Hi superiores ipsi de medio funditus abusum tollent qui in monasteriis quibusdam grassatur, ut jura seu emolumenta quædam officiariis concedantur.

12. Religiosi aut religiosæ ob ingressum in religionem nihil exigent; eos siquidem Tridentinum concilium vetat majorem virorum aut feminarum numerum in monasteria recipere, quam eadem sustentare vel e propriis reditibus, vel e consuetis eleemosynis possint. A splendidis etiam, sumpti habitus & professionis die, parandis conviviis abstinebunt.

13. & 14. Religiosæ pensionarias quas educent, ad pietatem, catholicitatem & modestiam christianam formabunt. Noviiis porro, in virorum & puellarum monasteriis, regulæ & constitutiones quas amplecti volunt, explicabuntur, ne se temere obstringant, & quin obligationes agnoscant quibus se subdere in animo habent.

15. Extra monasterium religiosi non cubabunt, nisi cum superior iis veniam dederit, ut morbi aut negotiorum causa, vel ad consanguineos aut amicos invisendos egrederentur.

16. & 17. Concilium abbates & abbatissas æque ac cæteros omnes regulares monitos vult eos bonorum ad monasteria spectantium non dominos, sed solum dispensatores & administratores esse; iis uti non posse nisi ex Ecclesiæ & fundatorum mente; & summopere arguendos esse, cum ad consanguineos aut amicos locupletandos, ad supervacaneum apparatum sibi comparandum, sibique construendas sumptuosas ædes iisdem utuntur. Eos etiam concilium monet, ut omnes abusus, regulæ quam profitentur, contrarios evellant.

De Sanctis.

1. Sanctorum cum Christo regnantium venerationem, cultum & invocationem Ecclesia semper approbavit; nec dubitari potest, quin iidem, quandoquidem amore nos prosequuntur, vota & preces ad nostram salutem edant.

2. 3. 4. & 5. Docebitur tamen populus de discrimine quod inter cultum qui Deo, eumque qui Sanctis redditur, intercedit. Deum honoramus tamquam auctorem & conservatorem bonorum omnium, tamquam solum supremum judicem cui debemus vitæ nostræ rationem reddere, qui solus nos perdere aut servare potest, & cui soli offerri potest cordis, labiorum, divinæque eucharistiæ sacrificium. Sanctos vero solummodo tamquam nostros apud Deum advocatos & intercessores honoramus.

6. Monebitur idem populus, tametsi Sanctorum preces ad corporis & animi, temporis & æternitatis bona obtinenda utiles apprime sint, execrandam nihilominus superstitionem esse credere fore, ut non sine pœnitentia, nec sine sacramentis moriatur quicunque peculiari alicui Sancto honorem exhibet, & purgatorii certæ quædam animæ per certum quemdam missarum aut precum numerum liberentur.

De Imaginibus.

1. 2. 3. 4. & 5. Septimum generale concilium a Tridentino confirmatum decrevit, ut Christi Domini & Sanctorum imagines in ecclesiis existerent. Cultus qui iisdem præstatur, cum ad archetypa referatur quæ per eas repræsentantur, nec absurdus nec impius videri debet. Earum nulla, sine episcopi consensu, in ecclesiis ponetur, ex iisque tollentur quæcunque aliquid indecens exhiberent. Orantis intentio ad significatam rem ferri, non autem in materia externove signo quod non audit, non videt, omnique penitus sensu caret, immorari debet. Populorum venerationi imagines exponuntur, ad eosdem monendos, ut Sanctorum qui per eas exhibentur, subsidium implorent, eorumdemque res gestas imitentur. Non habebuntur vera miracula, nisi quæ talia per episcopi ministerium Ecclesia declaraverit.

De Reliquiis.

Revereri debemus Sanctorum reliquias, qui nempe fuere viva corporis Christi membra, Sanctique Spiritus templa. Populorum venerationi, sine ordinarii approbatione, novæ aut ignotæ non exponentur; ad eas honorandas, cæremoniæ tantum Ecclesiæ menti & religionis rationi consentaneæ adhibebuntur; eædemque, processionis in modum, non nisi decenter congruoque tempore deferentur.

De Indulgentiis.

Quoniam indulgentiæ inconsiderate concessæ eædemque supervacaneæ in contemptum adducunt Ecclesiæ claves, eodemque tempore pœnitentialem satisfactionem enervant; sanctum concilium vetat ullum proponi quam non ordinarius expenderit & approbaverit. Mandat etiam parochis, suos ut parochianos impediant, ne quam iis libellis omnibus fidem addant, qui exundantes indulgentias ob leves, vanas & superstitiosas causas promittunt, cum certum sit eas non nisi ob pias congruasque causas concedi debere. *Ibid.*

I. Concilium Mediolanense sub S. Carolo Borromæo, an. 1565.

S. Carolus Borromæus, cardinalis Sanctæ Praxedis, & archiepiscopus Mediolanensis, habuit Septembri mense con-

se concilium hoc. Adfuere cœtui episcopi undecim, & quinque miserunt procuratores suos. S. Cardinalis concilium aperuit per sermonem in quo provincialium conciliorum necessitatem ostendit. In eo primum omnium recepta Tridentini concilii decreta & alia edita quæ in partes tres dividuntur. In prima continentur ea quæ fidem, quibusque hæc ipsa servetur, adjumenta spectant; in secunda, quæ sacramentorum administrationem afficiunt; & in tertia quæ ad hospitalia, & monasteria pertinent.

PARS PRIMA.

De Fide Catholica.

Enuntiandam curabunt episcopi Pii IV. Constitutionem quæ mandat, ut fidei professionem edere jubeantur quicunque aspirant ad parœcias, ad canonicatus, ad universitatum gradus, ad officium docendi litteras, grammaticen ipsam & liberales artes, cum id etiam gratis fieret. Iidem super moribus examinabuntur.

De iis qui sacra Scriptura abutuntur.

Eos episcopi severe punient qui adhibent sacræ Scripturæ verba, ut risum moveant, ut assententur, ut insultent, aut eadem ad impietatem, ad superstitionem, aliumve, quicunque tandem fuerit, profanum usum detorquent.

De Scholæ Magistris.

Erunt hi scientia, itemque morum puritate commendandi; nec nisi libros quos legi licet, suis discipulis legent, quique ejusmodi sunt, ut eorum mentem animumque ad religionis effata formare possint.

De Catechismo quem peragere Parochus debet.

Vocabunt parochi ad ecclesiam pueros ad æris campani sonum, dominicis festisque diebus singulis, ut eos catechismum doceant; eosdem monebunt, ut Deo & parentibus pareant.

De Theologali Præbenda.

Perficient episcopi, ut executioni mandetur caput primum decreti sessionis quintæ Tridentini concilii, super theologali præbenda.

De Prædicatione verbi Dei.

Cum divini verbi prædicatio præcipuum episcoporum qui apostolis successerunt, officium sit, eos proinde pro viribus in id incumbere oportet, idoneisque viris qui eorum vices agant id muneris demandare, cum ipsi legitimis impedimentis id per se præstare prohibentur. In omnibus ecclesiis quæ animarum curam adjunctam habent, diebus dominicis, solemnibus festis, Adventus & Quadragesimæ tempore, habebitur sermo. Concionatores non eo animum referent, ut doctrinam & eloquentiam ostentent; sed studium potius & operam in eo ponent, ut Evangelium, Symbolum, dominicam Orationem, angelicam Salutationem, Dei Præcepta, sacramenta & Ecclesiæ cæremonias, perspicuum in modum, explicent. Pari sollicitudine & charitate, in vitia ad quæ proniores populi sunt, & in pravas consuetudines invehentur, at quin quempiam nominent aut designent. In ullum vitæ genus in Ecclesia receptum, in episcopos, in magistratus stilum non acuent. Populos adigent, ut, quin obstrepant & mussitent, suis superioribus, tum quoque cum morosi & molesti sunt, obsequantur; proque omnibus hominibus, peculiariter vero pro principibus preces fundant.

Ad peccatorum dolorem, ad virtutem, ad pietatem populos excitabunt, eos edocentes, quæ cujusque status propria, quæ parentum, quæ filiorum, quæ conjugum, quæ dominorum, quæ famulorum, quæ laicorum, quæ clericorum, quæ magistratuum, quæ privatæ cujusque personæ, &c. officia sint. Eos docebunt Dei & Ecclesiæ jussa facere, significantes præterea, quæ sit eadem faciendi ratio; præcepta servare, & consilia amplecti, adnitique, ut in perfectione non intermissos progressus edant.

Eosdem docebunt, quemadmodum animi & corporis bonis, prosperitate & adversitate, tamquam adjumentis ad cælestem beatitatem acquirendam, utendum sit. At sedulo in primis cavebunt, ne, quod sermonibus statuunt, sua ipsorum agendi ratione destruant.

Indulgentias non indicent, nullumque pauperem populo commendabunt, sine episcopi per scriptum venia. Eleemosynæ non colligentur in ecclesia sermonis tempore, qui noctu nunquam habebitur. In ecclesia, dum prædicabitur, nec missa, nec officium erit; & episcopi qui prædicare ipsi non poterunt, prædicationi, quoad fieri per eos poterit, saltem aderunt. Cathedralis ecclesiæ canonici cæterique urbis ecclesiastici sermonibus assidui & ipsi intererunt, ut populum suo ipsorum exemplo ad eosdem pertrahant. Perficient episcopi, ut invicem sejuncta viris & mulieribus, dum sermonem audiunt, loca sint.

De iis quæ servanda in sanctarum Imaginum sculptura aut pictura.

Cum sancta Tridentina synodus novas imagines ullo in loco, etiam exempto, sine episcoporum venia, collocari vetuerit, hisque ipsis commendaverit, ut nullam quæ falsa, profana, indecens esset, paterentur; eorum proinde erit eas omnes prohibere quæ aliquid exhiberent quod cum sacrarum Litterarum, Traditionis & Ecclesiasticæ Historiæ veritate pugnaret. Accitis ad se omnibus suarum diœceseon pictoribus & sculptoribus sua super hoc capite jussa indicent; & transgressores una cum iis punient qui eorumdem operam adhibuerint. Episcopis parochi significabunt, quicquid in imaginibus quæ in eorum parœciis extiterint, difficultatem aliquam pati poterit.

De sanctis Repræsentationibus.

Quia hominum nequities in causa est, ut ne passio Domini nostri Jesu Christi, & Martyrum certamina cæterorumque Sanctorum acta, quin plurium irrisioni contemptuique exponantur; deinceps ab ejusmodi repræsentationibus abstinebitur.

De sanctarum Reliquiarum Veneratione.

Sanctorum reliquiæ decoris in locis aptisque vasibus religiose custodientur. Ostendentur populo non sine cereis accensis, quin ex iis vasibus extrahantur, & quin quicquam ob id exigatur.

De magicis Artibus, Sortilegiis, & Divinationibus.

Magos, veneficos seu sortilegos, divinos episcopi severe punient, & a fidelium societate repellent. In eos quoque omnes animadvertent qui eosdem consulunt, iisve opem afferunt, patrocinantur, fidem addunt, aut qui tempora, dies, & momenta, quadrupedum vocem, avium cantum aut volatum observant, ut iter aut negotium aliquod aggrediantur.

De Blasphemia.

Clericus qui publice blasphemias evomit, prima quidem vice, suorum omnium beneficiorum fructibus ad annum privabitur; si reciderit altera vice, beneficio privabitur, si unum tantum habet; quod si plura, eo privabitur quo potissimum ordinarius privandum censuerit; si tertio lapsus fuerit in idem crimen, suas omnes dignitates suaque omnia beneficia amittet, aliisque deinceps possidendis inhabilis erit. Laicus blasphemus, prima & altera vice, ad pecuniariam mulctam, si autem tertio labitur, ad publicam pœnitentiam damnabitur.

De Festorum dierum observantia.

Cum festi dies ad Dei Sanctorumque laudes celebrandas instituti fuerint, sua omni adhibita cura perficere debent episcopi, ut iidem sancte serventur. Impedient ergo, ne per eos dies serviliter laboretur, ne vendantur aut emantur res quæ iis ipsis diebus ad victum vel ad ægrotantium solatium necessariæ non sunt. Non aperientur officinæ seu omnino seu ex parte. Per eos dies in urbibus, suburbiis aut vicis non celebrabuntur nundinæ, personatus incedet nemo, non committentur ex equo certamina, non edentur spectacula, choreæ non agentur. Docebitur populus oportere, ut ipse eos sanctos dies ita transigat, ut divinis officiis intersit, Dei verbum audiat, oret, sibique Dei beneficia in mentem revocet.

PARS

PARS II.

De Sacramentorum Administratione in universum.

QUoniam Sacramenta non solum sine simonia, sed etiam absque ulla prorsus avaritiæ suspicione tribui debent; quicunque horum administrationi addicti sunt, cavebunt etiam atque etiam, ne quid ob hanc functionem exigant, atque adeo ne quid verbis vel signis, directe vel indirecte petant. Episcopi diligenter operam dabunt, ut in sacramentorum administratione quæ in eorum cathedralibus ecclesiis peragetur, Romanæ Ecclesiæ ritus & cæremoniæ serventur. Idem præstabunt inferiorum ecclesiarum rectores; semperque presbyteri superpelliceo & stola induti erunt, cum aliquod sacramentum administrabunt, cujus etiam vim & usum ita explicabunt, ut adstantium captui se accommodent. Parochi suum sæpe populum hortabuntur, ut Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta frequententent, potissimum vero in Natali Domini, in Pentecoste, aliisque solemnibus diebus ad eadem accedant. Invisent ægrotantes, quin acciti fuerint, ut eos ad suscipienda sacramenta permoveant & comparent.

De Baptismi Administratione.

Nemo domi baptizabitur; verum qui addicti erunt nascentium infantium curæ, eos, ante nonam diem, ad ecclesiam deferendos curabunt, ut ibi baptisma suscipiant; & id quidem, sub excommunicationis pœna. Eosdem tamen domi baptizari licebit, cum in periculo versabuntur, ea conditione, ut, elapso periculo, ad ecclesiam ferantur, quo super iis peragantur baptismatis cæremoniæ quæ omissæ fuerunt. Iis deligentur patrini qui iisdem super fide & moribus, parentum defectu, apposite ad salutem instituendis idonei sint. Abolebunt episcopi, per inflictas pœnas, execrandam consuetudinem in eo positam, ut infantes baptizati ponantur super altari a compatribus redimendi. Compatres & commatres infantibus, dum baptizabuntur, eorumve parentibus nihil dabunt. Cathedralis ecclesiæ clerus omnis chrismatis consecrationi aderit. Parochi laicos impedient, ne illud tangant in baptismi cæremonia. Neque vero linteola servari patientur quibus abstersa est sancti chrismatis unctio, ut tangenda dentur. Unicuique parœciæ sui baptismales fontes aderunt in quibus aqua benedicta baptismati addicta, totius anni spatio, accurate servabitur. Suus item erit singulis parochis codex in quo baptizatorum, eorumdemque patris & matris, patrini & matrinæ nomina & cognomina, nec non infantium nativitatis & baptismatis diem describent. In eodem de legitimis eorum natalibus mentionem facient; hujusque codicis exemplum, quotannis, episcopo tribuent. Monebunt puerperas, ut statim a puerperio se ad ecclesiam conferant, Deo gratias acturæ & benedictionem a parocho suscepturæ.

De Sacramenti Confirmationis Administratione.

Confirmatio pueris tantum qui septem annos nati fuerint, conferetur; & parochi in ecclesia diem annuntiabunt quo sacramentum hoc administrabitur; ejus vim iis explicabunt qui illud suscepturi sunt, & confirmatorum puerorum codicem perinde ac baptizatorum tenebunt.

De Eucharistia Sacramento.

Sexto post Paschatis octavam die, afferent ad episcopum, e scripto, parochi eorum nomina, qui suæ paschali obligationi satis non fecerint. Hos negligentes episcopus, per censuras aliasque pœnas, puniet, iis exceptis qui paschalem communionem justis de causis & e parochi sententia distulerint. Non recipientur ad sacram mensam, nisi post certas resipiscentiæ probationes, concubinarii, usurarii cæterique publici peccatores qui ad eam semel admissi reciderint. Tribuetur viris & feminis separatim communio magnis in ecclesiis, ubi id commode fieri poterit. Pueros suam primam communionem peracturos parochi, aliquot ante diebus, examinabunt edocebuntque. Erit ad altare majus, quoad fieri poterit, sanctæ eucharistiæ reservatio; & coram ea semper aderit ardens lampas. Extrema cum reverentia ad infirmos eucharistia deferetur. Hac de re populus per æris campani sonum monebitur; &, siquidem fieri potest, sancta eucharistia sub umbella, cum cereis accensis & tintinnabulo deferetur. Aderunt semper in ciborio ad sanctum hunc usum designato hostiæ duæ, ne populus, presbytero redeunte, vas vacuum adoret.

De Missæ Celebratione.

Operam dabit episcopus, ut omnes sacerdotes agnoscat qui debent in ejus diœcesi sacrum facere, eosque adiget, suo ut officio faciant satis. Nullus sacerdos, seu sæcularis seu regularis ad missam in oratoriis seu capellis domesticis dicendam admittetur, nisi de scripto veniam quæ sexto quoque mense renovabitur, ab episcopo acceperit. Non finet episcopus alterius diœcesis presbyteros missam dicere, nisi cum testimoniales aut dimissorias proprii episcopi litteras exhibuerint. Nulla dicetur ante auroram, vel post meridiem missa, nisi quibus in casibus per jus licet. Non sinent episcopi, nisi de causis gravibus, domesticas capellas erigi, easdemve usui ad missæ celebrationem esse. Domestica porro sacella non statuentur in iis ædium partibus in quibus familia fere versatur, sed in loco qui decens & a cubiculis aulisque esui inservientibus & a vestibulo sejunctus fuerit. Non intra spatium adeo angustum construentur, ut, qui missam audiunt, ad januam, vel ad fenestram, aut in vulgari cubiculo consistere necesse habeant. Altaris ornamenta & vasa, corporalia quidem & purificatoria potissimum, nitida & apta erunt. Collectæ non nisi, ut summum, quinque in missa dici poterunt, præter quam in ecclesiis in quibus contrarius mos obtineret. Eliminabunt episcopi convivia, ludos, choreas, omnesque generatim abusus, qui, cum primum a presbytero sacrum fit, irrepserunt. Presbyteri celebrantes absonum omnem capitis, oris & reliqui corporis motum vitabunt; missæ verba nec celerius nec segnius pronuntiabunt; ea legent in Missali, nec recitabunt canentve memoriter. Missam non dicent operto capite. Quaque saltem hebdomada confessionem edent, preci vacabunt, eamque in Missali, antequam dicant, præparabunt. Non loquentur & neminem audient, quo tempore sacris ornamentis induti erunt, nec super altari pileum, seu birretum, seu galericulum, seu chirothecas, seu sudariolum, seu simile quicquam ponent. Non remorabuntur, cum altari aderunt, ut quempiam præstolentur; neque vero missæ initium repetent. Parochialem missam, in cujusquam gratiam, parochi nec antevertent, nec different, sed hora dicent quæ populo commodior fuerit. Presbyteri celebrantes non negligent post missam gratiarum actionem edere; cereos non nisi post ultimum evangelium extingui sinent, iisque aderit, quoad fieri poterit, ad altare serviens, superpelliceo longaque veste indutus clericus. Missam non ante inchoabit presbyter quam accensi cerei & omnia ad altare in promptu sint. Viduæ quæ ob viros recens defunctos in luctu sunt, non ultra mensem ab audienda missa abstinebunt. Parochi suos identidem parochianos hortabuntur, ut suis in parœciis missam & sermonem audiant; & hi quidem aderunt induti vestibus quas publice ferre consueverunt, aperto capite, nec nisi post ultimum evangelium exibunt; non ita prope accedent ad altare, ut propterea sacerdos turbari possit.

De Administratione sacramenti Pœnitentiæ.

Servabuntur Innocentii Papæ III. Constitutiones quæ fidelibus mandant, ut, saltem semel in anno, proprio parocho confiteantur; medicosque jubent suos ægrotantes monere, ut ejusmodi confessionem peragant, eam, secus, pœnam subituri, ut ab iis deserantur, nisi intra quatuor, ut serius, dies huic fecerint officio satis. Nullus presbyter non curatus confessiones audire poterit, quin ab episcopo, per scriptum, approbatus fuerit. Omnes quoque confessarii casus Papæ & episcopis reservatos, per scriptum, habebunt. Nullius feminæ confessionem, ante solis ortum aut post ejusdem occasum, extra necessitatis casum, audient; neque vero nisi publice atque e confessionali. Confessarii pœnitentibus ad confessionem edendam, cum necesse fuerit, suppetias ferent; nec iis absolutionem tribuent, quin restitutiones aut reparationes quas debent, ediderint, cum semel obstrictam fidem fregerint. Confessarii scient pœnitentiales canones, & quam hi peccato cuique præscribunt, pœnitentiam sedulo pœnitentibus ob oculos ponent, ut per indulgentiam qua Ecclesia erga eos utitur, a peccato longius amoveantur.

De Jejuniis.

A carne, ab ovis, a lacte, a caseo & a butyro per totam quadragesimam abstinebitur. Jejunabitur Rogationum diebus tribus, ex Mediolanensis ecclesiæ veteri consuetudine. Qui jejunant, accurate cavebunt, ne aliis

aliis deliciis se dedant, dum a vetitis alimentis abstinent; immo vero se addicent omni bonorum operum generi, cujusmodi sunt precatio, eleemosyna, &c.

De Extremæ Unctionis Administratione.

Extremæ Unctionis sacramentum ægroto parochus administrabit, dum adhuc eidem liberi sensus erunt; eumque solabitur, adhortatus, ut suas omnes cogitationes ad beatitatem referat quam in cælis expectat, quin mortis metu se frangi sinat.

De Administratione sacramenti Ordinis.

Inviolate servabitur Tridentini concilii decretum quod episcopum ejusque officiarios vetat ob ordinationem quicquam accipere, etiamsi de re per puram putamque liberalitatem oblata ageretur. Cathedralis ecclesiæ archidiaconus librum habebit in quo describet omnium nomina quibus in diœcesi aliquis ordo est.

De Seminariis Clericorum.

Instituent episcopi seminaria quibus addent beneficia simplicia & præstimonia, videlicet, ejus generis beneficia quibus a prima institutione nullum impositum est obeundum onus, quæque solum fundata sunt, ut pauperibus studentibus iisve qui contra infideles aut hæreticos pugnant, suppeditent ad victum satis.

De Collatione Beneficiorum.

In eos qui, quacunque demum ratione, beneficiis providendi jure gaudent, interdictio, ne quid a provisis accipiant, maxime licet gratuitum munus esset quod iisdem tribuere vellent. Neque vero beneficium conferetur ea conditione, ut illud is cui confertur, alteri deinceps cedat, nec ita, ut collator e beneficii fructibus partem, quemcunque tandem pium usum prætexere possit, sibi reservet. Qui beneficium in hunc modum contulerit, in posterum eligendi, nominandi, aut præsentandi jure privabitur; quique illud acceperit, nullo ad ipsum jure pollebit, & ad fructuum, si quos percepit, restitutionem tenebitur. Episcopi, bis in anno, in præcipuis suarum diœceseon pagis, Pii IV. contra simoniacos Bullam enuntiandam curabunt; nec quisquam, vel ab aliqua vexatione se redimendum prætexens, sine eorum consensu, in re beneficiaria, pacisci aut transigere poterit. Quicunque aliquid operæ ad simoniam contulerint, easdem ac simoniaci pœnas subibunt. Episcopi cæterique beneficiorum collatores suis officiariis salarium addicent ne, si quis eo prorsus careret, ecclesiastica potissimum beneficia tamquam suorum laborum pretium sibi proponat. Qui ambitiosas preces pro se ipsis vel pro aliis ad vacans beneficium obtinendum adhibuerint, nullum habere poterunt ad annos duos; idemque de iis sentiendum, qui beneficium petierint quod nondum vacat.

De indicenda ad Parochorum Examen Declaratione.

Cum parœciam vacare contigerit, episcopus ad cathedralis & vacantis ecclesiæ fores declarationem affigi jubebit ad eos invitandos qui voluerint se examinandos præbere, vel alios subeundo examini idoneos nominare, vacantis parœciæ obtinendæ causa.

De eorum edendo Examine & Inquisitione qui ad Episcopatum designati sunt.

Loci episcopus, ubi is quem ad episcopatum evehi lubet, fere versatus fuerit, exquiret e doctis, probatis omnique exceptione majoribus testibus quinque, an bene audiat; an hæreseos aut schismatis nulli suspicioni subsit; an legat, habeatve præ manibus hæreticos libros; an cum hæreticis commoratus fuerit, iisve faverit; an ad pœnitentiæ tribunal accedat, an eucharistiam suscipiat, & an temporibus ab Ecclesia præscriptis se ad missam audiendam conferat; an sacris ordinibus, & ex quo tempore insignitus sit; reusne sit, aut vitio vel infamia notatus; eine sint in quempiam capitales inimicitiæ; eine sint illegitimi filii, quot & qua ætate; suamne, ut christianum hominem decet, domum regat; bigamus, necne, sit, excommunicatus, suspensus, apostata; an publicus pœnitens, mente captus, obsessus aut possessus in antecessum fuerit; exquiretur præterea e duobus tribusve testibus, an e legitimo matrimonio natus sit; hæretici ne filius sit aut nepos; an tricesimum ætatis annum compleverit; sitne doctor aut licentiatus in theologia vel in jure canonico; an insigni aliqua corporis deformitate aut vitio laboret; an comitiali morbo subsit; quoad doctrinam, sumentur docti viri tres in theologia, tres item in jure canonico, qui ab eo quærent, in quo veteris legis sacramenta a novæ legis sacramentis differant; exquirent ab ipso posteriorum numerum & nomina; eorumdemque materiam, formam & ministrum; sacerdotis aliorumque inferiorum omnium clericorum officium; Dei præcepta & consilia evangelica; idem jubebitur interpretari propositum unum veteris, & alium novi Testamenti locum; denique, super jure canonico interrogabitur.

De Episcoporum & Clericorum Vita & Officiis.

Episcopi & clerici nihil exhibebunt in omni agendi ratione, quod non simplicitatem, castitatem, morum integritatem, modestiam, frugalitatem, mansuetudinem, humilitatem, omnes denique virtutes redoleat, iis tantopere necessarias qui sunt cæterorum lux, eosque ducere debent in salutis tramite, multo magis pietatis exemplo, quam scientiæ splendore.

De crebra divini Sacrificii Oblatione.

Episcopi omnesque presbyteri, nemine excepto, missam dicent dominicis festisque diebus singulis, nisi legitime impediti fuerint. Parochi vero eam dicent saltem ter in hebdomada. Diaconi & subdiaconi bis in mense, & inferiores clerici semel communicabunt.

De Episcoporum ad suam sustentandam dignitatem sollicitudine.

Episcopi coram principibus sedentibus erecti non aderunt; nec iis pacem aut Missale ad osculum dabunt missæ tempore. Punient, ex canonibus, clericos qui iis, aut superioribus cæteris insultare ausi fuerint.

De Episcoporum ornatu.

Episcopus non splendido profanorum ornamentorum apparatu, sed fidei rectæque vitæ splendore sibi existimationem & auctoritatem conciliare studebit; itaque nec sericas vestes, nec pretiosas pelles deferet. Non utetur odoramentis, suoque pastorali annulo contentus erit. Ex corio aut lana tantum, non autem e serico vel heteromallo ejus mulæ aut equi stragulum erit. Aurata non sellam, non calcaria, non frænos adhibebit. Rocchettum in ecclesia & publice deferet. E cubiculo non egredietur, eoque neminem qui e domesticis non sit, ingredi sinet, antequam ipse longa veste ad collum appensa & mozzetta indutus sit; atque indumentum hoc non ante noctem deponet, aut siquidem citius, tum solum, cum omnes dimiserit. Ei vestes nec extra nec intra erunt, nisi quæ episcopi modestiæ & gravitati conveniunt.

De Episcopi supellectile.

Ei nulla erit aurea vel argentea suppellex, præter parva ad os cochlearia quæ ex argento esse poterunt. Eidem præterea nihil inauratum aut inargentatum suppetet, nihil e serico, nihil actu pictum, nihil variis coloribus mixtum, arte denique elaboratum nihil. Ei aulæa nulla, tapetes nulli nisi ex corio aut simpliciore panno; &, hac ipsa ratione, paranda curare non poterit nisi duo tantum cubicula, ad suam ipsius valetudinem unum, in advenarum gratiam alterum, qui ad episcopatum veniunt. Non alet nisi æquos quibus opus habuerit, amovebitque supervacanea omnia suorum ædificiorum ornamenta, dum ea in Domini templis prodiget.

De Episcopi Mensa.

Benedicet episcopus mensæ, antequam eidem assideat, in eaque temperantiam & frugalitatem congruas servabit; unum ibi elixum erit, præter juvulentum panem, lactantium catinum unum & fructuum duo; his addere poterit, hospitum ergo, fercula duo, vel, ut summum, tria. Non ibi cernentur dulciaria, non placentæ, non rara & exquisita vina, eorumque nihil quæ sacchara condiuntur, quæque solum ad gustus blanditiem faciunt. Ibi legetur sacra Scriptura, & illinc arcebuntur parasitæ, cavillatores, scurræ & maledici. Mensæ finem afferet gratiarum actio, quemadmodum benedictio eidem initium dedit.

De

De Episcopi Familia.

Non alios episcopus domesticos quam eos habebit, qui tum ei necessarii, tum ecclesiæ utiles fuerint. Hi domestici, quam fieri maxime poterit, clerici erunt, & ecclesiasticum habitum deferent. Inter eos aderunt, saltem duo, siquidem fieri potest, in sacris ordinibus constituti, ut episcopi rectæ agendi rationis testes & imitatores sint. Aderit etiam in eorum numero ecclesiasticus præpositus, ut ad totius familiæ institutionem & salutem invigilet. Episcopi familiarium nullus arma ferat, nisi per iter, aut ob aliquam causam, episcopi judicio, necessariam. Non deferent iidem sericum, non aurum, non argentum super vestibus quæ nigri aut subnigri tantum coloris erunt.

De Horis canonicis.

Beneficiarii qui negligent divinum officium dicere, sex mensium spatio, postquam beneficio frui cœperint, quos perceperint, fructus fabricæ aut pauperibus tribuere debebunt.

De præcipuis Libris quos Clerici legere debent.

Hi libri sunt: sacra Biblia, Catechismus Romanus, Tridentinum Concilium, provincialium Conciliorum & Synodorum Statuta, Festorum dierum Calendarium quod, suis in diœcesibus, episcopi, quotannis imprimendum curare debent. Habebunt præterea parochi Homiliarium ex episcopi delectu, Antonini Summam aliamve ab episcopo pariter selectam, Pastorale S. Gregorii, & S. Joannis Chrysostomi de Sacerdotio Tractatum.

De Habitu & Vita Clericorum.

Deferent omnes clerici tonsuram suis ordinibus congruam, nigrumque habitum qui ex lana solum erit. Non gerent imas manicas, non armillas, non monilia, non annulos, nisi id postulet eorum dignitas, non lacernam, præter quam pluviæ tempore. Iter agentes consueto qui ad talos usque descendere debet, breviorem habitum ferre poterunt. Servabunt, ratione habita, atque adeo moderatius, quicquid de episcopi mensa, supellectile & domo dictum est.

De Domibus clericalibus.

Nec canonici, nec cæteri ecclesiastici cum feminis etiam consanguineis aut affinibus, seu in canonicorum aut ecclesiasticorum propriis, seu in alienis domibus degent, nisi super hac re Episcopus in urgenti necessitate aliter statuat. Neque vero domos quas habitant, quasve habitare debent, laicis, vel omnino, vel ex parte locabunt. Cathedralium & collegialium ecclesiarum canonici in canonicis domibus commorabuntur. Clericorum nullus, post primam noctis horam, sine lumine, & sine justa causa, domo egredietur.

De Armis, Ludis, Spectaculis aliisque similibus rebus.

Clericorum arma sunt preces & lacrymæ; quamobrem iis interdicimus omnis generis arma, tum quæ offensiva, tum quæ defensiva dicuntur, præter quam dum periculosis in locis iter faciunt. Non incedent clerici personati aut simulati, non ad choreas vel ad venationem se conferent, ac ne alios quidem saltantes spectabunt. Non comœdiæ, non ludicris certaminibus, non profano ulli spectaculo intererunt. Non talis, non spondylis, non pila, omnino denique non aleis ludent; ac ne oculos quidem in eos intendent qui ejusmodi ludis vacant. Non versabuntur in conviviis, tametsi vix ab eo quod decet, aliena sint, nec quempiam ad bibendum excitabunt; Cauponas, præter quam in itinere non adibunt; ac ne tum quidem cum alterius sexus personis non comedent.

De Negotiis sæcularibus.

Clerici in sacris ordinibus constituti, perinde ac beneficiarii, non erunt advocati, non procuratores, non tabelliones, præter quam ut suam ipsorum, suarumve ecclesiarum, consanguineorum, miserorum hominum causam defendant; atque id quoque non sine episcopi de scripto venia. Non erunt medici, non mercatores, non villici, non tutores aut curatores, non sponsores, non apud proceres, ac ne apud ipsos quidem principes, præfecti negotiis, aut domestici. Apud eosdem tamen munus aut officium aliquod possidere poterunt, annuente episcopo, dummodo nihil ea in re sit, quod cum sacerdotis dignitate pugnet. Sibi etiam necessaria comparare poterunt, in aliqua honesta arte operam collocantes.

De Residentia.

Servabunt episcopi residentiam, prout a Tridentino concilio mandatum est, ei pœnæ, secus, obnoxii, ut priventur per absentiæ tempus beneficii fructibus qui ecclesiæ fabricæ aut pauperibus addicentur. Parochi non residentes eamdem pœnam subibunt, itemque cæteri omnes beneficiarii qui, licet parochi non sint, residentiæ legibus subsunt.

De Diligentia quam afferre debet episcopus, ut cujusque Parœciæ statum cognoscat.

Episcopi, cum omnia suismet oculis videre non possint, in unaquaque parœcia designabunt probatos viros qui ad eos deferant quicquid opus habere animadverterint, ut ad eorumdem notitiam perveniat. Erit præterea parocho cuique liber in quo describentur suorum omnium parochianorum, suarumque omnium parochianarum nomina & cognomina, ætas, status, indigentiæ, quæ singula significabit episcopo, qui quatuor in anno, nempe quatuor anni Temporibus, omnes episcopalis urbis parochos congregabit, ut singularum ab iis parœciarum statum intelligant.

De Vicariis foraneis.

Episcopus nonnullos perspecti meriti presbyteros deliget quibus *vicariorum foraneorum* titulum, & statutam diœceseos partem visitandam tribuet. Hi vicarii cogent singulis mensibus suæ quisque regionis parochos, modo in una modo in alia parœcia, ut cum iis conferant super boni pastoris officiis, super animarum regimine, superque difficultatibus quæ in eorumdem parœciis occurrunt. Exquirent imprimis presbyterorum vitam & mores; qua ratione suam singuli officium obeant; an divinum servitium nequaquam negligant; an libros habeant quos habere debent; an synodalia statuta servent, &c.

De Visitatione.

Obibunt episcopi suarum quisque diœceseon visitationem, tanquam præcipuum officium suum, animo reputantes eam ad gregis salutem, cui singuli præsunt, institutam fuisse, eamque a se peragi eo consilio oportere, ut fidem, mores ac disciplinam servent aut restituant. Ad virtutem & pacem neminem non hortabuntur, confirmationem conferent, quæ sit omnium & singulorum vitæ ratio, perquirent, quicquid ad ecclesiarum reparationes, nitorem & ornamenta necessarium fuerit, moderabuntur, altaria quæ consecranda erunt, consecrabunt, cœmeteria, siquidem opus erit, reconciliabunt, perficientque, ne quid eorum omnino desit, quæ ad divinum servitium requiruntur, ut libri, calices, patenæ, corporalia, sacerdotis ejusque ministrorum indumenta, &c. Admodum etiam diligenter examinabunt, an omnia sui ministerii munia parochi fideliter exequantur; an sacramenta, ut debent, administrent; an divinam eucharistiam, chrisma & sancta quæque, qua par est, decentia & dignitate servent; an concionentur & an catechismum peragant; an in eorum parœciis nulli prorsus hæretici, nullique publici peccatores existant; an executioni mandentur legata pia; an hospitalia recte administrentur; & probe ad ordinem exacta sint; an scholæ magistri suis, ut oportet, officiis fungantur, & an bonos tantum libros suis discipulis legant, &c.

De Episcopi Foro judiciario.

Taxam statuent episcopi pro suorum notariorum, scribarum seu secretariorum opera, in omnium generum causis ad judiciarium forum spectantibus, circumstantiarum locorum, rerum & personarum ratione habita.

Advocati non admittentur ad intendendas lites in episcopali foro, nisi se nullam injustam causam sibi sumpturos juraverint.

Præscribent etiam episcopi carcerariorum eorumque omnium taxam qui carceres custodiunt. Probos viros eligent qui singulis hebdomadis carceres visitent, iisque fideliter referant, quomodo res ibi se habeant, & quomodo cum iis agatur qui ibidem detinentur. Nomi-

Nominabunt prætere personas a quibus pauperum causæ gratis agantur.

De Ecclesiæ Ministris & de divinis Officiis.

Omnes Ecclesiæ ministri sua singuli officia peragent ipsi per se; & qui defuerint, quotidianis distributionibus privabuntur; excipiuntur casus infirmitatis, necessitatis aut apertæ utilitatis Ecclesiæ.

De ejus Officio, qui Choro præest, &c.

Qui choro in cathedralibus & collegiatis ecclesiis præest, suam omnem sollicitudinem afferet, ut divinum officium e generalibus legibus, religione peculiaribusque earum ecclesiarum usibus fiat. Qui dignitates aut personatus ibidem pollident, se peculiariter in divinis officiis pietate & assiduitate distinguent. Horum officiorum tempore, itemque festis diebus canonici, necessitatis exceptis casibus, capitulum non habebunt. Cæremoniarum magister annuntiabit officium quod hebdomadæ diebus singulis dici oportebit, omnesque ecclesiæ ministros de functionibus admonebit, quas per eos dies obire debent, per tabellam quam sacristiæ affiget.

De Officio Sacristæ,

Penes sacristam erit sacrorum ecclesiæ vasorum, ornamentorum & thesauri custodia, & hæc ipse decenter admodum apteque servabit. Parabit vinum, hostias, cereos, & generatim quicquid ad divinorum officiorum celebrationem requiritur. Aquam benedictam singulis hebdomadis, aut sæpius, si opus fuerit, renovabit aut renovandam curabit. Missam & officii horas per æris campani sonum accurate indicet aut indici jubebit. Aderunt in sacristia tabellæ tres; continebit una sacristiæ onera omnia; omnes canonicorum, capellanorum aliorumque, quoad eorumdem ecclesiæ servitium, obligationes altera; erit tertia chori seu cæremoniarum magistri peculiaris & propria. Non patietur idem sacrista laicos in sacristia consistere, vanosque & profanos ibidem sermones habere.

De Officio Mansionarii.

Mansionarii qui chori veluti columnæ sunt, ad pluteum accedent, cum cani oportebit antiphonas, responsoria, &c. Canonicis aliisque clericis, quid iis concinendum aut recitandum sit, indicabunt. Parabunt libros quærentque missas, psalmos, antiphonas, &c.

De Notatoris officio.

Notator a capitulo præpositus suo se officio fideliter defuncturum jurabit, accurateque signabit eorum nomina qui choro defuerint, aut qui non, ut congruit, ibi se gesserint. Si quem afficit injuria, eum immerito ac temere signans, signandosve signare mittit, æque de suo restituet. Per id omne tempus quo munus obibit, nulli prorsus officio deerit, suumque librum capitulo singulis mensibus, & quoties eum postulaverit, exhibebit.

De Officio Thesaurarii.

Capituli thesaurarius quotidianas distributiones, prout æquum fuerit, sub restitutionis pœna, partietur; si eas concedit absentibus quos notator in libro signavit, ecclesiæ tantundem de suo dabit, mensisque præterea distributiones amittet.

De Officio Custodum Ecclesiæ.

Ecclesiarum custodes monebunt eos omnes qui contra observantiam peccant quæ iisdem debetur, seu clerici seu laici sint; eosque, ni se correxerint, ad eum qui choro præest, vel ad episcopum denuntiabunt. Sedulo dabunt operam, ut ab ecclesia nullum non indecentiæ genus eliminent, & imprimis impediant, ne ea diripiatur.

De minorum Ordinum functionibus.

Minorum ordinum functiones episcopi, e Tridentini concilii mandato, restituent; aderunt ergo ostiarii, ut ecclesiæ januas aperiant & claudant, ex eaque excommunicatos, venditores, emptores, mendicantes, canes, & generatim eos easque omnes ejiciant, qui eamdem profanant. Aderunt etiam lectores, ut prophetias ad missam, & lectiones ad matutinum legant; nec deerunt exorcistæ qui energumenis manus imponant; itemque acolythi qui subdiacono & diacono ad altare deserviant.

De eo quod divina Officia generatim spectat.

Cavebunt episcopi, ut quid apocryphi in divinis officiis legatur. Ecclesiæ subalternæ, quod ad officii dicendi rationem attinet, ad cathedralem se conformabunt; æra campana ante cathedralem aut quamvis aliam matricem ecclesiam, ut populum convocent, non pulsabunt. Canonicæ omnes, sanctæque Virginis horæ in choro recitabuntur. Eo laici non ingredientur officii tempore, aut ibi saltem a clericis sejuncti erunt. In choro vel in ecclesia nemo serviet, quin superpelliceo indutus sit. Episcopi circumforaneos pharmacopolas aut propolas in ecclesiarum mercatibus & plateis, divini officii tempore, existere non patientur.

De Musica & Cantoribus.

Arcebuntur ab ecclesia omnes molles, profani, lascivi cantus; ibique non alii tolerabuntur quam graves, qui apti ad excitandam pietatem sint. Cantores, quoad fieri poterit, e clericorum numero erunt; clericalemque habitum & superpelliceum in choro deferent. Ex omnibus musicis instrumentis, omnino solum organis in ecclesiis locus erit.

De tempore & ratione qua ad divina Officia conveniendum.

Annuntiabuntur, per æris campani sonum, diei & noctis officia; statimque, qui iis interesse debent, se comparabunt, ut ad ecclesiam pergant, per duarum pulsationum intervallum, quod erit satis longum, ut eo singuli ante officiorum inchoationem pervenire possint. Cum B. Virginis officium fit, qui matutino ante capituli finem non adsuerint, habebuntur absentes, iidemque, ut tales, matutini distributione destituentur. Eadem erit eorum ratio, qui non advenient ante finem psalmi, *Venite, exultemus*, cum aliud officium fiet; eorum pariter qui ante primi parvarum horarum psalmi finem non advenient; eorum denique qui non advenient ante finem ultimi, *Kyrie, eleison*. Primum omnium canonici, chorum subeuntes, se ad altare inclinabunt; ubi vero suam ad sedem pervenerint, genua flectent, submissaque voce Orationem dominicam recitabunt.

De ratione qua quisque in Choro se gerere debet.

Divinum officium omnes concinent & recitabunt, distincta & ad permovendos animos apta ratione, absque præcipitatione, eaque servata lege, ut, præscriptis temporibus sedeant, aut assurgant, caput aperiant, genua flectant, caput inclinent. Sedulo cavebunt, in choro versantes, ne dormiant, ne videant, ne garriant, ne deambulent, ne litteras aut libros legant, ne suum privatim officium recitent, ne denique ante officii finem recedant; tum demum ita prorsus, ut ingressi sunt, egredientur, flexis prius genibus, dominicaque Oratione submisse recitata.

De Matutino & Prima.

Dicetur matutinum nocte media, vel ea saltem hora, ut ei finis ad solis ortum imponi possit. Illud vespertino tempore non dicetur, nisi per octavam sancti Sacramenti, nonnullisque diebus aliis quibus id per Romanam Ecclesiam licet. Dicetur idem semper in choro, nisi frigoris acrior vis, aliave causa adigat, ut in sacristia, aliove ecclesiæ decenti loco dicatur, episcopo veniam dante. Dicetur Prima oriente sole, aut paulo post ejus ortum.

De solemni Missa.

Paschatis die cæterisque per annum præcipuis festis solemnem missam episcopus canet. Eam canonicus hebdomadarius canet diebus dominicis festisque duplicibus, atque adeo hebdomadæ diebus singulis, si id moris obtinet; si minus, alius presbyter ad id designatus. Intererunt episcopi, quam sæpissime poterunt, majori missæ officiisque; nec deerunt, sine justa causa, dominicis diebus, totoque adventus & quadragesimæ tempore.

De Ecclesiis, deque observantia iisdem præstanda.

Curabunt episcopi, ut ecclesiæ capellæ seu oratoria quæ corruent, reparentur aut alio transferantur; nec, absque legitima causa, materien e qua constabant, in profanis ædificiis adhiberi sinent, quia ad profanos usus id trahi non debet quod Deo sacrum fuit. Eo temeritatis nemo deveniet, ut in ecclesia deambulet, garriat, nugetur, de negotiis loquatur, in limine vel ad januam consistat, S. Sacramento terga vertat, erectus ad sanctæ hostiæ elevationem stet, ullave prorsus ratione, quæcunque tandem ea fuerit, divina officia perturbet. Venale nihil exponetur in cœmeteriis vel ad ecclesiarum fores. Non eo ducentur canes, non aves venaticæ; non ibi gestabitur securis, non igniaria fistula, non sclopetus brevior; pauperes eleemosynam ibi non petent. Ineunte nocte, claudentur ecclesiarum januæ; ab eoque tempore nullus ibi laicus morari sinetur, excepta dominici Natalis vigilia. Ecclesiæ supellex ad profanum usum, quicunque fuerit, non commodabitur. Non pulsabuntur æra campana, ut populus ad reorum supplicia convocetur.

De Processionibus & Supplicationibus.

Processiones generales abibunt e principali ecclesia, ad eamque in fine redibunt. His aderunt ecclesiastici veste induti quæ ecclesiæ est. Ad eas episcopus regulares etiam exemptos accire poterit. Clerici, non sine talari veste ac superpelliceo, crucem ferent. Incedent viri seorsim a feminis. Nullum ibi spectaculum exhibebitur; nec potus cibusve ibidem vendetur.

De Episcopi Funere.

Cum mortuus aut morti proximus episcopus erit, primi tres ex ejus capitulo canonici propiorem episcopum monebunt, qui veniet defunctum humo daturus una cum ejusdem sæculari & regulari clero. Ad ejus sepulturam non aderunt plures cerei quam viginti; ejusdemque anniversarium quotannis fiet, quoad proximus ejus successor in vivis fuerit, communibus hujus episcopi successoris & capituli impensis.

De Funeribus & Exequiis.

Nemo seu ante solis ortum, seu post ejusdem occasum, sepelietur; nec mortua corpora ad ecclesiam, magnæ missæ tempore, deferentur. Sepulturæ luminare ad ecclesiæ in qua mortuus humatur, sacristiam pertinet. Pauperes sepelientur impensis ecclesiæ. Quicquid avaritiæ aut simoniæ speciem præseferre potest, in anniversariis exequiis vitabitur; at episcopus sedulo pias consuetudines servandas curabit.

De Sepulcris.

Jubebunt episcopi splendida ea omnia mausolea ex ecclesiis tolli, quæ ibidem ad fastum armis, vexillis, trophæis onusta cernuntur, efficiuntque, ut ex præliorum loca potius quam Domini templa videantur. Si quando in ecclesiis sepulturam concedent, id non alibi quam in monumentis fiet quæ non magis quam ecclesiæ pavimentum reliquum eminebunt.

De Conservatione, Administratione, & Dispensatione Bonorum & Jurium Ecclesiæ.

Episcopis, capitulis, & generatim omnibus ecclesiarum, hospitalium, piorum locorum superioribus præsto erit inventarium seu codex in quo descripta erunt omnia ad ea spectantia, mobilia & immobilia bona, jura, census annui, cujusque generis proventus, & debitorum nomina. Aderit episcopis horum codicum omnium exemplar quod in visitationibus secum deferent, cum iis conferendum quæ penes locales superiores existent, ut impediant, ne quid detrimenti ecclesiis afferatur.

Beneficiarii, & in primis episcopi in eo sibi placebunt, ut hospitalitatem exerceant, suaque ipsorum bona, ex canonum mente, vel ad ornandas & reparandas ecclesias, vel ad alendos pauperes & altarium ministros, nequaquam vero ad consanguineos locupletandos, suasve præposteras cupiditates explendas impendant.

De Sacramento Matrimonii.

Servabuntur Tridentini concilii decreta, ad matrimonium quod attinet; & parochi in peculiarem codicem referent personarum nomina quas in matrimonium conjunxerint, itemque testium qui earumdem matrimoniis adfuerint. Matrimoniales proclamationes fient in media festorum dierum magna missa, qui matrimonium præcedent. Parochi nunquam nuptialem benedictionem tribuent, quin missam dicant cui intererunt sponsi duo. Pravus ad matrimoniorum missam bibendi & cyathi frangendi mos abolebitur.

De pravæ vitæ feminis, ac de iis qui, iisdem suppetandis, adolescentes corrumpunt.

Hortatur synodus principes & magistratus, ut hos omnes infames corruptores expellant; ejusmodi feminis pretiosorum lapillorum, auri, argenti, sericarum vestium usum prohibeant; eas ablegent in semota loca ubi omnes una versentur, & unde egredi ultra diei spatium non possint; easque ab honestis feminis per externam aliquam notam distinguant, e qua dignoscantur. Rogantur etiam principes & magistratus, ut e suis terris circulatores, ludiones, mimos, histriones ejiciant, eosque severe puniant qui aleis publice ludunt, quique ejusmodi ludos spectant. Rogantur denique iidem principes & magistratus, ut expensas quoad vestes, convivia, equos, domesticos, ad certos fines redigant, & usuram impediant.

PARS III.

De piorum Locorum Administratione.

Qui in commendam aliumve titulum, quicunque fuerit, hospitalia vel alia loca pia ad peregrinorum, infirmorum, senum aut pauperum usum fundata possident, operam dabunt, ut eorumdem domos & ædificia servent & reparent; id recuperent quod injuste alienatum amissumve fuit, earumque omnibus oneribus faciant satis.

Pauperibus addicti fructus non nisi in veros pauperes distribuentur; quique morbos simulant, monebuntur, ut sibi victum labore comparent. Stips pro hospitalibus aliisve locis piis tum solum quæretur, cum in iis reapse hospitalitas & pietatis opera exercebuntur. Ad ejusmodi præterea collectiones opus erit episcopi venia, atque ut hospitale pro quo fient, in diœcesi situm sit, in qua episcopus eas concedet.

De Monialibus.

Monialium numerus respondebit monasterii reditibus; quæque non poterunt professas moniales duodecim sustentare, unientur aliis, aut post monialium mortem supprimentur. Monialium nulla directe vel indirecte ambiet officia, ea indicta pœna, ut privetur officio seu munere quod per ambitum obtinuerit & quodcumque obtinere deinceps posset, suamque ambitionem, tribus consecutis feriis sextis, terram osculans seque ad cæterarum monialium pedes prosternens, in capitulo accuset; quæ faverint ambitiosæ huic, eamdem pœnam subibunt. Religiosæ ad munera eas tantum eligent quas digniores aptioresque coram Deo ac sine ullo partium studio judicaverint. Si sorores plures in eodem monasterio sint, earumque una in antistitam electa fuerit, cæteræ nec vicariæ, nec discretæ, nec ostiariæ, nec secretariæ, nec cellerariæ esse poterunt. Antistita, tamquam reliquarum omnium religiosarum communis mater, eo suam omnem curam conferet, ut iis conquirat quicquid ad earumdem animæ salutem & corporis valetudinem facere poterit. Animum peculiariter intendet, ut eas ad vitæ quam iniere, perfectionem, ad pacem, ad concordiam, ad charitatem, ad silentium, ad munera quibus addictæ sunt, accurate obeunda excitet.

De Puellis quæ se præsentant, ut religioni nomen dent.

Statim ac puella religionis habitum petet, antistita monasterii in quo se præsentabit, ejus parentes eosve quibus ejusdem cura est, de excommunicatione monebit quam Tridentinum concilium in eos pronuntiat, qui suas ipsorum filias alienasve cogunt religionem suscipere. Postulantem puellam communitas non recipiet nisi cum episcopi, de scripto, venia, quam non

ante

ante concedet quam ejus vocationem ipse per se aut per delegatum expenderit. Puellæ ad habitus susceptionem vel ad professionem receptio, per scrutinium, ad duplicis tertiæ suffragiorum partis pluralitatem fiet. Quæ recepta fuerit, nigrum illico aut subnigrum habitum sumet; religionis autem habitus non nisi post sextum probationis mensem, ei tribuetur.

De Novitiis quæ ad Professionem recipiendæ.

Monasterii antistita, triginta diebus ante quam ejus novitiæ professionem edant, id episcopo significabit, ut eas super vocatione rursus examinet aut examinari jubeat, iisdemque onerum quæ subire volunt, gravitatem & obligationes ob oculos ponat. Earum nulla ad professionem recipietur quæ non legere divinumque officium dicere sciat, ut oportet. Nullum instruetur in monasterio convivium, professionis novitiarum die.

De Sanctimonialium divinis Officiis, Precibus & Lectionibus.

Religiosæ, quippe quas adigit initi status ratio, ut assidue Deum laudent, eumdemque pro omnibus hominibus orare nunquam desistant, aderunt accurate choro diu noctuque, ut ibi concinant recitentque divinum officium animo a terrenis rebus abducto atque ad fervorem & amorem composito; nec inde egredientur nisi ad officii finem, cum ad recedendum antistita signum ediderit. Festis diebus, quod iis tempus post divinum officium supererit, in commune vel privatim, sanctis piisque lectionibus edendis transigent, quibus ad virtutem ipsimque perfectionis apicem animari possint.

De communi Vita & de Proprietate.

Religiosæ omnes, ad bibendum, comedendum, dormiendum quod spectat, communem vitam agent, propriique aut supervacanei nihil habebunt, quemadmodum paupertatis votum postulat. Earum unicuique antistita necessarium distribuet, pari cum prudentia & humanitate, e monasterii communibus bonis, sine personarum acceptione, ac solum indigentiæ ratione habita. Dona quæ monialibus tributa fuerint, ferentur ad antistitam quæ de iis pro sua ipsius voluntate statuet, quæque, ter in anno, cum discretis, cellularum visitationem peraget, ut inde amoveat, quicquid ibidem paupertatis voto contrarium compererit.

De Clausura.

Moniales, quam maximam possunt, sollicitudinem ad hujus thesauri custodiam conferre debent, quamobrem perficient episcopi, ut in exedris ad colloquia, vulgo parlatoriis, adsint ferreæ crates duæ, saltem ad palmum, hoc est, pollices octo vel circiter invicem distitæ. Inter cancellorum clathros ipsos unius tantum pollicis distantia erit; iidemque erunt tam solidi, ut nec inflecti nec disrumpi possint. Aderit, e monialium parte, posteriori crati apposita, parvisque foraminibus patula ferrea lamina, ut auribus mutuo percipi verba possint. Tegetur hæc lamina novo panno nigro ligneæ tabellæ appenso in fenestræ modum, quæ aperiri possit, cum opus colloquio erit. Ea in lamina confici poterit parva novem tantum pollicum quadrata fenestra, cujus clavem tenebit antistita, quæque non aperietur, nisi cum oportebit, ut moniales episcopum, vel ordinis superiores, vel proximos consanguineos alloquantur, aut cum aliquis edendus actus, seu sermo audiendus erit. Exedrarum januæ semper clausæ tum foris tum intus erunt, aperienturque, cum ad exedras quispiam aderit. ita quidem, ut, qui ibidem extiterint, videri possint. Obturabuntur omnes fenestræ cratesque omnes quæ ad ecclesiam prostant, exceptis fenestra vestibuli, parva item ad communionem fenestra, ea demum e qua sancta hostia ad missæ elevationem cernitur. Fenestra hæc semper erit tecta linteo, præter quam elevationis tempore, itaque constructa, ut sacerdos moniales videre non possit. Eædem egredi non poterunt e monasterio sine episcopi venia quam iis quidem non nisi ob maximi momenti causas & in extrema necessitate concedat.

Quicunque & quæcunque in virginum monasteria absque episcopi nutu pedem inferent, præterquamquod excommunicationem a Tridentino concilio latam subibunt, etiam severe punientur. Operarii & operariæ quibus in monasteria ingredi licet, ut ea perficiant quibus moniales impares sunt, non ibidem tamen cubabunt. Moniales externum neminem alloquentur, qui non a monasterii superiore obtinuerit e scripto veniam quæ antistitæ a vestibulariis exhibebitur. Eædem nec communionis diebus, nec diebus dominicis præceptisve festis, nec in ejusmodi festorum vigilia, nec per adventum & quadragesimam, nec dum divinum officium peragitur, nullo demum tempore, extra necessitatis casum, ad colloquii exedram ibunt; iis erit cura, ut longos omnes non necessarios sermones abrumpant. Eæ virilia vel muliebria indumenta, ne relaxationis quidem causa, sibi unquam sumant; nec scribent nec accipient litteras, inscia antistita. Episcopum & monasterii antistitam hæc constitutio non complectitur.

De Pensionariis.

Nullæ recipientur pensionariæ, ut in monasteriis educentur, sine episcopi & superioris regularis venia, siquidem huic posteriori monasterium subsit; nullæ item recipi poterunt infra decimum ætatis annum, vel ultra decimum quintum. Hæ omnes nigra aut subnigra aut alba indumenta ferent. Nulla iis serica vestis, non aurium fibulæ, non monilia, nullum denique mundanum ornamentum erit. Eædem seorsim a monialibus degent, nulloque cum his commercio jungentur. Externos non alloquentur nisi iisdem adhibitis circumspectionibus quibus eosdem alloqui monialibus licet. Quæ vero pensionariæ religionem amplecti volent, remittentur ad suos apud quos remanebunt ad mensem saltem, antequam ab episcopo examinentur, ut iis omnino liberum sit id animo reputare quod facere volunt.

De Monialium Concionatoribus, Confessariis, Visitatoribus & Capellanis.

Monasteriorum superiores nominabunt concionatores prudentes doctosque qui ad exedram vel in ecclesia divinum verbum monialibus nuntient, easque edoceant quicquid earumdem interest ad salutem scire. Iis statuentur idonei piique confessarii qui, semel saltem in mense, eas in pœnitentiæ tribunali audient; hi porro mutabuntur altero aut tertio quoque anno; iidemque monasterium non ingredientur, nisi ut sacramenta ægrotantibus administrent; ac tum quidem eos duæ tresve e senioribus monialibus comitabuntur quæ tintinnabulum pulsabunt, monendi causa cæteras, ut recedant. Monialium confessarii & visitatores regulares in earum monasteriis extra degere & vesci non poterunt, nisi cum iis nullum ipsorum ordinis cœnobium aderit, ubi monialium monasteria sita sunt. Religiosi quibus religiosæ sorores erunt, eas alloqui non poterunt nisi semel, & quidem cum superiorum venia & coram monialibus quæ præpositæ sunt, ut cæteras ad exedram comitentur. Horum religiosorum socii non poterunt ipsi moniales alloqui. Sorores omnes & singulæ ei legi suberunt, suam ut confessionem apud confessarium edant qui iis extra ordinem per annum dabitur.

Monialium capellani erunt presbyteri qui bonis operibus insigniti, ab iisque quibus id juris est, approbati sint. Non loquentur nisi in sacristia per ecclesiæ versatile tympanum, paucis ut verbis res ad sanctum sacrificium necessarias petant. Moniales, diebus solemnibus, perinde ac cæteris, nec musicam, nec figuratum cantum habebunt. Ad monasteriorum servitium non nisi provecta ætate bonisque moribus personæ sumentur. Religiosarum una quotidie reliquis omnibus monasterii religiosis unum e regulæ aut constitutionum capitulis leget.

De Judæis.

Judæi semper galerum aut pileum flavum, & Judææ fragmentum panni coloris ejusdem gestabunt, ut dignoscantur impedianturque, quoad fieri poterit, ne Christifidelium mores corrumpant, eorumque bona surripiant. Christiani nec in eorum domibus nec una cum iis comedent, nec eorum synagogis, perinde atque eorumdem ludis aut choreis intererunt; non eos sibi medicos sument; non iis Ecclesiæ terras locabunt; nec ejus ornamenta, vasa, eorumve quicquam quæ sunt ad ejusdem usum, iis vendent aut oppignerabunt.

De Pœnis.

Pecuniariæ delinquentibus clericis impositæ pœnæ ad episcopi emolumentum non vergent; sed is tertiam earum partem delatori tribuet; quod autem supererit, in pia opera conferetur. *Ibid.*

II. Mediolanense Concilium, an. 1569.

Habuit S. Carolus 24. Aprilis die concilium hoc, in eoque edidit statuta seu decreta plura quæ tribus omnino titulis continentur. Titulus primus qui fidei defensionem, sacramentorum administrationem & cætera pastorum officia spectat, complectitur decreta viginti novem. Titulus secundus qui refertur ad missam, ad divinum officium, ad ecclesiam & ecclesiasticos, exhibet decreta triginta sex, denique titulus tertius qui super ecclesiarum piorumque locorum bonis juribusque versatur, decreta continet viginti duo quibus tria quoad religiosas capita adduntur. Decreta hæc instaurant ea omnia quæ in primo Mediolanensi concilio edita fuerant, nonnullis etiam appositis additionibus quarum præcipuæ ejusmodi sunt. Jubetur, in secundi tituli decreto sexto, majus æs campanum in conventuali & parochiali missa ad hostiæ elevationem pulsari, ut, qui missæ interesse non possunt, moniti sancto sacrificio se socios addant. Jubetur in decimo majus idem campanum æs, in omnibus ecclesiis, cujusque hebdomadæ sexta quaque feria, paulo ante horam nonam, pulsari, fideles monendi causa, ut cogitationem ad Domini Nostri passionem referentes, terque dominicam Orationem & angelicam Salutationem recitantes, quadraginta dierum indulgentiam huic consuetudini addictam lucrentur. Undecimum horas ab ecclesiasticis, seu publice, seu privatim, temporibus in Romano Breviario notatis recitatas vult; nisi ecclesiæ cui deserviunt, mos repugnet. Vicesimum secundum episcopis mandat, ut impediant, ne ecclesiæ contiguas domos laici erigant; eos præterea operam dare vult, ut fenestræ per quas id cerni potest quod ibidem fit, obstruantur. Vicesimum quartum puellas vetat stipem in ecclesia quæritare; & vicesimum quintum episcopo præcipit, suum ut seminarium, tertio quoque mense, piis aliquibus doctisque viris, siquidem ei libuerit, comitantibus, visitet, magistrorum scientiam & ecclesiasticorum adolescentium progressum exploraturus. *Ibid.*

III. Mediolanense Concilium, an. 1573.

Concilium hoc S. Carolus celebravit ad mensis Aprilis finem, in eoque edidit constitutiones plures quæ uno & viginti sequentibus titulis continentur.

I.

De Festorum dierum cultu.

Vectigal regium seu contributio sanctis diebus festis non exigetur; iisdem diebus non libri, non imagines vendentur; omnes fideles missæ intererunt, quin puellæ nubiles aut viduæ excipiantur, tametsi Mediolanense concilium primum his quidem posterioribus licere voluerit ab ecclesia abesse per mensem qui virorum mortem proxime sequitur. Sanctificabunt fideles festa sermoni & vesperis adsistentes, bonis lectionibus vacantes, infirmos visitantes, afflictos consolantes, seque in omnibus pietatis operibus exercentes.

II.

De christianæ Doctrinæ Scholis.

Perficiet episcopus, ut scholæ a probatis viris sæpenumero visitentur, qui fideliter, quid in iis agatur, quæque sit christianæ doctrinæ ibidem docendi ratio, eidem referre possint.

III.

De Concionatoribus.

Concionatores, itemque episcopi & parochi fidelibus explicabunt mysteriorum quæ per anni cursum celebrantur, pariterque cæremoniarum, processionum, & jubilæorum causas, ut iis adjumento sint ad fructus ex iis percipiendos quos inde sibi comparare sine horum documentorum subsidio non possent. Idem præstabunt quoad ecclesiæ juvenes, Adventus & Septuagesimæ tempore.

IV.

De sollicitudine quæ ad Fidei defensionem conferri debet.

Non admittentur ad docendas litteras & liberales artes nisi qui suorum morum suæque catholicæ religionis idonea testimonia attulerint, & fidei professionem ediderint. Quicunque instituendæ juventuti præpositi fuerint, non aliis utentur libris quam quos episcopus iisdem præscripserit; is autem eos precum libellos quos non ipse approbaverit, venales prostare non finet.

V.

De Sacramentalibus & Sacramentis in universum.

Erigi jubebunt episcopi cruces plures suis in diœcesibus, &, peculiariter in triviis, ad populum excitandum, ut Deo pro redemptionis per crucis mysterium perfectæ beneficio gratias referat, & per Dei pro eo crucifixi vestigia ad gloriam incedat. Sacerdos dominicis diebus singulis benedictionem & aspersionem aquæ benedictæ peraget, antequam parochialem missam inchoet; idem ad mulieres recens puerperas in earum domibus relevandas non ibit; iisdemque, cum relevandæ ad ecclesiam venerint, panem benedictum in hostiæ formam non dabit. Servabitur in ecclesia & non alibi sanctum chrisma & catechumenorum oleum. Idem quoad infirmorum oleum fiet, nisi parochorum nonnullis, utpote ab ecclesia dissitis illud suis in domibus custodire per episcopum liceat. Suos sæpe subditos monebit parochus, ut sacramenta suscepturi, & patrinorum officio functuri arma deponant.

VI.

De expositorum Infantium Baptismate.

Baptizabuntur, sub conditione, infantes expositi, quamvis esset eorum collo appensa schedula quæ eos baptizatos esse testaretur.

VII.

De sancta Eucharistia.

Parochi & concionatores hortabuntur identidem populum, ut, quemadmodum oportet, crebro communicent. Sanctam eucharistiam non deferent, ut procellas & turbines sedent; solummodo tabernaculum aperire, &, coram eo, litanias & preces cæteras his calamitatibus addictas recitare poterunt.

VIII.

De Pœnitentiæ sacramento.

Confessarii quibus a peccatis reservatis itemque a censuris absolvendi facultas est, non proinde super irregularitate dispensare possunt, nisi peculiari in id potestate instructi sint. Confessarii qui eleemosynas in pœnitentiam præcipient, eas ne pauperibus quidem piisve locis distribuendas sument, ne dum ipsi sibi applicabunt. Loquentur sæpe parochi contra peccata in quæ eorum parochiani fere labuntur, eosque hortabuntur, ut ea fugiant & detestentur.

IX.

De Extremæ Unctionis sacramento.

Explicabit parochus hujus sacramenti vim & emolumenta, quoties illud administrabit; nec dubitabit ægrotantibus illud conferre, qui sensuum usum amiserunt, modo adhuc in vivis sint, dederintque, dum bene valebant, religionis specimina, quæ præsumendi locum præbeant eos, si facultas suppeteret, hoc sacramentum petituros fuisse.

X.

De Ordinis sacramento & de Clericis.

Clerici qui sacrorum ordinum aliquem, extra tempora ad ordinationem præscripta, vel ante requisitam ætatem, vel sine proprii episcopi dimissoriis litteris, suscipiunt, a suscepti ordinis exercitatione, *ipso facto*, suspensi sunt; quod si eum suspensionis tempore exerceant, in irregularitatem incidunt. Quicunque non est tonsura insignitus, clericalem habitum, sine episcopi, e scripto, venia, ferre non poterit. Morum sanctitate perficient presbyteri, ut observantia sacerdotio deferatur.

XI.

De Missa sacrificio.

Cum ecclesia cathedralis aut collegiata defunctorum missam quam dicat, habebit, non proinde diei missam omittet; dicet itaque missas duas. Suos sæpe parochianos monebunt parochi, ut se ad suorum peccatorum dolorem excitent, cum se per æris campani sonum ad missam accitos audiunt, quo majorem ex hoc propitiatorio sacrificio fructum percipiant. Fideles missam audient flexis genibus, & ad evangelium se in pedes erigent. Feminæ prope altare, ubi missa dicitur, consistere non sinentur.

XII.

De divinis Officiis.

Divinum officium, prout chori magister statuerit, peragetur. Peculiaris ecclesiæ clerici omnes ibidem feria quinta hebdomadæ sanctæ communicabunt. Singulis sabbatis, singulisque B. Virginis festis diebus, antiphona, *Salve, Regina*, vel alia pro tempore, in omnibus parœciis, sub vespertinum tempus, canetur. Presbyteri & ecclesiæ consecratæ, quotannis, suæ consecrationis anniversarium peragent.

XIII.

De Parochis.

Parochus recens nominatus jurabit in episcopi manu fore, ut ei, itemque ejus successoribus & sanctæ sedi pareat, sua in parœcia e Tridentini concilii mente resideat, ejus jura defendat, ejusdemque bona sine legitima auctoritate non alienet. Festa sanctificandi & indulgentias lucrandi rationem sæpe parochianos docebit. Vesperarum officium, dominicis festisque diebus, clara distinctaque voce, saltem recitabit, cum illud canere, deficiente subsidio, non poterit. Statim atque alicujus e parochianis mortem intelliget, dicet *De profundis* ad ejus animæ requiem, jubebitque, perinde atque ad *Angelus*, æs campanum pulsari, ut populus de re moneatur, & ad preces pro defuncto fundendas excitetur.

XIV.

De canonicali Capitulo.

Intererit episcopus singulis mensibus aut sæpe saltem, per annum, suorum canonicorum capitulo, ut divinum cultum augeat, pacem inter canonicos servet, abusus corrigat legesque servandas curet. Omnibus tum ex ordine tum extra ordinem capitulis aderunt canonici, sub arbitrariæ punitionis pœna, prout ei visum fuerit qui in capitulo primas agit. Existent canonici duo a capitulo nominati, ut ejus archivia custodiant.

XV.

De Ecclesiarum Decoratione, deque observantia quæ iisdem debetur.

Nulla prorsus ecclesia nisi ex forma quam canones præscribunt, ædificabitur, & supellectile instruetur. Agent episcopi, quicquid ab iis pendebit, ut feminas adigant, ne in publicum prodeant, potissimum vero ad processiones & ad ecclesiam se conferant, nisi velo capiti imposito.

XVI.

De iis quæ pertinent ad Defensionem Bonorum Ecclesiæ.

Episcopus procuratorem & advocatum constituet, ut ecclesiarum bona & jura recuperent, quarum rectores & administratores aut inhabiles & impotentes, aut ignavi & negligentes hoc in capite sunt. Conabitur etiam perficere, ut defuncti parochi hæredes omnia bona ad illud beneficium pertinentia gratis ejus successori relinquant, piorumque legatorum executionem curare.

XVII.

De Sacramento Matrimonii.

Hujus sacramenti sanctitas magnas animi dispositiones in iis requirit qui ad illud suscipiendum destinati sunt; suosque parochi populos super hac re sæpenumero erudire debent. Matrimonia mane tantum, & nunquam post meridiem, nisi id episcopus sinat, celebrabuntur. Suos conjugati filios suosque domesticos ad Dei timorem & ad omnia christianæ pietatis officia fideliter perficienda pertrahent; ita scilicet, ut eos vel edoceant & hortentur ipsi, vel ad scholas mittant, imprimis autem in sua ipsorum agendi ratione nunquam non iis omnium virtutum exempla præbeant.

XVIII.

De Foro Episcopali.

Episcopus leges suæ diœceseos usui consentaneas, pro multiplici causarum genere, suis omnibus ministris seu officiariis, ut advocatis, procuratoribus, notariis, &c. præscribet. Statuet etiam salarium quod eorum operæ in omnium generum causis dabebitur; & hi quidem a clientibus nihil amplius recipient, nec dona ipsa quæ rebus potui vel esui inservientibus continerentur. Episcopus, utpote viduarum, pupillorum & pauperum communis pater, advocatum clericum aut laicum constituet, qui eos defendat, eorumdemque causas agat.

XIX.

De Confraternitatibus.

Episcopus in sua diœcesi aliquas confraternitates e viris morum gravitate commendatis instituet, qui fraternam erga cæteros correctionem obeant, consultisque nonnullis approbatis theologis, regulas iisdem præscribet, ut id officii rite ac recte exequantur.

XX.

De Monialibus & Religiosis.

Gregorii XIII. quoad moniales Bullam episcopus etiam in monasteriis quæ religiosis subsunt, servari jubebit. Monialium confessarii, seu sæculares, seu regulares, nullum omnino vel minimum munus ab iis generatim aut singillatim, atque adeo ab autistita ipsa, monasterii nomine, præter id quo ad victum indigent, accipere poterunt.

XXI.

De eo quod decreta hæc & cætera in universum spectat.

Perficient episcopi, ut canonici, parochi, omnesque universim clerici sæpe legant provincialium & diœcesanorum conciliorum decreta. Ad laicos quod attinet, in compendium redigentur, & in vernaculam linguam vertentur decretorum partes quæ eos afficiunt; iisdemque a parochis explicabuntur. *Ibidem.*

IV. Mediolanense Concilium, an. 1576.

Habuit S. Carolus concilium hoc, die 10. Maji, cum suæ provinciæ episcopis, itemque cum Famæaugustæ, urbis in Cypro insula, episcopo, visitatore apostolico. In eo edita decreta plura in partes tributa tres; quarum prima continet sanctiones viginti sex super fide superque pluribus aliis doctrinæ capitibus: altera quæ de sacramentis deque rebus ad ea spectantibus agit, exhibet decreta quindecim; tertia super episcopis cæterisque Ecclesiæ ministris versatur, & quatuordecim decreta complectitur.

PARS PRIMA.

I.

De Fidei Professione.

Curabunt episcopi, ut executioni mandetur Pii IV. Bulla, super fidei professione quam edere jubendæ sunt personæ quædam, quas inter referendi quicunque arithme-

arithmeticen, musicen, aliamve liberalem, quæcunque fuerit, artem docent.

II.

De Reliquiis, Miraculis & Imaginibus.

Sanctorum reliquias episcopi a piis doctisque presbyteris expendi & probari jubebunt. Earum nulla servabitur privatis in domibus, sed omnes & singulæ ponentur in ecclesiæ loco qui prostet aspectui satisque obstructus sit. Non eas tangent laici, quæcunque fuerit eorum conditio. Servabunt episcopi formam a Tridentino concilio præscriptam, ut recipiantur & approbentur tum nova miracula, tum novæ reliquiæ. Nullæ Sanctorum imagines super pavimento, vel in alio sordido inconcinnoque loco pingentur; neque vero ibidem ulla figura conficietur quæ sacra religionis nostræ mysteria repræsentet. Pictores sculptoresque qui imagines statuasve inhonestas conficere ausi fuerint, severe punientur & ecclesiæ aditu prohibebuntur. Cruces & Sanctorum imagines benedicentur. Quæ instaurari non poterunt, haud profanis usibus addicentur, sed comburentur, cineres autem sub ecclesiæ pavimento collocabuntur. Sibi sument episcopi tum per se, tum per alios presbyteros erudiendum populum super Ecclesiæ doctrina, ad Sanctorum invocationem eorumque imaginum & reliquiarum cultum quod attinet.

III.

De Indulgentiis.

Perficiet episcopus, ut parochi & concionatores de indulgentiarum vi, emolumentis & conditionibus populos doceant. Habebit suis in archiviis librum in quo descriptæ erunt quæcunque in ejus diœcesi, seu penes regulares aliosque exemptos, seu alibi, usui sunt. Suus quoque erit ecclesiis omnium indulgentiarum quæ iis propriæ & peculiares sunt, liber seu commentarius qui in singularum archiviis vel in sacristia custodietur.

IV.

De Superstitionibus.

Ad synodum parochi, de scripto, superstitiones omnes offerent quas in suis quisque parœciis notaverint, dabuntque operam confessarii, ut ab iis fideles avertant.

V.

De Quatuor-Temporibus.

Parochi de Quatuor-Temporibus, superiore dominica die, ad populum sermonem habebunt, eum permovendi causa, ut preces, jejunia, eleemosynas, in divinis officiis assiduitatem per eos sanctos dies augeant, ex Ecclesiæ mente quæ scilicet eos instituit, ut altarium sancti per ordinationem ministri a Deo peterentur, eique gratiæ de beneficiis in unaquaque anni tempestate acceptis persolverentur.

VI.

De Formula ad Quatuor-Temporum jejunium annunciandum.

Est hæc in eo posita, ut populo annuntietur fore, ut feria quarta, feria sexta & sabbato jejunetur; idemque extimuletur, ut non sine fervoris renovatione se bonis operibus dedat.

VII.

De Feriis Jejunio addictis.

Per Quadragesimam, cæterisque jejunii diebus, nihil eorum fiet quæ ad contentiosum forum referuntur, missæ & sermonis tempore.

VIII.

De Sancto Ambrosio.

Agetur S. Ambrosii festus dies, ut cæteri qui præcepti sunt, in tota Mediolanensi diœcesi, cujus is pater & patronus est.

IX.

De Ecclesiasticorum ad festorum dierum Celebrationem Convocatione.

Parochi non poterunt presbyteros plures quam quatuor aut sex accire qui iis ad festa quæ in universa diœcesi præcepta sunt, celebranda suppetias ferant, nisi fundatio majorem eorumdem numerum postulet; &, cum presbyteri quos ad se vocaverint, parochi & ipsi erunt, suas hi quidem parœcias deserere non poterunt, quin presbyterum ibidem relinquant, qui eorum vices agat.

X.

De Peregrinationibus.

Nullam clerici peregrinationem suscipient, quin in id ab episcopo veniam, testimoniales litteras & benedictionem obtinuerint. Ad id laici suis a parochis benedictionem, & ab episcopo canonicas litteras sument. Utrique evitabunt, in itinere, quicquid pietati nocere potest, cujusmodi sunt pravæ societates, profanæ cantilenæ, inepti sermones; seduloque, e converso, consectabuntur, quicquid eidem favere potest, cujusmodi sunt preces, psalmorum hymnorumque cantus, colloquia ad pietatem spectantia, &c.

XI.

De Honore qui Ecclesiis exhibendus.

Nulla nova ecclesia sine episcopi venia, nulla quoque nisi in honesto ac decenti loco construetur. Semper aderit crucifixus sub ejus præcipuo fornice; erunt ejusdem fenestræ cancellis obductæ. Aquæ benedictæ vas erit intra, non extra ecclesiam. Erunt lampades ex altaris regione, non ad ejusdem latus. Id erit curæ, ut sæpe tergantur, quo semper nitidæ & apprime lucentes sint.

XII.

De Capellis & Altaribus.

Non erigetur capella, non altare in ecclesia, quin episcopus annuat. Altaria non propius aderunt cathedræ, organo, januæ, non inhærebunt ecclesiæ columnis, nec ex diametro majori altari opponentur. Singula altaria concludet undique ligneum, lapideum aut ferreum clathratum septum, intra quod laicis non licebit pedem inferre. Sacella & altaria rebus omnibus ad Dei servitium necessariis instruentur.

XIII.

De Sepulcris.

In ecclesia sepulcrum habere, sine episcopi, e scripto, venia, licebit nemini. Sepulcra aut tumuli nec in choro, nec in capellarum præcipua, nec prope altaria collocabuntur.

XIV.

De Cœmeteriis.

Clausa erunt muris aut sepibus cœmeteria, ita quidem, ut eo bruta animantia ingredi nequeant. In iis medium semper locum tenebit fixa crux.

XV.

De Campanis.

Aderunt parœciis æra campana, si fieri poterit, saltem duo, ecclesiis autem non parochialibus seu oratoriis unum tantum & quidem parvum. Profani nihil iis imprimetur, sed crux aliave sancta imago tantum. Eadem in turri campanaria non ponentur, quin ab episcopo benedicta fuerint.

XVI.

De sanctorum Locorum Ornatu & Nitore.

Tegentur altaria candidis mappis tribus & cerata tela. Aderit altari cuique tabella secretarum dicta. Ad ornandum Domini tumulum, Feria quinta majoris hebdo-

hebdomadæ, nihil eorum adhibetur quæ profanis & vitæ consuetis usibus inservierint, ut lecti stragula & vela, conopœa, aulæa, &c. In imaginum indumentis idem præstabitur. Altaria & imagines, parietes omnesque demum ecclesiarum partes apte admodum ac nitide servabuntur. Evellentur ex earum muris vineæ, hederæ, rubi, omnesque generatim plantæ quæ foris iis adhærescunt. Non tolerabuntur in cœmeteriis vineæ, non frugiferæ aliæve arbores, non arbusta, non rubi, non fœnum aut herba ad animalium usum, non lignorum, lapidum, arenati congeries; uno verbo, nihil quod horum ad observantiam insignium locorum sanctitati & nitori repugnet.

XVII.

Cavendum esse, ne Loca sancta profanis usibus addicantur.

Non affigentur ecclesiarum, oratoriorum, cœmeteriorum foribus aut parietibus schedulæ quæ locandas aut vendendas annuntient domos, terras aut ejusmodi alia. Ecclesiarum, capellarum & oratoriorum, ubi missa nonnunquam dicitur, tecta nec lignis nec paleis onerabuntur. Ibidem nullum in superiore parte cubiculum aderit, in quo quispiam degat, dormiat, aut profani aliquid agat. Nullum granorum, fructuum, leguminum genus, nullum itidem instrumentum ruralibus operibus accommodatum in ecclesiis, in oratoriis, atque adeo in cœmeteriis ponetur. Neque vero frumentum in cœmeteriis expurgabitur aut ventilabitur; non protendentur ibidem fructus, non grana, non telæ, non lintea, ut exsiccentur. Non ibi licebit nere, suere, profanum aliquod opus edere, aut cum sarcinis tamquam per publicam viam prætergredi.

XVIII.

Qua quisque ratione sanctis in locis se gerere debeat.

Semper aderit in ecclesiis clericus, impediendi causa, ne quid ibi fiat, quod sacris iisdem locis indignum sit. In iis viri a feminis sejuncti erunt; ac per aliam viri, per aliam feminæ januam, cum id fieri poterit, ingredientur & egredientur. Arcebitur ab ecclesiis, itemque a proximis circum locis quicquid rumorem excitare aut scandalum afferre posset.

XIX.

De Ecclesiarum & Altarium Consecratione, ac de cæterarum rerum Benedictione.

Parochiales omnes ecclesiæ & majora quæque earumdem altaria consecrabuntur. Parochiani eo die qui parochialis ecclesiæ consecrationem antecedet, jejunabunt, iisdemque consecrationis ipsius dies festus erit. Domos recens extructas, easque quæ a dæmonibus vexantur, benedicendi vetus mos restituetur.

XX.

De ratione profanandi Ecclesias & Altaria.

Cum ab eo qui jus obtinet, ecclesia damnabitur, ut profanetur, ex ea, aliquot ante profanationem diebus, reliquiæ & corpora Sanctorum, quæ ibidem extiterint, sanctæque pariter imagines transferentur; deinde vero presbyter cui ejus ecclesiæ profanationem episcopus demandaverit, ad altare accedens, dominicam Orationem, angelicam Salutationem, cum oratione patroni altaris, ibidem recitabit; sacrumque lapidem inde sublatum abluet, aquam autem in sacrarium injiciet. Tum operarii demolientur altare; fietque, postridie, mortuorum corporum exhumatio.

XXI.

De Sacristia.

Aderunt in sacristiis tot armaria, quot requirentur, et apte servetur, quicquid ex ecclesiæ servitio est. Aderunt ibidem etiam parva seorsim, quoad fieri poterit, oratoria in quibus, ante & post missam, defixo intentius animo, sacerdotes orare possint; ibi silentium custodietur, eoque laici absque necessitate ingredi non sinentur. Ecclesiarum rectores non adhibebunt, nec patientur alios adhibere, ad domesticos usus, suarum sacristiarum supellectilem, cujusmodi sunt vela, tapetes, aulæa, &c.

XXII.

Ecclesiæ quibus libri & manuscripti codices suppetunt, construi jubebunt bibliothecas in episcopalibus ædibus, vel in canonicis domibus, vel denique in aliis ad ecclesias has pertinentibus. Ibi libri, servato ordine, disponentur, & sarti tectique sedulo servabuntur. Bibliothecas has episcopus identidem visitabit, & ad cleri utilitatem augendas curabit.

XXIII.

De Oratoriis quæ in viis sita sunt.

In oratoriis, ubi missa non dicitur, altare nullum aderit. Ea quidem publicis in viis, non in agris statuentur, ut transeuntes gradum ibidem sistant orandi causa. In oratoriorum externis parietibus imagines non pingentur, ne profanationi exponantur.

XXIV.

De Prece.

Pulsabitur ecclesiæ campanum æs ad populum commonendum, ut vespertinam precem edat; & hæc prex, festis potissimum diebus, quoad fieri poterit, in ecclesia ipsa peragetur; si minus, domi fiet, itemque matutina prex, cum, æque ac vespertina, in ecclesia fieri non poterit. Æra campana in procellis ac turbinibus pulsabuntur, tum ut eædem sedentur divinæ benedictionis campanis addictæ vi, tum ut Dei misericordiæ subsidium imploretur per preces quas in ecclesia, siquidem commode possunt, aut alio quovis in loco fideles effundent.

XXV.

De Prædicatione verbi Dei.

Primi & secundi ordinis pastores in id peculiariter incumbent, ut de cujusque status propriis officiis, cujusmodi sunt parentum, filiorum, virorum, conjugum, dominorum, famulorum, &c. officia, populos doceant; sermo potissimum missæ tempore, & quidem post evangelium habebitur.

XXVI.

De Christianæ Doctrinæ Scholis.

In eorum gratiam qui vel ob locorum distantiam, vel alia de causa, ad christianæ doctrinæ institutiones in parochialibus ecclesiis institutas se conferre non poterunt, statuentur ejusmodi scholæ in capellis, oratoriis, aliove honesto & commodo loco, quo conveniant qui iisdem interesse debent.

PARS II.

De Sacramentis deque iis quæ ad hæc referuntur.

I.

De Sacramentis in universum.

Statim ac nova parochus sancta olea acceperit, vetera comburet in lampade quæ ante sanctum Sacramentum accensa est; ac deinde, in sacrario, hujus lampadis elichnium omnino comburet. Cum sancta olea deficere cœperint, alia non consecrata guttatim infundentur in vas quod ea continet, at pauciora quam prima. Sacerdos nullus energumenos exorcizare poterit sine episcopi, de scripto, venia.

II.

De rebus quæ ad Baptismum referuntur.

Baptisteria collocabuntur ad sinistram partem ingressus Ecclesiæ, concludenturque clathris seu cancellis. Si parochus perspicit infantem qui ei baptizandus exhibetur, ex aliena parœcia esse, eum remittet ad proprium parochum, nisi forte periculum adsit. Quicunque Sacerdotes baptizant, ritus omnes ad baptismum præscriptos accurate servabunt. Impedient, ne inhonesta

nesta, ridicula, aut ethnica nomina infantibus imponantur.

III.

De rebus quæ ad Confirmationis sacramentum referuntur.

Quicunque addicti sunt animarum curæ, perficient, ut qui iis subsunt, Confirmationis Sacramentum suscipiant, postquam confessi fuerint, & jejunaverint, siquidem sacramentum hoc matutino tempore conferatur.

IV.

De rebus ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum spectantibus.

Tabernaculum in quo sancta Eucharistia servatur, indutum erit intus panno serico, & foris tentorio tectum. Parochi & concionatores hortabuntur fideles, ut crebro ad sanctam Eucharistiam accedant; ita nihilominus, ut iis indignæ communionis crimen & periculum ob oculos ponant. Ut servari canones possint qui parochis mandant, ut eorum qui in Paschate communicaverint, rationem reddant, iis tantum per Paschalium quindecim dierum spatium communio tribuetur, qui ab episcopo vel a parocho in id facultatem, e scripto, obtinuerint. Libenter parochi sanctam eucharistiam ad infirmos ferent qui ad ecclesiam venire non possunt, quique communicare cupiunt, quamvis absque periculo sint. In sancti Sacramenti solemni processione nullæ reliquiæ deferentur. Parochi populos hortabuntur, ut per confessionem, jejunium, eleemosynas, preces ad sancti Sacramenti festum se comparent, & aliquo per octavam die communicent.

V.

De eo quod ad Pœnitentiæ sacramentum refertur.

Episcopus, suis in visitationibus suaque in episcopali urbe, omnes identidem confessarios simul aut separatim arcesset, ut iis ministerii quo funguntur, gravitatem & pericula exponat, ostendatque qua circumspectione se gerere debeant in pœnitentiæ tribunali, peculiariter cum peccatoribus qui reservatis casibus subsunt, aut in peccati habitu versantur, aut ad restitutionem tenentur. Iis etiam obligationem ob oculos ponet, in qua sunt, ut salutares pœnitentias imponant, nec solum impedire studeant, ne pœnitentes in eadem crimina recidant, sed etiam perficere, ut virtutes consectentur, faciantque officiis satis quæ singulorum statui addicta sunt.

VI.

De eo quod refertur ad Extremam-unctionem & ad officia morientibus exhibenda.

Tribuet parochus Extremam-unctionem adultis periculose ægrotantibus, senibusque decrepitis qui quoque die mori possunt, etsi non ægrotent, non autem pueris qui rationis usu non pollent, nec mulieribus quæ parturiunt, nec iis qui ad bellum pergunt, navim conscendunt vela daturi, aut iter suscipiunt, nec demum reis ad mortem damnatis. Presbyter sanctorum Oleorum vas per sericum funiculum collo appensum, ejusdemque materiæ sacculo inclusum deferet. Si ægrotus cui sacramentum hoc administrare debet, sensuum usum non amisit, eum hortabitur, brevi sermone omnino ad vim & suavitatem composito, ut sua omnia vota ad cælum referat, suamque in divina misericordia fidentiam ponat; eum jubebit preces ad animæ commendationem notatas, si potis est, dicere, easve alteri dicendas mandabit.

VII.

De eo quod ad Ordinis sacramentum refertur.

Episcopi & parochi nihil obliviscentur, ut juniores clericos de eorum officiis edoceant, & qua poterunt, sollicitudine super eorumdem moribus & studiis invigilabunt. Ordinabunt episcopi eos tantum qui idoneis testimoniis quoad doctrinam & mores muniti erunt, quosque nullum ab ordinatione impedimentum arcebit.

VIII.

De impedimentis quæ ab Ordinatione removent.

Hæc impedimenta sunt: ætatis aut confirmationis defectus, ignorantia, crimen, publica pœnitentia, neophyti status, ebriositatis & gulæ habitus, impuritas, perjurium, usura publica, infamia, reddendæ rationis obligatio, servitus, corporis vitium, insignis deformitas, illegitima nativitas, bigamia, irregularitas, suspensio, interdictum, excommunicatio, amentia, morbus comitialis, dæmonis possessio, examinis & approbationis defectus.

IX.

De Beneficiorum Collatione & Provisione.

Tridentini concilii canones super hac re servabuntur; episcopique, quin flecti possint, eos omnes rejicient quos beneficiis ad quæ nominati aut præsentati fuerint, haud idoneos judicabunt, postquam eosdem serio super doctrina, moribus, cantu, omnibus denique qualitatibus examinaverint quas ab iis beneficia postulant ad quæ præsentati sunt, quæcunque patronorum a quibus præsentantur, dignitas aut conditio sit.

X.

De eo quod ad sanctissimum Missæ sacrificium & ad divina Officia pertinet.

Suos identidem diœcesanos episcopus, & verbo & scripto, de obligatione monebit, cui subsunt, suas ut parœcias, dominicis potissimum festisque diebus, frequentent. Presbyteri quos legata aut fundationes adigunt, ut statum Missarum numerum ad statum altare dicant, eas ipsi, & quidem ad altare dicent quod legatum aut fundatio designat, nisi eos episcopus, æquis de causis, per alios presbyteros aliisque in altaribus eas missas exequi sinat. Episcopi est missæ horam pro locorum, temporum & personarum circumstantiis statuere. Missa, sine additione, sine detractione, sine ulla mutatione, e Missalis rubricis dicetur. Episcopi qui, statis solemnium festorum diebus, majorem Missam, suis in cathedralibus ecclesiis canunt, iis ipsis diebus, ad matutinum quoque & ad vesperas, officium obire debent. Quicquid in Pontificali & Cæremoniarum Libro super ratione qua divina officia peragenda, præscriptum est, accurate servabitur. Clerici qui B. Virginis officio desunt, quibus in ecclesiis illud in choro dici consuevit, distributionibus privabuntur, perinde ac si majori officio defuissent.

XI.

De Processionibus.

Proponet episcopus idoneos viros qui processiones ducant & moderentur. Qui una cum aliis non canent, submissa voce, hymnos aliasque preces huic cæremoniæ consonas recitabunt. In iis clerici sæculares & regulares incedent bini, sibique admixtos laicos non tolerabunt. Nullum aderit in processionibus musicum instrumentum; episcopique pro viribus operam dabunt, ut impediant, quominus fideles e fenestris aliove edito loco eas transeuntes spectent, ne dum, ut par est, religiose sequantur.

XII.

De Funeribus & Exequiis.

Quicunque ad humationem acciti fuerint, aderunt indicta hora; quique ex ecclesiasticis non intererunt ipsi per se, non erunt emolumentorum participes, suo licet loco alium ecclesiasticum a se missum prætexant. Cadaver, per breviorem & rectiorem viam, ad ecclesiam ducetur. Ad tumulorum repræsentationes non id adhibebitur quod altaris servitio addictum est. Nec clerici, nec eorum quispiam, qui ad sepulturas operam conferunt, pignora non sument, suum ut salarium seu stipendium sibi certum tutumque reddant.

XIII.

De Distributionibus.

Qui, dum choro adesse debet, missam dicet, distributionem ei officii parti addictam, cui, sacrum faciens, defue-

desuerit, non lucrabitur. Qui designati sunt, ut distributiones partiantur, neminem earum participem facient, nisi eo tempore quod ad hanc partitionem præscriptum est.

XIV.

De iis quæ ad Cathedralium & Collegiatarum ecclesiarum Capitula referuntur.

Cum aderit grave negotium in cathedralium aut collegialium ecclesiarum capitulis pertractandum, satis habebitur illud in cœtu proponi qui primus coactus fuerit, ejusque decisio ad cœtum alterum remittetur. Si res urget, nec ad alterum usque cœtum differri potest, ea canonicis triduo ante capituli cœtum, si fieri potest, significabitur, ut iis de eadem cogitare per tempus liceat.

XV.

De Parochis, eorumque Juribus & Officiis.

Sui ministerii officiis & functionibus parochi facient satis ipsi per se, nisi justæ eos causæ impediant. Episcopus severe parochos puniet, qui accurate, quicquid tandem prætexant, suis in parœciis non residebunt, suos ut parochianos edoceant, ut iis Missam dicant, ut iisdem sacramenta administrent, ut eorum querelas componant, ut eos denique mutuo concilient. Educandos apud se pensionarios parochi non tenebunt.

PARS III.

I.

De Episcopis.

SUis episcopi populis non intermissa omnium virtutum exempla præbebunt. In oratione erunt assidui, communique preci non deerunt quæ vespere pro tota eorum domo peragi debet. Crebro, peculiariter vero dominicis festisque diebus in ecclesia sacrum facient; missæ saltem intererunt, cum eam dicere non poterunt, nec efficient, ut ad altare eleemosynarius expectet. Officium recitabunt congruis horis, atque adeo in ecclesia, dominicis saltem festisque diebus, siquidem possunt, studioque se dedent quod eorum statui convenit. Accedentem quemque humaniter audient, & nemini non facere studebunt satis. Piorum doctorumque hominum societatem consectabuntur, & sæcularia convivia respuent fugientque; erit eorum vestitus simplex, mensamque semper condiet utilis lectio. In eorum ædibus non profani, non exquisiti, non supervacanei quicquam occurret; erit omnis eorumdem familia ad regulas, ad exemplum, ad ædificationem composita; parumque contenti consuetis eleemosynis quas per eleemosynarios erogabunt, in eo sibi placebunt, ut suis ipsi manibus quam poterunt plurimas erogent.

II.

De Vita & Honestate Clericorum.

Modesti erunt in vestibus & in omni oris & corporis habitu. Mundi epulas & societates aversabuntur, collato ad studium tempore quod suo singulis ministerio defunctis supererit. Quærent eorum ecclesiasticorum colloquia, a quibus erudiri & ad pietatem excitari possint. Nullus erit iis liber qui ulla ex parte possit eorum seu mores corrumpere, seu charitatem remittere, cujusmodi sunt Romanenses fabulæ, Comœdiæ, &c. Haud se Breviario exemptos putabunt, si eos febris aliusve levis morbus incesserit.

III.

De Visitatione.

Episcopi in suarum visitationum cursu hospitium apud laicos vitabunt; cumque id evitare non poterunt, se maxime simplicem & frugalem in modum habendos curabunt. Operam conferent, ut cleri populique mores reforment, disciplinam restituant, omnes abusus & peculiariter tam virorum quam feminarum luxum reprimant, ostendentes nihil magis cum christianæ religionis ratione pugnare, & innumera hinc mala nullo non tempore derivari. Pastoralia documenta relinquent quæ agendi regulas & monita unicuique statui consentanea continebunt, quæque a parocho per omne tempus populo in ecclesiis coacto legentur.

IV.

De Concilio provinciali.

Habebitur tertio quoque anno provinciale concilium, e Tridentini concilii mandato; quique illud conflabunt episcopi, quicquid iis inest scientiæ & sollicitudinis, adhibebunt, ut Dei gloriam populorumque qui eorum curæ concrediti sunt, salutem comparent.

V.

De Synodo diœcesana.

Synodum episcopus sua in diœcesi quotannis habebit, in qua indicet provincialis concilii decreta, quod postremum habitum fuerit.

VI.

De Testibus synodalibus.

Eliget provinciale concilium ex unaquaque provinciæ diœcesi synodales testes duos; suaque in synodo episcopus septem vel etiam plures seliget ejusmodi testes. Erunt hi synodales testes ex eorum ecclesiasticorum numero, qui ætate, moribus, prudentia & singulari ad omnium virtutum usum studio spectandi sint. Hi testes ipsi jurabunt se ad metropolitanum vel ad episcopum, quin eos ulla humana ratio sistere possit, delaturos quicquid noverint Dei & religionis rationibus repugnare.

VII.

De Monitionibus.

Usum servabunt episcopi, quem sancti patres instituerunt, ut suis in synodis monita conferrent quæ ad eorum qui eas conficiunt, omniumque generatim ecclesiasticorum sollicitudinem excitandam facerent, sua ut officia perficerent. Eos ergo monebunt, ut suæ vocationis excellentiam alta semper mente repostam habeant; prorsusque angelicam & sanctam in terris vitam agant quæ cæteris omnium virtutum, charitatis, humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, justitiæ, temperantiæ omniumque christianæ pietatis officiorum exemplum præbere possit.

VIII.

De Foro episcopali & ecclesiastico.

Concedentur iis tantum monitoria, qui episcopo supplicem ad ea obtinenda libellum obtulerint, ad civilis partis postulationem; & nulla concedentur ob criminales aut diffamantes res, easve quæ non penitus latent, eas denique quæ tam longo ex tempore amissæ fuerint, ut nullus supersit credendi locus eas in mentem redire posse. Episcopalis fori cancellariis & notariis aderunt libri in quibus describent acta omnia, & salarium quod acceperint pro omnibus civilibus aut criminalibus causis quas pertractaverint.

IX.

De rebus ad Matrimonium pertinentibus.

Scient parochi constitutiones quas ad impedimentorum matrimonii, quæ Tridentinum concilium statuit, explicationem summi pontifices ediderunt. Abolebunt episcopi indecentias quascunque in matrimoniorum celebrationem pravæ consuetudines induxerunt; &, peculiariter, nocturnas vociferationes & æneorum vasorum pulsationes, vulgo charivaria, quæ in secundis nuptiis eduntur.

X.

De iis quæ Regulares spectant.

Servabitur Tridentini concilii decretum quod mandat, ut sacræ Scripturæ interpres in religiosorum cœnobiis adsit. Servabuntur etiam Pii V. & Gregorii XIII. constitutiones, quæ feminas vetant in monasteriorum quæ virorum sunt, claustra & regularia loca cætera pedem inferre.

XI.

De Monialibus.

In religiosarum monasteriis duæ tantum aderunt externæ fores, vecturis una, personis usibusque consuetis altera; & ad hanc quidem ostiariæ religiosæ duæ semper adstabunt. Quadruplex tantum in his monasteriis vertibulum, seu, versatile tympanum erit; primum ad communem januam; secundum in colloquiorum loco, vulgo parlatorio; tertium in ecclesia ad altaris ornamentorum transitum; quartum denique in loco ad sacrum pœnitentiæ tribunal, seu, confessionale designato. Velatæ semper erunt religiosæ, cum externis e locis, vel ab ipsis concionatore aut superiore, perspici poterunt. Ita quoque se habebunt quæ medicum aut superiorem comitantur cum monasterium ingrediuntur. Religiosæ nec fructus, nec flores, nec crustula vendent. Non doni quicquam largientur; ac ne eleemosynam quidem ad monasterii seu januam seu versatile tympanum erogabunt; sed pecuniam, triticum aut ejusmodi alia personis pietate præstantibus tradent, ut ea in pauperes, alibi quam ad monasterii fores, ipsæ distribuant. Sæcularibus negotiis se religiosæ non immiscebunt.

XII.

De rebus ad pia Loca spectantibus.

Hospitalium aliorumque piorum locorum administratores animo reputabunt sibi pauperum, viduarum, orphanorum, cæterarumque miserarum personarum impositam curam esse, suamque se omnem operam ad ea quibus eædem indigent, conferre debere, tamquam demandatæ provinciæ rationem Christo Domino reddituros qui in persona pauperis delitescit. Hospitalium quæ expositis infantibus addicta sunt, administratores nutricibus non plures pueros tradent, quam lacte alere possint, ne, eorum culpa, iidem fame pereant. Invigilabit episcopus, ut fundationis leges quæ in pluribus piis domibus obtinent, accurate serventur, in eas scilicet quicunque earumdem legum vi recipi debent, recipiantur, nec admittatur eorum quispiam qui ab iisdem arcentur.

XIII.

De Formula ad annuntiandam Eleemosynarum Collectam.

Formula hæc in eo est posita, ut parœciæ fidelibus annuntietur fore, ut stata die eorum eleemosynæ colligantur, additis ad eosdem cohortationibus, ut ea ipsa die ad ecclesiam se conferant, ibique, quicquid pro suis singuli facultatibus poterunt, libenti animo tribuant, Christi Domini in pauperum persona nutriendi causa. Jubentur parochi in peculiarem codicem vagos mendicantes referre qui in eorum parœciis extiterint, in eoque eorumdem nomina & natale solum describere; quam iidem vitam quoad religionis exercitationes agant; suum, necne, catechismum calleant; an missam dominicis festisque diebus audiant; an confiteantur & an communicent per anni spatium. Eos adigent, ut parœciæ catechismo dominicis & festis diebus intersint.

XIV.

De eo quod spectat Decreta hæc.

Qui hæc decreta transgressi fuerint, pœnas in transgressores ibidem latas subibunt; eademque episcopus quisque in sua proxima synodo indici jubebit.

V. Mediolanense Concilium, an. 1579.

Concilium hoc, Maji die 7. S. Carolus una cum suæ provinciæ episcopis celebravit. Tribuitur hoc quoque ipsum in partes tres. Pars prima de rebus agit quæ fidem spectant, & undecim capita continet; altera, capitibus triginta, curam, diligentiam, charitatem, remedia, circumspectiones & cætera quæ pestis tempore servari debent, admodum fuse describit; tertia, viginti capitibus, id complectitur quod ad Ordinis sacramentum refertur. Hæc porro animadversione digniora nobis in his capitibus visa sunt. In primæ partis tertio dicitur opus fore episcopi, de scripto, venia, tum ut vendantur, tum ut emantur carnes, aut quævis alia ciborum genera quibus per Quadragesimam vesci non licet. In ejusdem partis capite sexto, presbyter cui benedicenda domus demandabitur, perficere jubetur, ut ex ea tollatur quicquid christiana familia indignum est, malique omnes libri flammis devoveantur. Ejusdem partis caput nonum sacerdotem jubet communionem fidelibus in missa tribuere, statim atque ipse pretiosum Sanguinem sumpserit; ita nihilominus, ut eam etiam extra missæ tempus tribuere possit; cum autem eam proxime post missam tribuet, sibi casulam & manipulum detrahat; & cum eamdem tribuet alio tempore, superpelliceo & stola indutus sit, pluviali vero, si episcopus: ex antiquissima, ut S. Ambrosius refert, consuetudine, qui communionem percepturi sunt, respondeant *Amen*, postquam sacerdos dixerit: *Corpus Domini nostri Jesu Christi*, &c. Additur pium morem esse in locis pluribus institutum, ut ne morti addicantur rei, qua ipsa die in viatici modum communicarunt. In altera parte, jubentur episcopi, non solum se fugæ non dare pestis tempore, sed nihil intentatum relinquere, suis ut ovibus spiritalia & temporalia, quæcunque in eorum potestate fuerint, subsidia comparent; indicere jejunia, preces, publicas processiones in quibus sub sacco & cilicio, aperto capite nudisque pedibus incedetur; hortari populos, ut confiteantur & communicent, postquam peccatis omnibus quæ eos tam singulari beneficio indignos redderent, ex animo nuntium remiserint; Confirmationis sacramentum conferre; bonæ voluntatis confessarios & concionatores quoscunque nancisci poterunt, ad opem parochis ferendam accire; conjunctoque cum magistratibus consilio, perficere, ut ægrotantibus nihil desit, seu quoad alimenta, seu quoad remedia & subsidia quæcunque pro multiplici cujusque indigentia parari poterunt. At, quamvis episcopi & parochi semper esse parati debent suam pro suis ovibus vitam dare, non negligent iidem tamen, suo erga infectos ministerio fungentes, congruis omnibus circumspectionibus uti. Eorum confessiones ad aliquam a lecto distantiam audire poterunt, vel eos etiam, si fieri possit, ad fenestram, ad januam, in vestibulum aut in aream accire; eamdemque circumspectionem, ut iisdem communionem præbeant, adhibebunt. Poterunt etiam vestes non ultra genua productas ferre, ac remediis uti quæ medici in pestem approbant. Sacerdos qui extremam-unctionem aut sacramenta cætera infectis tribuet, ab eorum commercio qui bene valent, ad dies aliquot abstinebit, ne metum iisdem incutiat. Episcopus cruces & altaria erigenda curabit in triviis, ubi sacerdotes qui sacrum ibidem facient, suo satis officio facere censebuntur, perinde ac si in ecclesia celebrarent. Non imponentur eidem vehiculo mortui viventesque, aut qui vere peste correpti, quique de ea tantum suspecti sunt. Statim ac sacerdos cui peste laborantium cura est, ea quempiam ictum audierit, ad eum visitandum se conferet, eique haud cunctatus pœnitentiæ sacramentum, viaticum & extremam-unctionem administrabit, quia sæpenumero infecti, cum minus videtur esse timendi locus, extemplo moriuntur, ac ne minima dilatio periculo caret. Cernitur in tertia parte sollicitudo quam episcopi in seminariis instituendis præferre debent, eorum examen qui in ea ingressuri sunt, animi contentio ad perficiendum, ut sui status sanctitati consentaneam clerici vitam agant, & pietate quæ ædificationi sit, divina officia omnesque sui ministerii functiones obeant.

VI. Mediolanense Concilium, an. 1582.

S. Carolus habuit Maji die 10. concilium hoc. Continet illud capita unum & triginta iis similia quæ in præcedentibus conciliis occurrunt, semperque ad ecclesiasticæ disciplinæ redintegrationem. Septimum etiam concilium ad an. 1585. indixerat S. Præsul; at eum, quominus illud celebraret; impediit mors qua an. 1584. e vivis ereptus fuit. Quæ habuit numero sex, hebdomadas fere tres sibi singula vindicabant, plurium constitutionum causa, quas S. Archiepiscopus una cum suffraganeis episcopis in iisdem edebat.

Concilium Toletanum, an. 1565.

Christophorus de Sandoval, Cordubensis episcopus, tamquam provinciæ episcopus senior, præfuit concilio huic quod 8. Septembris die an. 1565. pontificatus Pii V. anno sexto, & regni Philippi II. Hispaniarum regis decimo, in cathedrali ecclesia gloriosæ Assumptioni B. Virginis dedicata apertum fuit. Dividitur in sessiones tres. Prima continet Tridentini concilii super provincialium conciliorum celebratione decretum, suamque fidei professionem, nomine *Symboli fidei*. Altera quæ in eadem ecclesia habita est, die dominica Janua-

Januarii 13. an. 1566. qui pontificatus Pii V. primus fuit, unum ſupra triginta diſciplinæ decreta continet quorum priora novendecim quæ epiſcopos eorumque miniſtros ſpectant, reſidentiam ſuoſque ſupra greges vigilantiam, modeſtiam & ſimplicitatem in ſupellectile ac veſtibus, in menſa frugalitatem, in habendis ſynodis & peragendis viſitationibus diligentiam, de avaritiæ ſuſpicione, tum quoad ſe, tum quoad officiarios quibus utuntur, evitanda ſollicitudinem iiſdem commendant. Decretum viceſimum vigilias cœtuſque nocturnos in eccleſiis, ſub excommunicationis pœna prohibet. Viceſimum primum ludos etiam vetat qui in eccleſia edebantur Innocentium feſto die, itemque puerilem epiſcopi electionem quæ ſolemnibus quibuſdam diebus in cathedralibus & collegiatis eccleſiis uſui erat, &, generatim, omnia ſpectaculorum ludorumque genera chriſtianæ religionis majeſtate prorſus indigna. Viceſimum ſecundum, excommunicationis indicta pœna, clericos in ſacris ordinibus conſtitutos prohibet nllam alterius ſexus perſonam, cujuſcunque demum ætatis & conditionis fuerit, manu aut ex equo ducere. Viceſimum tertium omnes in ſacris itidem ordinibus conſtitutos eccleſiaſticos omneſque beneficiarios jubet conſtitutiones epiſcopis præſcriptas ſervare, quod ad modeſtiam, ſimplicitatem & frugalitatem attinet. Viceſimum quartum executionem decreti concilii Tridentini ſuper Parochorum examine, & viceſimum quintum decreti de reſidentia executionem mandat. Viceſimum ſextum parochis præcipit, ut perpetuo degant in eo parœciarum loco qui erit ad obeundas parochialis miniſterii functiones aptior. Viceſimum ſeptimum jubet, ut epiſcopi eccleſias erigant in parœciis quarum incolæ ita diſperſi ſunt, ut nonniſi difficulter ad ſuam parochialem eccleſiam, dominicis feſtiſque diebus, convenire poſſint; quo in his recens erectis eccleſiis miſſam commode audire & ſacramenta percipere iiſdem liceat. Viceſimum octavum vult cathedralium & collegialium eccleſiarum præbendarios quibus demandata eſt ſacræ Scripturæ explicatio, ſuorum auditorum captui ſe accommodare, iiſque utilem in modum exponere Scripturæ loca quæ ad ſacramenta, ad fidei articulos & ad conſcientiæ caſus referuntur. Viceſimum nonum mandat, ut cathedralium aut collegiatarum inſignium eccleſiarum dignitates & canonicatuum dimidia pars magiſtris tantum aut doctoribus aut licentiatis in theologia vel in jure canonico tribuantur. Triceſimum epiſcopis præcipit, ut reſidentiam ab omnibus cathedralium & collegialium eccleſiarum canonicis, ſecundum Tridentini concilii decreta, ſervatam velint. Triceſimum primum pronuntiat cum tamquam de tacita vel expreſſa ſimonia ſuſpectum ſpectandum eſſe, qui, abſque apoſtolicæ Sedis venia, aliquam ex beneficii quod reſignavit, fructibus partem acceperit, eumque qui eamdem ei, licet voluntarie, tribuerit.

Tertia ſeſſio quæ die 25. Martii ejuſdem anni habita eſt, viginti octo quæ ſequuntur, decreta continet.

1. Aderunt epiſcopis publica archivia in quibus omnes tabulæ quæ ad eorum jura pertinent, ſervabuntur.

2. Epiſcopi tonſuram non conferent niſi iis quibus ſtatim poſt tonſuræ receptionem beneficium ſuppetet, iiſve qui ſtudebunt, ut ad ulteriores ordines ſuſcipiendos ſe comparent, aut iis denique qui ad alicujus eccleſiæ ſervitium deſignabuntur.

3. Parochi & quicunque ad populorum inſtitutionem præpoſiti ſunt, difficiles involutaſque controverſias, & quicquid oſtentationem redolet, evitabunt; faciliique, ſimplici extirpandiſque vitiis accommodata ratione Evangelium explicabunt, ita ſcilicet, ut virtutum amorem & uſum inſpirent.

4. Canonicus qui magiſtralem præbendam poſſidet cui prædicandi onus addictum eſt, huic officio non deerit, quoties, ex epiſcopalibus mandatis, eidem ſubeſt.

5. Parochi aliive clerici qui ordinarii examen ſubierint, catechiſmum pueris, in eccleſia, paulo poſt meridiem, dominicis feſtiſque diebus ſingulis, tradent.

6. Omnes canonici aliique eccleſiaſtici qui in cathedralibus, collegiatis, omnibuſque generatim eccleſiis extiterint, in ſolemni miſſa communicabunt, niſi ſacrum & ipſi faciant, in Natali Domini, Feria quinta hebdomadæ ſanctæ, Paſchatis, Pentecoſtes, S. Petri, Aſſumptionis, omnium Sanctorum eccleſiæque patroni diebus.

7. Epiſcopi & quicunque id juris obtinent, clericos punient qui frivolis ſermonibus, animi avocatione & immodeſtia divinum officium turbant.

8. Tridentini concili decretum, quoad manuales diſtributiones, ſervabitur.

9. Servabitur etiam Tridentini concilii decretum alterum quod certis quibuſdam ordinibus cujuſmodi ſunt presbyteratus, diaconatus & ſubdiaconatus, certos quoſdam canonicatus addici jubet, ut proinde canonicus qui præbendam ſubdiaconatui addictam poſſidet, ſubdiaconi officium obire debeat, & ſic porro.

10. Omnes canonici aliique clerici cathedralibus aut collegiatis eccleſiis mancipati intereſſe debent officiis omnibus, ab initio ad finem uſque, eam ſecus pœnam ſubituri, ut diſtributiones amittant officiis addictas quibus defuerint, aut ad quæ ſerius venerint, aut e quibus ocyus exierint.

11. Operam dabunt epiſcopi, ut ne eccleſiarum muſice impediat, quominus pronuntiata pſalmorum eorumque omnium quæ canuntur, verba auribus excipiantur; & imprimis cavebunt, ne eccleſiarum muſice profanas theatri, amoris aut belli cantilenas imitetur.

12. & 13. Canonici non niſi bis in hebdomada capitulum habebunt; & ad illud, qui voce carent, non admittentur.

14. Theologales, pœnitentiarii, parochi nec vicarii-proviſores epiſcopi, nec viſitatores, nec ordinarii aut delegati omnium generatim appellationum judices eſſe poterunt.

15. Laici, ſeu viri ſeu feminæ, divinorum officiorum tempore, chorum non ingredientur.

16. Cavebunt ordinarii, ne parochiani ſuam parochialem eccleſiam deſerant, ut alio ſe transferant; quod ſi contigerit, quin impediri poſſit, derelicta eccleſia non deſinet ita ſervari, ut in ea dominicis feſtiſque diebus miſſa dicatur, nullus licet parochianus ibidem eſſet.

17. Ordinarii ſument e decimis, quo pauperes eccleſias reparent, &, quicquid ad divinum ſervitium requiritur, iiſdem ſuppeditent.

18. Clerici in ſacris ordinibus conſtituti, & beneficiarii nec laicorum œconomi, nec in civili foro procuratores erunt, præter quam quibus in caſibus per jus licet.

19. In clericos concubinarios per beneficiorum quæ poſſident, privationem, ordinarii procedent.

20. Cum epiſcopus, per officii aut beneficii privationem, canonicorum quempiam, ob crimen, punierit, ei capitulum gerenda negotia demandare, aut quicquam e capitulari menſa tribuere non poterit.

21. Presbyteri qui ſimplicia beneficia in parœcia poſſident, confeſſariis in titulum officii ejuſdem parœciæ opitulari debent, Quadrageſimæ & jubilæi tempore.

22. Viſitatores ab epiſcopis deſignati ſcholæ magiſtros & magiſtras adigent, ut e religionis elementis aliquid ſuos quotidie pueros edoceant.

23. Epiſcopi non eximent reſidentiæ beneficiarios clericos id petentes, ut ad aliquam univerſitatem, ſtudiorum cauſa, ſe conferant, niſi cum certi erunt eos beneficiarios ſtudiis idoneos eſſe.

24. Fideles non faciunt Paſchalis communionis officio ſatis, ſi ſuis in parœciis per Paſchales dies quindecim, aliove quod ſancta Sedes aut jus ſtatuerit, tempore non communicant.

25. Nec religioſæ ſuis e monaſteriis, niſi graviſſimum mortis periculum immineat, egredi, nec externæ perſonæ, extra neceſſitatis caſus in jure expreſſos, in eadem ingredi poſſunt.

26. Taurorum ſpectacula quæ publice in circo vel alibi exhibentur, votorum materies eſſe non poſſunt; populus ergo ea vovere non poſſunt; & vota, quæcunque in id fierent, nulla ſunt, licet jurejurando firmata eſſent. Clerici qui ejuſmodi ſpectaculis aderunt, pro ordinarii arbitratu punientur.

27. Inſtituent epiſcopi ſeminaria e Tridentini concilii mente.

28. Eligentur, in unaquaque parœcia, docti, prudentes, idonei piique viri qui de abuſibus reformandis inquirant, eoſque ad ſynodum referant.

Concilium Mechlinienſe, an. 1570.

Concilium hoc Julii die 11. an. 1570. inchoatum, & Julii die 14. ejuſdem anni abſolutum fuit. Ei Michael Rhytovius, Yprenſis epiſcopus, tamquam e provinciæ epiſcopis ſenior, Antonii Perrenotii, Mechlinienſis archiepiſcopi, *Cardinalis de Granvelle* vulgo dicti, nomine præfuit. Initio ſtatim recepta Tridentina ſynodus, promiſſa Papæ obedientia, damnatæ omnes hæreſes, æque peculiariter quas Tridentina ſynodus anathemate perculerat; deinde vero editæ conſtitutiones plures quas peculiares tituli complectuntur. Horum primus qui ſacramenta ſpectat, continet capita novem.

1. Nullæ recipientur nutrices, quin eas loci in quo earumdem domicilium est, parochus, e scripto, catholicas esse testetur. Jurabunt hæ se, cujusque hebdomadæ sabbatis singulis, propriis parochis declaraturas mulierum nomina & cognomina, quibus ipsæ parturientibus adfuerint, earumdemque filiorum numerum; parochorum autem erit, intra dies quindecim, id episcopo significare, cum matrum nomine & cognomine, quæ non suos filios baptizandos curaverint; & id quidem, suspensionis indicta pœna.

2. Opera dabitur, ut, intra dies decem, pueri, quicunque baptizati non sunt, baptizentur, &, quicunque idonei sunt, erudiantur.

3. Unus tantum patrinus & una matrina, ut summum, aderunt, qui ad baptismales fontes infantem teneant.

4. Mulieres post puerperium ad ecclesiam venient, ubi Deo gratias agant & missam audiant.

5. Parochi in peculiarem codicem referent omnium nomina, quorum confessiones per quadragesimale tempus audierint; & in hoc ipso codice religiosi describenda curabunt eorum nomina, quibus ipsi a confessionibus fuerint; parochi vero ad sacramenta, adeoque ad matrimonium ipsum, & ad sepulturam eos tantum admittent quorum nomina hoc in codice scripta fuerint.

6. Nullus confessarius, extra necessitatis casum, a casibus episcopo reservatis absolvet; perficientque episcopi, ut publica pœnitentia, ob peccata publica, reviviscat.

7. Sanctum Sacramentum non nisi perraro & in publicis necessitatibus, processionis in modum, gestabitur, ne ejusmodi processionum crebrior usus observantiam imminuat quæ huic augusto sacramento debetur.

8. & 9. Parochi, quoties sanctum viaticum aut extremam-unctionem deferent, stola & superpelliceo induti erunt.

Titulus alter qui ordinarios afficit, continet admodum brevia capita quinque quæ conditiones tantummodo complectuntur quibus de more opus est, ut quispiam ad ordines recipiatur; videlicet, de studio, vita & moribus testimonium, præcedens examen, ejus qui ad sacros ordines adspirat, beneficium aut patrimonium.

Titulus tertius id continet, capitibus septem, quod ad sponsalia & matrimonium refertur.

1. Populum sæpe monebunt parochi clandestina matrimonia a Tridentino concilio nulla declarata esse.

2. Eos easve renuent in matrimonium conjungere, quos ad hunc statum suscipiendum coactos scient; idque iis ab officio, & beneficio suspensionis indicta pœna.

3. 4. & 5. Si, qui sponsalia & matrimonium inire volunt, e distinctis parœciis sunt, loci parochus, ubi sponsalia inita fuerint, alterum de re certiorem faciet in cujus parœcia matrimonium ineundum est; & ambo enuntiationes peragent, ut moris est; atque id omne fiet conscii contrahentium decanis duobus, si ad alios decanatus, & episcopis duobus, si ad alios episcopatus pertinent.

6. Alienigenas, ignotos, errones in matrimonium parochi non conjungent, sine eorum episcopi, de scripto, venia.

7. Cum matrimonium, vetitis temporibus, annuente episcopo, contrahetur, nullum in eo nuptiale convivium aderit.

Titulus quartus de officio cultuque divino, septendecim capitibus, agit.

1. Qui choro adesse debent, divinum officium dicent præscriptis horis, graviter, integre, distincte, religiose, magnaque cum observantia, ita nihilominus, ut inter solemnes dies & cæteros discrimen ponant.

2. Manuales distributiones episcopus ita digeret, ut quæ matutino, majori missæ & vesperis addictæ sunt, minorum horarum distributionem insigniter superent, quin tamen parva sit, ut negligatur.

3. & 4. Nemo distributiones lucrabitur, nisi cum, matutino quidem cæterisque horis singulis ante primi psalmi finem, missæ vero ante primam collectam adfuerit, ibique consistat ad finem usque, contrario statuto quolibet nihil obstante, quod in casibus tantum a jure concessis locum habebit, ut cum quispiam abest ob ecclesiæ negotia, infirmitatis causa, &c.

5. Archidiaconi, pœnitentiarii, & generatim quicunque obeunt officia quæ eorum dignitatibus aut præbendis addicta sunt, quorumve opera episcopus utiliter utitur, ob ecclesiæ aut capituli negotia occupati censentur, & distributionibus frui debent, perinde ac si ipsi reapse choro præsentes adessent.

6. Eadem erit eorum ratio qui, officii tempore, missam dicunt, modo se paulo post ad chorum conferant, quam sacrificium absolverint.

7. E legendis & universim ex omnibus officii partibus episcopi expungent quicquid pias aures offendere posset, verbo, quicquid correctione indigebit.

8. Distributionibus privabuntur, &, si forte reciderint, gravius punientur qui profana legent, aut dormient, aut garrient, missæ *vel* officii tempore.

9. Ab omni quoad eos insultatione abstinebitur, qui feri ad chorum venerint.

10. Cantores, organorum aut campanarum pulsatores qui canent pulsabuntve lascivos modos, mulctam solvent *decem stuferorum*, aureorum nempe solidorum decem; ac, si reciderint, trudentur in carcerem, atque aliter etiam punientur, pro ut episcopo visum fuerit.

11. Nullum in ecclesia convivium, nulla negotiatio, nulla civilium & profanarum rerum proclamatio tolerabitur.

12. Cauponæ, divini officii & sermonis tempore, non nisi iter agentibus aperientur; ibique, per idem temporis spatium, non ludus aderit, non chorea.

13. Nullus sacerdos sæcularis aut regularis missam dicet privatis in domibus, sed solum in ecclesiis aut oratoriis ab episcopo designatis.

14. & 15. Episcopi manualium altarium usum, itemque missæ bis eadem die dicendæ consuetudinem interdicent.

16. In canonicarum horarum recitatione, nemo non ad Pii V. Bullam se conformabit.

17. Episcopus, suppetias eidem ferentibus canonicis duobus quorum unus ab ipso, alter a capitulo selecti erunt, reformabit statuetque, in statutorum & cæremoniarum negotio, quicquid pietati, ecclesiæ pulcritudini, populique ædificationi congruere judicabit.

Titulus quintus adhibet capita quinque, ut festa recenseat quæ in Mechliniensi provincia servantur, utque omne servile opus, itemque nundinas & mercatus per eos dies interdicat.

Tituli sexti duo tantum capita sunt. In primo fit jejuniorum quæ in Mechliniensi provincia obligant, enumeratio; enuntiatur in altero locum fore abstinentiæ, per totius diei spatium, festo die S. Marci & Rogationum diebus, quibus jejunandum saltem ad prandium usque.

Septimus titulus exhibet super imaginibus capita tria quæ sequuntur.

1. Tollentur e templis aliisque sanctis locis picturæ, statuæ & aulæa quæ ethnicorum fabulas repræsentant, ut satyros, faunos, sirenes, therminos & nymphas; perinde fiet, ad lascivas, obscœnas aut superstitiosas figuras quod attinet.

2. Nihil ejusmodi ad ornandum sanctum sacramentum aut reliquias adhibebitur.

3. Ab ecclesiasticorum domibus quoque & hortis similes omnes imagines statuæque amovebuntur.

In octavo titulo qui super indulgentiis versatur, concilium fideles monet, ne fidem addant libellis quibusdam qui in plateis & mercatibus etiam cum privilegio venduntur, qui scilicet profusas indulgentias ob leves aut superstitiosas causas promittunt, præsertim vero cum pollicentur effectum certum, causa exempli, quempiam gladii aut igniariæ fistulæ ictibus lædi non posse; non item posse aqua mersum aut peste infectum perire; fore, ut certo quispiam a purgatorio liberetur. Idem judicium de indulgentiis ferendum est quæ certo cuidam missarum & precum numero addictæ dicuntur.

In nono titulo qui de superstitionibus agit, edicitur superstitiosum esse usum aliquem, cum ei tribuitur effectus qui nec naturalibus causis, nec Dei verbo aut Ecclesiæ doctrina nititur.

Decimus titulus qui episcopos & eorum officia spectat, renovat, capitibus quatuor, Tridentini concilii super his argumentis decreta.

Undecimus titulus qui ad episcoporum sigilla pertinet, instaurat & ipse Tridentini aliorumque plurium conciliorum statuta super necessitate expediendi gratis omnes gratias quæ conceduntur, salvis laudabilibus consuetudinibus quæ eorum ministros sinunt modicum pro collata opera salarium accipere.

Decimus secundus de Ecclesiæ ministris eorumque residentia titulus Tridentini pariter concilii, super hoc negotio, statuta, novem capitibus, renovat.

Titulus decimus tertius de christianæ reipublicæ decanis, parochis & eorumdem officiis, Tridentini concilii, super eodem argumento, sanctionibus addit nonnulla, continetque capita duodecim.

Titulus decimus quartus idem præstat capitibus quinque, de clericorum vita & honestate; itemque decimus

mus quintus capitibus tribus, de eorumdem correctione.

Decimus sextus qui super quotidianis scholis tria, & decimus septimus qui super scholis dominicis capita novem continent, nihil aliud faciunt quam repetunt superiorum conciliorum statuta super institutionibus quæ tradendæ pueris quotidie in consuetis scholis, & per omnes dominicos dies in scholis quæ in eosdem dies institutæ sunt. Eadem occurrit per capita duo repetitio in decimo octavo titulo de seminariis; & per capita quatuor in decimo nono de unionibus; itemque per capita septem in vicesimo de ecclesiasticorum bonorum locatione & conservatione.

Titulus vicesimus primus, capitibus undecim constans, Tridentini concilii, super regularibus & monialibus, decreta renovat, eorumque executionem mandat.

Vicesimi secundi tituli capita duo, super litteris apostolicis & judicibus delegatis, in eo collocantur, ut hi delegati judices nominentur quibus exhibendæ dispensationes a sancta sede impetratæ ad incompatibilia beneficia possidenda.

Titulus vicesimus tertius usuram papillorum tutoribus & curatoribus, aliisque pariter interdicit.

Titulus vicesimus quartus de visitationibus tantummodo renovat, capitibus duobus, Tridentini concilii super hoc argumento constitutiones.

Concilium Rothomagense, an. 1581.

Habitum fuit concilium hoc Rothomagi, in metropolitana Ecclesia, a cardinali Carolo Burbonensi, episcopis omniumque capitulorum deputatis ex ejus provincia adsistentibus. In eo editi canones seu constitutiones undecim, *capitulorum* nomine.

Capitulum Primum, super fide & religione versatur, fideique professionis formulam continet.

2. De divino cultu generatim agit, qui in eo est positus, ut perfecto corde Deus diligatur, ergaque eumdem amor verbis & operibus ostendatur, inquiunt concilii patres; qui deinde festorum dierum profanationes prohibent quæ fiunt per nundinas, negotiationem, licentiorem vitæ rationem, vinolentiam, luxum, vetitos ludos, choreas, inhonestas cantilenas, &c.

3. Quod de sacramentis agit, sacerdotes vetat sine superpelliceo, sine stola & sine talari veste confessiones audire. Prohibet etiam, ne Calvinistæ qui ad Ecclesiæ sinum redeunt, iterum baptizentur, tametsi minister, dum iis baptismum tribuit, in animo non habuerit eos baptizare, ut iisdem peccata remitterentur. Omnes verbi ministros jubet super confirmationis sacramento populum erudire; episcopos autem in peculiaribus suarum diœceseon partibus illud sæpe conferre.

4. Quod agit de missæ sacrificio, sacerdotibus lethalis peccati reis mandat, ut, antequam sacrum faciant, confessionem edant, &, quicquid altari inservit, admodum apte ac nitide teneant.

5. Super matrimonio versatur, & vult populos de clandestinorum matrimoniorum nullitate moneri; tres futuri matrimonii enuntiationes peragi; sponsos triduo saltem ante quam matrimonium contrahant, confessionem edere & communionem percipere. Matrimonium vetitis temporibus ac vetitis in gradibus, itemque concubinatum prohibet.

Spectat 6. Episcopos & capitula. Episcopi qui omnium oculis expositi sunt, quemadmodum sunt ipsi præpositi, ut alios perspiciant expendantque, supra omnem reprehensionem esse debent, bonorumque operum splendore tamquam astra emicare, ut omnibus qui eos contemplantur, exemplo sint. Sciant, oportet, se, non ut in luxu omnibusque commoditatibus vivant, quas divitiæ comparant, sed ut per omnis generis curas, sollicitudines & labores Dei gloriam augeant. Nihil in eorum persona, familia, mensa, vestibus, supellectile se prodere debet, quod non simplicitatem, frugalitatem, vanitatum contemptum, de Dei negotiis studium exhibeat.

Cathedralium ecclesiarum canonici debent & ipsi ad regulas exacta vita inter alios omnes ecclesiasticos eminere. Sacrum facient dominicis festisque diebus singulis, atque adeo sæpius. Non deferent sericas vestes, & coronam veteri usui consentaneam gestabunt. Non in eadem cum feminis domo degent; accurate residebunt, & Basileensis concilii, quoad divinum officium, decreta servabunt.

7. Agit de episcoporum officiis. Episcopi est consecrare Ecclesiæ ministros, ecclesiasque ipsas cum iis rebus omnibus quæ indigent consecratione; populis qui ejus jurisdictioni subsunt, invigilare, eos veluti manu ducere, eos judicare, eos visitare. Neminem ordinibus initiabit, quin requisita testimonia omnesque toties in conciliis repetitæ conditiones eidem suppetant. Acriter in simoniam quoad beneficiorum resignationes & provisiones cæteras invehetur; suasque assidue visitationes peraget, ut in tota diœcesi fidem incolumem servet, errorem exstirpet, suo bonos mores præsidio foveat, & malos corrigat, denique populos ad pacem, innocentiam, religionis exercitationem in omni vita servandas hortetur.

8. De parochorum cæterorumque presbyterorum ac de parochianorum officiis. Suis in parœciis, e verbis decretorum Tridentini concilii super residentiis, parochi residebunt, suum ut gregem pascant ducantque in justitia & veritate, charitate, castitate, modestia, simplicitate. Omnes peculiari parœciæ addicti presbyteri debent, præsertim dominicis festisque diebus, ei deservire, & parochianos ipsos, regularum ratione habita, suarum parœciarum officiis, per eos sanctos dies, interesse necesse est.

9. De monasteriis. Abbates eorumque priores electivi, seu regulares, seu commendatarii, etiam exempti, possessionem non inibunt, quin, apud episcopum, fidei professionem ediderint. Bonorum ad monasteria pertinentium administrationem Catholicis tantum tribuent. Suam religiosi regulam, &, peculiariter, obedientiæ, paupertatis, castitatis vota, communemque in mensa, vestibus, clausura vitam servabunt. Religiosæ, quoad corpus & quoad animum, Deo se unice dedent; non erunt otiosæ, non garrulæ, non curiosæ, sed ad precem assiduæ, diu noctuque.

10. De ecclesiastica jurisdictione. Concilium sæculares judices monet, ut clericos ad ecclesiæ judices in causis per sanctos canones notatis remittant.

Mandat 11. ut publicæ scholæ & seminaria ad ecclesiasticos in scientia & pietate educandos instituantur.

Concilium Remense, an. 1583.

Cardinalis Ludovicus Guisius, Remensis archiepiscopus, habuit concilium hoc in suis archiepiscopalibus ædibus, sub Gregorii XIII. pontificatu & Henrici III. regno. Provinciæ episcopi, spectatique alii plures viri adfuere cœtui. In hoc editi, capitulorum in modum, canones viginti septem.

1. *De Fide catholica.* Fidei professionis formulam continet.

2. *De divino Cultu.* Docebunt suum singuli pastores populum, ut Deo in spiritu & veritate serviat. Vocabunt ad ecclesiam per æris campani sonum qui alius erit pro solemnitatum discrimine. Ibi laici & clerici modeste se habebunt; atque hi posteriores concinent psalmos, & ita quidem, ut admodum distincte pronuntient & pausas servent. Nomen Jesu proferentes, & dicentes *Gloria Patri*, &c. caput aperient flectentque. Nullæ prorsus novæ imagines, sine episcopi nutu, in ecclesiis ponentur.

3. *De Breviario, Missali & Manuali.* Episcopi, canonicis duobus opem ferentibus, ex his libris expurgent, quicquid catholicæ doctrinæ, morum puritati, historiæ veritati contrarium iisdem inesse posset.

4. *De Diebus Festis.* Populi suis in parœciis, dominicis festisque diebus, missam, sermonem & vesperas audient. Paschatis, Pentecostes & Dominici Natalis diebus a sua nemo parœcia, sine justa causa, ac sine proprii parochi venia, recedere poterit. Confraternitates dominicis diebus suos cœtus non habebunt, parochialis missæ tempore, nec in ea presbyter panis & aquæ benedictionem peraget.

5. *De sortilegiis aliisque rebus christianæ Pietati contrariis.* Punientur qui sacræ Scripturæ verba profanabunt, iis abutentes ad scurrilitates, ad obtrectationes, ad veneficia, ad superstitiones, ad sortes, ad infames libellos. Qui matrimonio officiunt, divini & horoscoporum eductores excommunicatione plectentur.

6. *De Sacramentis.* Omnes verbi ministri populos edocebunt de sacramentorum numero & natura, de eorum institutionum causis, de eorumdem virtute, effectis, utilitate, deque dispositionibus quas quisque ad eadem accedens afferre debet.

7. *De Baptismate.* Parochi pueros baptizare non different; arguentque vehementer parentes qui perficere cunctantur, ut iis baptisma conferatur. Non sumentur in patrinos aut matrinas hæretici, religiosi aut religiosæ. Cavebit parochus, ne baptismalis aqua immunda sit; nec æra campana pulsari aut organa tangi sinet, nisi postquam infans baptizatus fuerit, in lætitiæ argumentum ob adoptionem quæ eum Dei filium efficit.

8. *De Confirmatione.* Divini verbi ministri monebunt

bunt fideles, ne confirmationis sacramentum negligant; illudque episcopi crebro administrabunt.

9. *De Pœnitentia.* Parochi & concionatores monebunt sæpe fideles suorum eos lethalium peccatorum veniam obtinere non posse, nisi ea, cum necessariis dispositionibus, omnia & singula approbato sacerdoti confessi fuerint.

10. & 11. *De Eucharistia.* Parochi & concionatores hortabuntur permovebuntque fideles, ut persæpe, qua par est, pietate communionem suscipiant & missam audiant. Omnes ad evangelium & præfationem erecti stabunt. Missam dicent sacerdotes dominicis festisque diebus, atque adeo sæpius: at nunquam extra ecclesiam aut oratoria approbata.

12. *De Ordine.* Sacramentum ordinis, quod prædicandi, baptizandi, Christi Domini Corpus consecrandi, & peccata remittendi potestatem sacerdotibus tribuit, eos sanctos esse debere satis admonet.

13. *De Matrimonio.* Vicesimæ quartæ Tridentini concilii sessionis decretum, quoad matrimonium, servabitur.

14. *De Extrema-Unctione.* Ægrotantes qui in periculo versantur, præveniet parochus, ut extremæ-unctionis sacramentum ad eos deferat, eosque, postquam illud susceperint, quam sæpissime poterit, visitabit, ut iisdem solatium & robur afferat. Movebit etiam episcopos charitas, ut ad eos invisendos, iisdemque episcopalem benedictionem tribuendam se conferant; bonaque hæc officia præsules erga personas pias, præ cæteris, exercebunt.

15. *De Sepulturis.* Perficient parochi, ut in Christifidelium funeribus emicent simplicitas & modestia. Sepelient pauperes gratis, & publicis peccatoribus sepulturam negabunt.

16. *De Seminariis.* Erigent episcopi seminaria, delectosque viros eorum moderationi præficient.

17. *De Clericis* in universum. Clerici non erunt seu procerum œconomi, seu coloni, seu ebriosi, seu concubinarii, seu lusores, seu venatores; sed casti, modesti, erga pauperes benefici, ita in rebus omnibus comparati, ut aliis exemplo sint.

18. *De Regularibus eorumque Monasteriis.* Vetus disciplina in monasteriis, quoad fieri poterit, restituetur. In ea ingredi cogetur nemo; in eadem nemo donis aut blanditiis trahetur; id consilii nemo nisi ob integerrimas causas inibit; arcebitur illinc otium, & ibidem vota tria, regula, communis vita fideliter servabuntur.

19. *De Parochis.* Suis in parœciis assidue residebunt; nec otiosa erit eorum præsentia, sed, quoad institutionem & exemplum, parochianis utilis.

20. *De Capitulis & Canonicis.* Nemo in canonicorum album recipietur, quin fidei professionem, ex formula a Pio IV. præscripta, ordinario & capitulo præsentibus, edere jubeatur. Gratis canonici recipientur; residebunt aderuntque accurate omnibus officiis induti superpelliceo, villoso amiculo, vulgo mozzetta, omnibusque suæ dignitatis notis.

21. *De Episcopis.* Sedulo episcopi, quæ eorum nominis significatio est, suis gregibus invigilabunt. Assidue residebunt, seque dedent sanctorum Librorum studio, quorum lectio eorumdem quoque mensam condiet. Pro populo orabunt; suis eum sermonibus erudient & hortabuntur; eumdem ad pietatem omnemque virtutem suo ipsorum exemplo pertrahent, & humaniter excipient, quia plus interdum roboris est in charitatis suavitate ad corrigendos reos, quam in potestatis nervis & auctoritatis pondere.

22. *De Simoniacis & Confidentiariis.* Denuntiabuntur excommunicati, beneficiis, si qua possident, spoliati, aliisque possidendis inepti.

23. *De Usura.* Usurarii restitutioni subsunt; eos parochi, singulis dominicis diebus, excommunicatos denuntiabunt. Clerici usurarii deponentur.

24. *De Jurisdictione.* Laici judices remittent ad Ecclesiam causas quæ ad ejus jurisdictionem pertinent; nec ad sæcularia tribunalia se sistent clerici, nisi quibus in casibus id jus patitur.

25. *De Visitatione.* Altero quoque anno, episcopi suam, quam late patet, diœcesin vel ipsi per se, vel per alios visitabunt.

26. *De Synodo diœcesana.* Eam episcopus quotannis habebit. Ad hanc non nisi stola & superpelliceo induti parochi accedent.

27. *De Concilio provinciali.* Tertio quoque anno, provinciale concilium habebitur; episcopi ejus acta indici & servari jubebunt.

Concilium Burdigalense, an. 1583.

Antonius Sansacii Præpositus, archiepiscopus Burdigalensis, habuit una cum suffraganeis concilium hoc. In eo edita decreta triginta sex iis similia quæ superiora concilia ediderant. Vicesimum nonum caput quod de usura & illicitis contractibus agit, usurarios contractus & rationes quæ ad palliandam usuram adhibentur, fuse persequitur. Extat super seminariis articulus qui novem capita continet.

1. Seminaria amplo in loco, & cathedrali ecclesiæ, quam fieri poterit, proxima construi jubet; in iis prætera capellam in quam seminaristæ quotidie convenient missam audituri & oraturi, commune dormitorium, &, in ægrotantium gratiam, valetudinarium adesse vult.

2. Clericorum in seminarium admissionem episcopo reservat. Aliqua deformitate insignes, aut mutilati ne ad examen quidem recipientur; cæteri vero subdentur examini super natalibus, super moribus, super indole, super scientia, & ingenii vi; quicunque comperientur ad litteras, vel ad pietatem inepti, rejicientur; qui autem idonei comperti fuerint, jurare jubebuntur se ecclesiasticum statum non relicturos, seminarii superioribus obsecuturos, ejusque statuta servaturos.

3. Seminarii superior cæterique presbyteri erunt selecti viri, graves, prudentes, omnibus virtutibus exornati, ad easque sermonibus & exemplis inspirandas apti.

4. Seminariorum œconomi & procuratores erunt intelligentes, accurati, vigilantes, fideles, integri.

5. Seminaristæ, moniti se imprimis de pietate & religione sollicitos esse debere, quotidie, hora quarta, e cubili surgent, horæ dimidium in capella orationi tribuent, ibique parvum B. Virginis Officium recitabunt, pariterque Litanias, vespere, simul omnes, antequam cubitum eant, & conscientiæ examen peragent; confessionem edent & communionem suscipient singulis mensibus; eorum unus lectionem obibit mensæ tempore.

6. Seminaristæ semper bini simul exibunt, nunquamque sine superioris venia; nullas scribent aut accipient litteras quæ non transierint per hujus manus; extra seminarium nec comedent, nec cubabunt; se mutuo, ne joci quidem aut oblectationis in modum, tangent; graves erunt modestique, & silentium semper servabunt, præterquam duarum relaxationis horarum spatio, quæ iis conceduntur, una post prandium, post cœnam altera.

7. Libros tantum suo statui consentaneos legent; impudicorumque librorum ignorabunt nomina ipsa. Studiosius accuratiusque ad eam theologiæ partem quæ conscientiæ casuum decisionem spectat, & ad parvos sermones, mensæ tempore, prout singulis congruet, habendos incumbent.

8. Tametsi seminariorum superiores suos alumnos tamquam filios quos Christo Domino gignunt, diligere, &, amoris potius quam metus causa, ad bonum excitare debeant, eosdem tamen inexorabiles esse necesse est, cum id agitur, ut impediatur, ne in eorum seminaria irrepat perturbatio ac depravatio, &, absque miseratione, seminaristas expellere, qui cæteris nocere possent, cujusmodi sunt desidiosi, retractarii, arrogantes & impudentes, mendaces, maledici mussitatores, irreligiosi, distracti qui seminarii constitutiones nullo non momento temporis violant, garruli, impudici.

9. Quoties ordinatio peragetur, seminarii superior episcopo tradet eorum e suis seminaristis nomina, qui, ætatis, pietatis & scientiæ ratione habita, ad ordinum aliquem promoveri poterunt.

Concilium Turonense, an. 1583.

Habitum fuit concilium hoc partim Turonibus, seu Cæsaroduni, mense Majo an. 1583. & partim Andegavi, Septembri mense ejusdem anni, a Simone Maillæo, archiepiscopo Turonensi, suffraganeis in societatem adhibitis. In eo edita decreta unum & viginti.

1. Anathemate plectitur quicunque regis potestatem quæ non nisi a solo Deo est, obtrectare audet, ejusque justis sanctionibus parere pertinaciter renuit.

2. Rogatur Papa, ut ab hæresi absolvendi facultatem episcopis eorumque magnis vicariis, officialibus & pœnitentiariis concedat. Rogatur itidem rex, ut Tridentinum concilium indici jubeat.

3. Omnes beneficiarii suam fidei professionem apud episcopum ejusve magnos vicarios edent.

4. Hujus professionis fidei formula transcribitur.

5. Pii

5. Pii IV. & Pii V. in simoniacos & confidentiarios Bullæ renovantur.
6. Infantes recens nati, quamprimum fieri poterit, in ipsorum parœciis, baptizabuntur.
7. Nec infantes qui septem annorum ætatem nondum attigerint, nec adulti, quin antea confessi fuerint, confirmabuntur.
8. Missa in privatorum hominum domibus non dicetur. Super altari nihil præter Sanctorum reliquias & Missale ponetur. Non dicentur, in eadem ecclesia, privatæ missæ, majoris missæ tempore; nec profanæ res pro concione annuntiabuntur.
9. Clandestina matrimonia, quæque intra prohibitos gradus sunt, interdicuntur.
10. Eædem annuntiationes edentur in eorum gratiam qui sacros ordines suscipere, eorumque qui matrimonium inire voluerint.
11. Dominicis festisque diebus, non ea venia dabitur, ut fit nundinis, mercatibus, ludis, choreis, comœdiis locus. Novæ reliquiæ, sine requisitis solemnibus formis, populorum venerationi non exponentur. Crux & imagines sordidis in locis, vel ubi frangi & pedibus conteri possunt, non relinquentur.
12. Episcopi, utpote a Spiritu Sancto præpositi, ut, tamquam Apostolorum successores, Dei Ecclesiam regant, in id assidue ac sedulo incumbent, suos ut populos instituant, ut altaria & ecclesias consecrent aut reconcilient, ut ordinent, ut confirment, ut suam quisque diœcesin visitent, ut præstantiorum virtutum assidua demum exempla præbeant.
13. Non minus accurati erunt canonici, ut satis omnibus obligationibus faciant quas sancti canones iisdem imponunt, cujusmodi sunt ad divina officia assiduitas, modestia, & secessus, animi ad studium contentio, &c.
14. Parochi residebunt suis in parœciis, ut sermonibus & exemplis suum finguli gregem pascant, ei sacramenta administrent, eumdemque ad virtutem trahant. Omnes clerici generatim voluptates, spectacula, choreas, convivia & mundi societates aversabuntur & respuent.
15. Laici, dominicis festisque diebus, missam & officia, in suis quisque parœciis audient; &, ne ab iis avertantur, prætexentes se missæ ac divinis officiis in ecclesiis cæteris interesse; in cathedralibus, collegiatis & monasteriorum ecclesiis, magna missa & vesperæ non dicentur, nisi post parœciarum missam & vesperas. Mulieres & puellæ nunquam ad ecclesiam venient, quin modeste tectæ & velatæ sint, ne dum aperto ac cincinnis onusto capite, nec sine aliis ad scandalum nuditatibus. Dicent omnes Christifideles suum *Benedicite*, antequam ad mensam sedeant, suamque gratiarum actionem, cum cibum sumpserint.
16. Religiosi secundum suas singuli regulas vivent. Non deferent aut alterius coloris habitum, quam regula patitur, aut anulum, aut galerum, seu intus, seu foris; non egredientur soli; breves erunt eorum capilli & tonsura magna; in suas singuli cellulas post completorium secedent; in dormitoriis silentium servabunt, ibique ponentur lampades quæ per totam noctem ardebunt. Iis non arma, nec aves aut canes ad venationem erunt. Clausa semper erunt eorumdem claustra.
17. Quicunque puellam aut mulierem cogent religioni, suis ingratiis, nomen dare, vel eidem se dedere volentem impedient, excommunicationi perinde suberunt. Eadem in eos pœna qui religiosam violaverint.
18. Ecclesiastici qui suis in Ecclesiis aut cœmeteriis hæreticos sepulturæ dederint, in excommunicationem majorem incident. Nemo prope altare majus humabitur; omnesque foveæ ad sex aut quinque saltem pedes ab eodem aberunt. Excipiuntur ab hac regula episcopi, parochi & fundatores.
19. Officiales erunt presbyteri, quique bene audiant, & canonici juris periti sint. Archidiaconi & quicumque visitationis jure gaudent, hanc in ecclesiis quæ ab iisdem pendent, quotannis ipsi peragere non desistent.
20. Alienari non poterunt ecclesiæ bona nisi quibus in casibus per jus licet, solemnibusque, quibus opus est, adhibitis formulis.
21. Tot erigentur seminaria & scholæ, quot in variis diœcesibus requirentur.

Concilium Bituricense, an. 1584.

Reginaldus Beaunesius, archiepiscopus Bituricensis, habuit, septembri mense, cum suis suffraganeis concilium hoc, in quo edit canones numero plures, qui titulis quadraginta sex continentur, & a superioribus conciliis, Tridentino peculiariter ducti sunt.

Concilium Aquense in Provincia, seu Aqui-Sextiense, an. 1585.

Alexander Canigianus, archiepiscopus Aqui-Sextiensis, concilium hoc una cum suæ provinciæ episcopis celebravit, in eoque quadraginta tres de disciplina canones, e Tridentino cæterisque antecedentibus conciliis depromptos, vulgavit. In nono capite quod de iis agit quæ eucharistiæ Sacramentum spectant, tabernaculum dicitur e puro auro pretiosisque lapillis, si fieri potest, esse debere; ibidem quoque ad apicem tabernaculi, imago Christi Domini e sepulcro resurgentis, aut lancea ad latus perciti, aut cruci affixi ponenda dicitur. In eo capite quod super pœnitentiæ Sacramento versatur, præcipitur, ut sacerdos a confessionibus semper sedeat, dum confessiones audit, quicunque fuerit pœnitentium, seu virorum seu feminarum gradus. Caput in quo de extremæ-unctionis Sacramento sermo est, mandat, ut parochus qui illud administrabit, secum quam plurimos poterit, presbyteros sumat.

Concilium Mexicanum, an. 1585.

Petrus Moya de Contreras, archiepiscopus Mexici quæ novæ Hispaniæ metropolis, concilium hoc cum suis suffraganeis habuit, in eoque edidit constitutiones numero plurimas ad Indorum usum qui christianam fidem susceperant. Constitutiones hæ continentur libris quinque, tribuuntur in peculiares titulos, & pene omnes ducuntur iam ex Tridentino, quam e pluribus aliis conciliis pluribusque synodis, Hispaniæ imprimis, Italiæ & Galliæ; cujusmodi sunt, inter alia, concilia, Toleti, Granatæ, Valdoleti, seu Vallisoleti, Hispalis, Burgorum, Laterani, Bononiæ, Mediolani, Arausionis, Remorum, Aureliani, Antissioduni, &c.

Concilium Tolosanum, an. 1590.

Cardinalis Franciscus Joyosæ, archiepiscopus Tolosanus, habuit, suis cum suffraganeis, mense Majo, concilium hoc, in eoque edidit statuta complura quæ tribuuntur in partes quatuor. Harum prima complectitur titulos octo; 1. de fidei professione; 2. de episcopis; 3. de capitulis; 4. de parochis; 5. de presbyteris & reliquis clericis; 6. de concionatoribus; 7. de vicariis foraneis; 8. de monialibus.

Continet pars altera titulos quindecim; 1. de sacramentis, & rebus ad ea pertinentibus; 2. de baptismo; 3. de confirmatione; 4. de pœnitentia & confessione; 5. de eucharistia, sanctaque communione; 6. de missarum celebratione; 7. de ordinis sacramento; 8. de matrimonio; 9. de extrema-unctione; 10. de cura mortuorum, de eorum sepulcris eorumdemque funeribus; 11. de reliquiis imaginibusque Sanctorum; 12. de indulgentiis; 13. de vetitis dapibus, earumque dispensationibus; 14. de festis diebus; 15. de votis & peregrinationibus.

Tertia pars exhibet titulos septem; 1. de ecclesiis, capellis, altaribus & ejusmodi rebus aliis; 2. de oratoriis ad publicas vias sitis; 3. de scholis & confraternitatibus Christianæ doctrinæ; 4. de universitatibus & collegiis; 5. de seminariis; 6. de hospitalibus aliisque locis piis; 7. de confraternitatibus & societatibus.

Quarta pars e titulis sexdecim conflata est; agit horum 1. de excommunicatione; 2. de ecclesiastica jurisdictione ac de judiciario episcopi foro; 3. de usu & alienatione bonorum ecclesiæ; 4. de decimis & oblationibus; 5. de simonia & confidentia; 6. de provisione & cessione beneficiorum; 7. de residentia; 8. de visitatione; 9. de jure patronatus; 10. de inquisitione; 11. de libris prohibitis; 12. de hæreticis, magis, veneficis & astrologis; 13. de blasphemia; 14. de usuris; 15. de testamentis & legatis piis; 16. de exemptis & privilegiatis.

Hæc omnia statuta seu constitutiones eædem propemodum ac precedentium conciliorum sunt. In titulo de episcopis, jubentur hi domesticos suos adigere, ut sæpe confiteantur communicentque, & quotidie missam audiant, iisque, saltem maxime solemnibus diebus festis, suis ipsi manibus communionem tribuere. Statuitur in capite de canonicis, ut qui aliquam officii partem concinere debent, in cantu, ad punctum & accentum usque, accurati & concordes sint. Mandatur in capite de parochis, ut qui vel quinque tantum presbyteros suis in parœciis habent; bis in hebdomada, super Catechismo Romano, superve conscientiæ casibus collationes ibidem edant, ad easque singulos

gulos suarum parœciarum clericos vocant. Caput de mortuorum cura vetat eorum quempiam in terram deferri noctu aut majoris missæ tempore, vel in ecclesia sepeliri; eos per horas viginti quatuor, antequam sepeliantur, custodiri jubet; nec sine episcopi venia, eorumdem funebres orationes editas vult. De vetitis cibis caput enuntiat caseum, butyrum, ova, carnem, sine episcopi de scripto venia, per Quadragesimam vendere neminem posse. De collegiis caput classem per brevem precem quæ flexis genibus recitabitur, inchoari & finiri jubet.

Concilium Avenionense, an. 1594.

Franciscus-Maria Tarruggius, archiepiscopus Avenionensis ac deinde cardinalis, habuit cum suæ provinciæ episcopis concilium hoc. Animadverti in eo potest confirmatorum puerorum patrinos & matrinas iis perinde atque eorumdem parentibus nihil donare debere, ne id his pueris causæ sit, ut confirmationem pluries suscipiant; secundis nuptiis benedictionem tribuendam non esse; missam semper interdiu, quoad fieri poterit, in eaque nunquam plures quam septem, vel, ut summum, novem collectas dici oportere; ei semper clericum, siquidem potest, non autem laicum deservire debere; necesse fore, ut vasa in quibus vinum & aqua ad sacrum faciendum ponentur, e vitro, non autem e stamno sint; ut semper accensi cerei duo ante expositas Sanctorum exuvias adsint; ut ne canes ad ecclesiam ducantur; ut ne feminæ placentas aut flores iis exhibeant qui in ecclesiam ingrediuntur, quod ex festis quibusdam diebus facere consueverunt; ut presbyteri quidem omnibus saltem dominicis festisque diebus sacrum faciant, cæteri vero clerici quotidie illud audiant.

Concilium Aquilejense, an. 1596.

A Francisco Barbaro, Aquilejensi patriarcha, habitum est una cum suffraganeis hoc provinciale concilium; in quo novendecim edita constitutionum capita quæ superiorum conciliorum decretis concinunt.

CONCILIA
SÆCULI DECIMISEPTIMI.

Concilium Mechliniense, an. 1607.

MAtthias, archiepiscopus Mechliniensis, concilium hoc, suffraganeis adsistentibus, celebravit. Continet illud de disciplina constitutiones plures quæ tribuuntur in titulos viginti sex iisque geminæ sunt quas antecedentia concilia jam ediderunt. Caput septimum tituli quinti de pœnitentiæ Sacramento, confessionis apud certum quemdam solummodo confessarium edendæ promissionem, licet jurejurando firmatam, tamquam a ratione & æquitate alienam, nullam declarat. Tituli decimi quarti secundum caput Sanctorum imagines compositas ornatasque e mundi usu, seu in ecclesiis, seu in processionibus, tolerari vetat. Vicesimi quinti tituli caput alterum, pauperum quidem parentes per eleemosynarum subtractionem, cæteros autem per alias pœnas adactos vult, suos ut filios ad catechismum mittant.

Concilium Narbonense, an. 1609.

Ludovicus de Vervins, archiepiscopus Narbonensis, habuit cum suis suffraganeis concilium hoc. In eo edita quadraginta octo constitutionum ad disciplinam spectantium capita, quæ sæpius in præcedentibus conciliis repetitæ leguntur. Dicitur in sexto capite Sanctorum reliquias solummodo in extrema necessitate, & ex episcopi expresso mandato ad infirmos deferri licere. Decimum quartum prohibet musicen, risus, ludos, deambulationes, & oscula in ecclesia, infantium baptismi tempore. Idem patrinos & matrinas vetat quicquam filiolis eorumve parentibus dare; damnatque exsecrandam consuetudinem ponendi super altari pueros recens baptizatos, ut eos patrini & matrinæ, numerata pecunia vel aliter, redimere jubeantur. Decimum octavum mandat, ut presbyter qui communionem tribuit, crucis signum super unoquoque communicante statim edat, atque ei communionem tribuerit, eumdemque vetat, excommunicationis indicta pœna, ab iis, seu viris seu feminis quibus communionem sua ipse manu tribuerit, quicquam petat. Decimum nonum feminis interdicit, non solum ne missæ deserviant, sed etiam ne altare, ubi ea dicenda, præparent. Vicesimum sextum jubet episcopum quotidie missam audire, eamque saltem dominicis festisque diebus omnibus dicere; atque, his ipsis diebus, saltem majori missæ & vesperis interesse, semperque majorem quam cæteros presbyteros tonsuram ferre, quippe quem multo longius quam hos a terrenis curis abductum esse necesse est. Tricesimum nonum vetat quicquid in ecclesia scandalum afferre aut risum movere potest, ut prophetas aut pastores, Dominici Natalis nocte repræsentare; sybillarum vaticinia canere, imitari columbæ volatum Pentecostes die, &c. Nulla prorsus animalia ad ecclesiam ducentur, vel ea Deo, in ejus ministrorum persona, offerendi animo, ac si cui fuerit voluntas hæc, oblata animalia parochus extra ecclesiam recipiet. Eos parochi communione privabunt, & sæculares judices severe punient, qui ecclesiæ, presbyterorum aut religiosorum vestibus abutentur, ut alienam speciem simulent, aut irreverentias perpetrent & mimicos ejusmodi jocos edant. In quadragesimo primo luxus, vanitas, sericæ vestes, iisque quivis alius quam niger color, saltationes, epulæ, spectacula, arma, pilæ, talorum, alearum ludi omnis, quæcumque demum in factis aut dictis dedecent, ecclesiasticis interdicuntur.

Concilium Senonense, an. 1612.

Senonense provinciale concilium, die 13. Maji an. 1612. a cardinali Perronio, archiepiscopo Senonense, Lutetiæ Parisiorum habitum fuit. In eo damnatus *Tractatus de Potestate ecclesiastica & politica*, ab Edmundo Richerio, theologicæ Parisiensis facultatis Syndico in lucem editus, tamquam plures propositiones, expositiones & allegationes falsas, erroneas, scandalo obnoxias, schismaticas & hæreticas continens, quin tamen, inquit concilium, regis & regiæ coronæ juribus, itemque Gallicanæ Ecclesiæ juribus, immunitatibus & libertatibus derogaretur. Idem opus damnatum præterea fuit, iisdem injustis infamiæ notis, a provinciali concilio quod Aquis-Sextiis in Provincia, eodem anno, Maji die 24. celebratum.

Concilium Burdigalense, an. 1624.

Cardinalis de Sourdis, archiepiscopus Burdigalensis, habuit, Septembri mense, concilium hoc. Episcopi, ejus suffraganei, adsuere cœtui cum canonicis pluribus quos eorum corpora delegaverant, & cum theologiæ doctoribus bene multis. In hoc editi canones plurimi qui viginti duobus capitibus continentur.

PRIMUM CAPUT.

De Fidei Professione.

COntinet caput hoc professionis fidei formulam quam Tridentinum concilium & Pii IV. Constitutio præscribunt. Continet præterea canones duodecim qui concionatores, pastores, beneficiarios, professores, scholæ magistros, typographos jubent hanc fidei professionem edere, ejusque geminum actum sua manu firmatum ordinario relinquere.

II.

De Fidei Propagatione.

1. Episcopi seligent tot idoneos sollicitosque divini verbi præcones, quot singulorum diœceseos ratio postulaverit, ut errores & vitia de medio funditus tollant.

2. Operam dabunt, ut iis necessaria ad victum comparent.

3. Eos

3. Eos e presbyteris sæcularibus & regularibus deligent.

III.

De divinis Officiis.

Omnes parochi aliique ecclesiastici in divini officii recitatione & sacramentorum administratione confessionem servabunt, & Pauli V. Rituale sequentur.

2. Puri erunt sacerdotes, ut angeli, ad missam celebrandam, seduloque custodient, quicquid quoad hanc rem in superiore Burdigalensi concilio præcipitur.

3. & 4. Nullus sacerdos suam privatam missam dicet solemnis missæ tempore; omnesque populum de obligatione monebunt cui subest, ut, dominicis festisque diebus, suarum parœciarum missæ & officiis intersit.

5. Eleemosynæ nullæ prorsus in ecclesia, quod ad temporalia pertinet, erogabuntur; eas solum extra erogari licebit, cum populus egredietur.

6. Presbyteri sæculares aut regulares non amplius sibi patrem aut matrem, patrinum aut matrinam eligent, cum primo sacrum facient.

7. Nec rumor, nec garrulitates, nec deambulationes, nec choreæ, nec ludi, nec repræsentationes, nec mendicantes in ecclesiis tolerabuntur.

8. Altaria non tangent laici, nec in presbyterorum sedibus feminæ se locabunt.

9. Nulla ecclesiæ parietibus contigua domus extruetur; & illinc, itemque a cœmeteriis arcebitur quicquid ad negotia, vel ad fori rumorem verget.

10. Operam dabunt episcopi, ut omnes suarum diœceseon reliquias ad veritatis leges exigant, eas in peculiarem codicem referant; easdemque decentibus arcis includi & fidelium venerationi exponi jubebunt.

11. Episcopi unius est calices consecrare.

IV.

De Festis.

1. 2. 3. & 4. Festis diebus nec nundinæ nec mercatus habebuntur; sed potius parochi ex cathedra legent explicabuntque Sanctorum vitam, quorum iis ipsis diebus memoria celebrabitur. Episcopi confraternitates quæ reformari non poterunt, interdicent. Suæ quisque diœceseos Sanctorum Proprium ab idoneis viris edendum curabunt.

V.

De Sacramentis.

1. Rubricæ, quod ad baptismi conferendi rationem attinet, servabuntur; & parochi, itemque concionatores identidem populum de forma docebunt quæ ad Sacramentum hoc valide administrandum necessaria est.

2. Neque vero iidem negligent populo tradere quicquid ei de confirmationis sacramento sciendum est, hortarique patres & matres, dominos dominasque, ut eam suis a filiis domesticisque suscipiendam curent.

3. Parochi, concionatores & confessarii monebunt fideles, ineunte potissimum Quadragesima, de obligatione cui subsunt, ut in Paschate apud proprios parochos confessionem edant, suisque in parœciis communionem suscipiant.

4. Eos quoque monebunt, ut, alte ad reverentiam compositi, sanctum viaticum comitentur, cum ad infirmos feretur, precesque pro iisdem fundant.

5. Ostendent episcopi sollicitudinem de confraternitatum institutione, quæ eo spectant, ut qua modo dictum est ratione, sanctissimum Sacramentum comitentur.

6. & 7. Nemo, sine episcopi approbatione, pœnitentiæ sacramentum administrabit; & super hac re servabitur Gregorii XV. Bulla cujus initium: *Inscrutabili Dei Providentia.*

8. Parochi sacrique oratores sæpenumero fideles monebunt, ut ea animi & corporis dispositione quæ eorum humilitatem exhibeat, ad pœnitentiam accedant. Non eorum confessiones audient qui arma deponere recusabunt; acriterque feminas arguent quæ se fuco illinunt, vanisque ornamentis onerant.

9. 10. & 11. Curabunt episcopi, ut ad Paschale officium mendicantes adigant qui ad ecclesiarum fores consistunt. In suis cathedralibus ecclesiis pœnitentiarios instituent. Impedient, ne confessiones noctu & ante auroram audiantur.

12. Ad extremam-unctionem quod attinet, id servabitur quod in superiore concilio præscriptum fuit.

VI.

De Ordine.

Continet caput hoc super ordinibus singulis, superque ordinandorum qualitatibus canones duodecim, quos Burdigalensis concilii patres e superioribus conciliis se deprompsisse testantur, quosque proinde inutile foret hoc loco repeti. Nos quidem id unum animadvertemus, duodecimum canonem, sub interdicti pœna, prohibere capitulis quæ, sedis episcopalis vacantis tempore, in episcopi jurisdictionem succedunt, ne dimissorias litteras ad suscipiendos ordines, ante annum, aliis tribuant quam iis qui necesse habent se ad ordines promovendos curare, beneficiorum causa quæ jam obtinent, aut inibi sunt, ut obtineant.

VII.

De Matrimonio.

Caput hoc continet canones septem quos pariter Burdigalenses patres ex aliis conciliis se duxisse declarant: *Placuit nobis eadem quæ a sanctis canonibus, & sacrorum conciliorum decretis de hac re sunt constituta, innovare.*

VIII.

De Episcopis.

Canones undecim qui hoc in capite continentur, eo rediguntur, ut episcopos de obligatione moneant cui subsunt, ut suppellectilis simplicitate, mensæ frugalitate, a consanguineis quos locupletare non debent, avocatione, charitate erga pauperes, viduas, orphanos, in carceribus detentos, omnesque miseros homines quos, quacunque demum ratione possunt, solari, defendere, levare, juvare debent, suaque ad prædicandum, hortandum, arguendum per suavitatem cui firmitas admixta sit, ad confessiones, peculiariter quadragesimali tempore audiendas, & ad diœceses suas visitandas assiduitate, suis singuli diœcesanis, forma veluti quadam, parentes & pastores sint.

IX.

De Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum Canonicis & Capitulis.

Canones quindecim quos complectitur caput hoc, nihil sunt aliud quam eorum renovatio quæ alia concilia in hanc rem ediderunt.

X.

De Parochis.

Extant hoc in capite canones octo qui, perinde ac superiorum conciliorum canones, commendant parochis, ut singuli sibi concreditum populum erudire & ad virtutem exemplum trahere, ei sacramenta administrare, ecclesiæque bona sarta tecta servare studeant. Addunt oportere, ut ordinarii, etiam invitis parochis, novas parœcias erigant iis in locis in quibus degentes parochiani non poterunt, sine gravi incommodo, se ad parœcias jam institutas conferre, ut ibi sacramenta suscipiant & divinum officium audiant.

XI.

De Pastorum Residentia.

Hujus capitis canones sex super pastorum residentiæ necessitate, superque pœnis in eos qui non resident, a jure latis versantur. Quicunque ad beneficium contendit quod residentiam postulat, primum omnium apud episcopum & collatores cæteros jurare debet fore, ut ipse ibidem assidue resideat.

XII.

De divini verbi Prædicatione.

Nemo prædicabit, quin eidem episcopi, de scripto, approbatio suppetat. Erunt omnes concionatores scientia & virtutibus commendabiles, edoctique de multiplici sacræ Scripturæ sensu, de apostolicis traditionibus, de patrum operibus. Parochi qui non erunt ad prædicandum a natura facti, satis habebunt Tridenti-

ni concilii catechismum e cathedra legere, suisque parochianis virtutes quas sectari, & vitia quæ fugere debent, ob oculos ponere. Concionatores eo potissimum operam conferent, ut Evangelium, Symbolum, Orationem dominicam, Salutationem angelicam, Decalogum, Sacramenta, Cæremonias, solemnium Festorum Mysteria, & officia cujusque status propria explicent. Haud tamquam certum statumque adventus antichristi, aut extremi judicii tempus proponent definientque. Non falsa miracula, non quicquam apocryphi venditabunt; nec magis ad ornatos omnibusque numeris absolutos sermones habendos animum applicabunt; in id potius incumbent, ut ad evellenda radicitus vitia apposite apteque dicant. Atque hæc quidem canonum undecim duodecimi capitis summa est.

XIII.

De vita & Honestate Clericorum.

Caput hoc quod e septem canonibus constat, anterioribus super hac materia canonibus aliquid addit. Pronuntiatur, in primo canone, alienum presbyterum qui in diœcesin venerit, ibidem ultra mensem commoraturus, addicendum esse parœciæ in qua missam dicat, quin eidem liberum sit eam alibi dicere, ut, quomodo is se gerat, episcopo parochus rationem reddere possit. Vetat canon tertius, ne parochi suorum parochianorum patrini sint, hortaturque presbyteros cæteros, ut id officii cum suis tantum consanguineis aut affinibus obeant.

XIV.

De iis qui ad beneficia promovendi sunt.

Instaurat caput hoc, canonibus tribus, statuta vetera super eorum examine quibus beneficia conferri debent.

XV.

De Simonia & Confidentia.

Caput hoc, canonibus quinque, pœnas renovat aggravatque, quas tot concilia totque summi Pontifices in simoniacos & confidentiarios tulerunt.

XVI.

De Seminariis.

Mandat caput hoc decreti executionem, quod de seminariorum erectione præcedens aliud Burdigalense concilium ediderat.

XVII.

De Monasteriis.

Continet caput hoc canones quinque. Dicitur, in primo, regulares parochos aliosque qui beneficia possident quibus adjuncta est animarum cura, in iis residere debere. Dicitur, in secundo, abbates aliosque quibus id privilegii est, ut mitram & pastoralem baculum ferant, intra suorum tantum monasteriorum ambitum iis uti posse. Mandat tertius, ut religiosi vagantes puniantur a locorum episcopis, ubi iidem comperti fuerint; quartus, ut super prælatione disputationes, quæcunque in sæculari & regulari clero subortæ fuerint, ab episcopis finiantur; quintus, ut nec cœnobium, nec ecclesia, nec collegium, nec congregatio secularis aut regularis, absque episcopi consensu, fundari possit.

XVIII.

De Prioratibus & Capellis.

Hujus capitis canones octo spectant prioratuum & capellarum visitationes quas episcopi peragere debent, ut ibidem omnia in ordinem redigant.

XIX.

De Sanctimonialibus.

Renovat caput hoc, canonibus quinque, statuta vetera super religiosarum clausura, postulantium examine, & excommunicationis pœna in eos easque lata qui puellam aut viduam inter religiosas nomen dare coegerint, aut religionem amplecti volentes impedierint, ne voti compotes fierent.

XX.

De Sepulturis.

Hujus capitis canones sex iidem re ipsa sunt ac quos alia concilia, quod ad sepulturas in ecclesiis & cœmeteriis attinet, ediderunt.

XXI.

De Visitatione.

Caput hoc ex canonibus quatuor conflatum mandat, ut superioris Burdigalensis concilii canones super episcoporum, archidiaconorum aliorumque ad quos id juris pertinet, visitationibus fideliter in executione ponantur. Addit, in primo canone, episcopos, quotannis, cœnobia visitaturos quæ non sunt in congregationibus, atque adeo ea ipsa quæ in iisdem sunt, cum regula ibidem nulla prorsus ratione servabitur.

XXII.

De provinciali Concilio & de Pœnis.

Caput hoc quod complectitur canones octo, mandat, ut provinciale concilium, tertio quoque anno, celebretur, & canonum violatores pœnis a jure latis puniantur.

Concilium Constantinopolitanum, an. 1638.

Cyrillus Berrhæensis, Constantinopolitanus patriarcha, concilium hoc habuit contra Cyrillum Lucarum qui ejus in Constantinopolitana sede præcessor fuerat. Hic Cyrillus Lucar, homo, si quis alius, maxime negotiosus & ad turbas factus, ineunte ætate, Germaniam peragraverat, ibique Protestantibus se devinxerat quorum animi sensa & doctrinam in Græciam detulit. Cum is Constantinopolitanus patriarcha evasisset, Calvinistarum errores statim docere cœpit, & fidei confessionem ad eorum dogmata conformatam edidit, quæ, Belgico Oratore operam dante, Genevæ impressa fuit. Super hoc, nimirum Confessione, versatur concilium quo de loquimur in præsentia. In hoc ea cum ejusdem auctore damnata & anathemate perculsa est. Parthenius, Cyrilli Berrhæensis, in Constantinopolis patriarchatu, successor, in eamdem urbem congregavit, mense Majo an. 1643. concilium alterum quod præcedentis concilii judicium confirmavit, articulosque Confessionis Cyrilli Lucari rursus proscripsit dirisque devovit. Hujus concilii decretum, inscriptum *Confessio orthodoxa*, in Moldaviam a patriarchæ Parthenii legatis allatum, ibidem in concilio confirmatum fuit, quod, eo ipso anno, Gias, seu, Jassi celebravit, ubi etiam typis mandatum fuit. Quicunque e Græcis deinceps scripserunt, Confessionem hanc cum elogio memorarunt; est ea sane ex eo capite animadversione digna, quod patefacit Græcæ Ecclesiæ sententiam super Protestantium erroribus quos damnat.

PRAGMA-

PRAGMATICÆ *ET* CONCORDATA

S. LUDOVICI PRAGMATICA SANCTIO,

Quæ jus ordinariis servat, ut de Beneficiis statuant, quæ pertinent ad eorum Collationem, Præsentationem, &c.

PROŒMIUM.

LUDOVICUS, DEI GRATIA FRANCORUM REX, Ad perpetuam rei memoriam, pro salubri & tranquillo statu ecclesiæ regni nostri, necnon pro divini cultus augmento, & Christifidelium animarum salute, utque etiam gratiam & auxilium omnipotentis Dei (cujus solius ditioni ac protectioni regnum nostrum semper subjectum extitit, & nunc esse volumus) consequi valeamus, quæ sequuntur, hoc edicto consultissimo in perpetuum valituro statuimus & ordinamus.

ARTICULUS I.

PRIMO, ut ecclesiarum regni nostri prælati, patroni, & beneficiorum collatores ordinarii jus suum plenarium (*alias* plenarie) habeant, & unicuique sua jurisdictio servetur.

II. Item, ecclesiæ cathedrales & aliæ regni nostri liberas electiones, (adde, promotiones, collationes, ex Cod. M. S. Colleg. Navar.) & earum effectum integraliter habeant.

III. Item, simoniæ crimen pestiferum ecclesiam labefactans, a regno nostro penitus eliminandum volumus & jubemus.

IV. Item, promotiones, collationes, provisiones & dispositiones prælaturarum, dignitatum & aliorum quorumque beneficiorum & officiorum ecclesiasticorum (*alias* quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum & officiorum regni nostri, ut apud Rebuffum in Concord. tit. de elect. in verbo *Simonia is*) regni nostri, secundum dispositionem, ordinationem & determinationem juris communis sacrorum conciliorum Ecclesiæ Dei, atque institutorum antiquorum sanctorum Patrum, fieri volumus & ordinamus.

V. Item, exactiones & onera gravissima pecuniarum per curiam Romanam ecclesiæ regni nostri imposita, quibus regnum nostrum miserabiliter depauperatum extitit, sive etiam imponendas, vel imponenda levari aut colligi nullatenus volumus, nisi dumtaxat pro rationabili, pia & urgentissima causa, vel inevitabili necessitate, ac de spontaneo & expresso consensu nostro, & ipsius ecclesiæ regni nostri.

VI. Item, libertates, franchisias, immunitates, prærogativas, jura & privilegia per inclytæ recordationis Francorum Reges prædecessores nostros, & successive per nos, ecclesiis, monasteriis atque locis piis, religiosis, nec non personis ecclesiasticis regni nostri concessas & concessa, laudamus, approbamus & confirmamus per præsentes.

Mandatum de Exequendo.

Harum tenore universis justitiariis, officiariis & subditis nostris, ac loca tenentibus, præsentibus & futuris, & eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, districte præcipiendo mandamus, quatenus omnia & singula prædicta diligenter & attente servent & custodiant, atque servari, teneri & custodiri inviolabiliter faciant; nec aliquid in contrarium quovis modo faciant vel attentent, seu fieri vel attentari permittant, transgressores aut contra facientes, juxta casus exigentiam, tali pœna plectendo, quod cæteris cedat in exemplum. In quorum omnium & singulorum testimonium præsentes litteras sigilli nostri appensione muniri fecimus. Datum Parisiis, anno Domini 1268. mense Martio. (*Hæc Pragmatica Sanctio edita primo fuit an.* 1228. *& renovata an.* 1268.)

PRAGMATICA SANCTIO
CAROLI VII.
PROŒMIUM.

CAROLUS, DEI GRATIA, FRANCORUM REX,
Universis præsentes litteras inspecturis, Salutem.

§. I.

INscrutabilis divinæ Altitudinis providentia per quam reges regnant, rerumque publicarum gubernacula possident, potestatem regiam ad hoc inter cætera ordinavit in terris, ut Ecclesiam sanctam pretioso Christi Sanguine fundatam, ejusque ministros fideliter protegeret atque tueretur, & sanctorum antiquorumque patrum decreta saluberrima, Spiritu Dei promulgata quibus nervus disciplinæ ecclesiasticæ, salutarisque doctrinæ viget ac solidatur, sincere exequi faceret, illibateque observari; sed & speciali debito juramenti in nostri diadematis susceptione insigni, & alias ecclesiæ, regni & delphinatus nostrorum præstiti, ad id ipsum astringimur pariter & obligamur.

§. II. Cum itaque divina pietas his nostris temporibus fidelium cordibus inspirare dignata sit, ut sacrosancta generalis synodus Ecclesiæ universalis in civitate Basiliensi, tam ex immediate præcedentium sacrorum Constantiensis & Senensis conciliorum generalium continuatione, decretisque & ordinatione, quam duorum Romanorum Pontificum solemni convocatione etiam & approbatione, scilicet felicis recordationis Martini V. & Eugenii IV. moderni, ad excolendum dominici gregis agrum, reformandumque debite in capite & in membris statum ecclesiasticum qui his diebus indigere videtur, abundando nequitia & frigescente hominum charitate, coadunaretur & celebraretur; ut repressis deformitatum scelerumque regnantium enormitatibus perniciosis, quæ in universam christianitatem, ipsorum sanctorum antiquorum patrum contemptis spretisque decretis & institutis salutaribus, multas clades, multaque discrimina (proh dolor!) injecisse visæ sunt, divinus honor reflореret in terris, lumen catholicæ veritatis, Christo vera luce largiente, fulgeret, ecclesiasticæ libertatis conservatio subsisteret, & populus christianus salubriter regeretur ac perduceretur in salutem.

§. III. Quæ quidem sancta generalis synodus, hujusmodi deformitates in Ecclesia Dei passim in dies excrescere, & mores corruptissimos eamdem inficere prospiciens, cunctis palam curavit ingerere monita salutis, ac circa prædicta, quantum cum Deo potuit, efficaciter providere; considerансque ad hæc inter alia præcipua maxime convocatam adunatamque extitisse, certa decreta certasque ordinationes & statuta solemnia fecit & condidit, quæ per suos oratores & nuntios præcipuos nobis & ecclesiæ regni & delphinatus nostrorum antedictorum præsentari fecit & exhiberi; nos plurima cum charitate & prælatos cæterosque viros ecclesiasticos, ipsamque nostrorum regni & delphinatus ecclesiam repræsentantes, maxima cum instantia exhortando & obsecrando, ut decreta, statutaque & ordinationes ab ipsa sancta synodo præmissas ob causas facta & condita recipere vellemus, etiam & acceptare, eademque, quantum nostræ regiæ dignitatis interest, per universum regnum nostrum & delphinatum inviolabiliter perpetuoque observari facere dignaremur.

§. IV. Quibus attente consideratis, ut viam tutiorem ac Deo gratiorem eligere valeremus, habita super his magni consilii nostri deliberatione permatura, archiepiscopos, episcopos, capitula notabilia, abbates, decanos, præpositos, cæterosque prælatos ecclesiasticos, ac divini & humani juris magistros, doctores & scientificos viros universitatum studiorum generalium, & alios de regno & delphinatu nostris in maximo copiosoque numero apud nos in hac nostra Bituricensi civitate celebri, nuper convocari fecimus & congregari.

§. V. In qua quidem solemni congregatione, in capitulo Sacrosanctæ capellæ nostræ Bituricensis celebrata præsidentes, assistentibus nobis primogenito nostro charissimo Ludovico delphino Viennensi, Carolo duce Borbonii, Carolo de Andegavia Cenomaniæ, Petro de Britannia nepote, Bernardo comite Marchiæ, nec non Ludovico Vindocini & Guillelmo de Tanquarvilla comitibus, consanguineis nostris, pluribusque magnatibus, proceribus, & viris peritissimis ecclesiasticis & sæcularibus, de magno consilio nostro & aliis, ipsius præfati summi pontificis, nec non & sanctæ synodi generalis prædictæ solemnes oratores ad nos destinatos, super his & aliis statum Ecclesiæ Dei plurimum concernentibus, audivimus, attenteque audiri fecimus.

§. VI. Quibus ad plenum auditis, apertisque luculenter & diserte per plures præfatos sacræ theologiæ & jurium doctores famosissimos, & exinde plurium dierum intervallis, discussis & diligenter pertractatis materiis pro parte eorumdem & aliorum virorum ecclesiasticorum, ipsam nostrorum regni & delphinatus ecclesiam repræsentantium, nobis tandem extitit expositum, quod iidem zelo domus Dei, sacratissimo pignore sanguinis proprii Filii consecratæ flagrantes, ad memoriam reducentes, & ante oculos suæ considerationis revolventes, qualiter a primordio nascentis Ecclesiæ, in nostris regno & delphinatu, prædecessorum nostrorum, prælatorum, procerum atque fidelium, ipsorum regni & delphinatus incolarum, digne recolenda prioritas ad laudem & gloriam Dei, & ob divini cultus augmentum, ecclesias & cœnobia, aliaque loca religiosa erexit & construxit, ipsaque amplis dotavit possessionibus & privilegiis communivit; instituens in eis ministros idoneos qui suis temporibus fidem catholicam in subjectis sibi linguis & populis feliciter propagarunt; per quorum curam & sollicitudinem, virtuososque progressus ac exempla salutaria, Christi Ecclesia decoratissime adulta, odoriferos fructus ferens, usque ad postremos occiduæ regionis limites effloruit; ac velut sidus lucidissimum irradiavit, pulsisque procul ignorantiæ & errorum tenebris, doctrinæ suæ lumen præclarissimum circumfulsit ubilibet.

§. VII. Qualiter præterea per sanctos patres priorum sæculorum, plures sacri canones & decreta saluberrima pro felici regimine status ecclesiastici, tam super electionibus, modisque ipsius Ecclesiæ ministros assumendi & instituendi, quam eorum cæterorumque prælatorum salutari directione, conditi sunt etiam & promulgati; qui quandiu observati fuerunt, Ecclesia Dei fructus honoris honestatisque felici ubertate produxit, disciplinæ ecclesiasticæ vigor perstitit, religio, pietas, charitas uberius effloruerunt, animi hominum in pace auctorem pietatis excoluerunt.

§. VIII. Sed (proh dolor!) damnatæ ambitionis improbitas & detestandæ cupiditatis insatiabilitas, omnium malorum radix, humanitatis jura violans, ipsa salutifera sanctorum antiquorum patrum decreta paulatim cœpit deserere etiam & contemnere, pedetentimque in vitia ruere. Exinde subsecutæ sunt morum corruptiones atque deformationes, status ecclesiastici dehonestationes atque decolorationes, usurpationes gravissimæ, intolerabiles interprisiæ; & præsertim per prælaturarum, dignitatumque & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum reservationes, gratiarum ad vacatura beneficia expectativarum, a jure exorbitantium, multiplicationes, innumerabilesque concessiones, aliaque gravissima & importabilia onera quibus ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ nostrorum regni & delphinatus prædictorum graviter afflictæ, oppressæ, & fere ad postremam exinanitionem redactæ his diebus conspiciuntur.

§. IX. Nam ecclesiarum & beneficiorum ecclesiasticorum antedictorum peculia manus occupant indignorum nonnunquam exterorum; & plerumque dignitates ac beneficia notabiliora & opulentiora personis conferuntur ignotis & non probatis quæ in eisdem beneficiis non resident; sicque vultus sibi commissi gregis non agnoscunt, linguam aliquando non intelligunt; quin immo animarum cura neglecta, velut mercenarii, solum-

ſolummodo temporalia lucra quærunt. Sic dimittitur Chriſti cultus, animarum cura negligitur, ſubtrahitur hoſpitalitas, eccleſiarum jura depereunt, ruunt ædificia, populi devotio attenuatur, clerici noſtrorum regni & delphinatus ſcientiis & virtutibus effulgentes qui ad chriſtianæ plebis ædificationem ſalutarem vocari poſſent, quique pro regiis & eccleſiæ prædictæ regni & delphinatus publicis conciliis forent opportuni, divinarum & humanarum ſcientiarum ſtudia deſerunt propter promotionis congruæ ſpem eis ablatam.

§. X. Cæterum hujuſmodi reſervationum & expectationum occaſione, ingeritur votum mortis alienæ, animarum ſaluti nimium præjudiciabile, ſuſcitantur lites, infinitæ contentiones & rixæ inter Chriſti miniſtros oriuntur, rancores & odia plerumque implacabilia nutriuntur, fovetur pluralitatis beneficiorum ambitio execrabilis; pauperes clerici innumeris perſonarum & rerum diſcriminibus ſubjiciuntur, & per calumnioſos cavilloſoſque indebite opprimuntur; beneficia prædeclarata per litium anfractus frequenter injuſte occupantur, & ſæpius inofficiata diutine relinquuntur; materia fovendis injuſtis vexationibus paratur; abuſus peſtiferi, horrenda ſpecie labis ſimoniacæ reſperſi, committuntur; bonæ indolis juvenibus qui virtuoſis artibus intendere deberent, evagandi licentia præbetur; prælatis & cæteris ordinariis collatoribus ſuum jus atque miniſterium aufertur; patronorum jura enervantur; indeque ſtatus Eccleſiæ hierarchicus confunditur; plurimaque adverſus divina & humana jura in animarum perniciem, & eccleſiæ regni & delphinatus noſtrorum ſæpe dictorum oppreſſionem, atque conculcationem committuntur pariter & perpetrantur; ſicque jura coronæ noſtræ depereunt damnoſe, & ipſorum noſtrorum regni & delphinatus theſauri in extraneas regiones aſportantur, ſub tali forſan conjectura, ut eorumdem regni & delphinatus depreſſo ſacerdotio, exhauſtoque theſauro, regnum ipſum cum delphinatu reddatur debilius in adverſis.

§. XI. Quæ omnia & ſingula, & alia quamplurima quæ ex præmiſſis ſequuntur, incommoda divinæ haud dubie credenda ſunt diſplicere voluntati, quin immo in grave noſtri & eccleſiæ præfatæ noſtrorum regni & delphinatus vertuntur præjudicium atque detrimentum permaximum. Ipſi quoque prælati & cæteri viri eccleſiaſtici eccleſiam noſtrorum regni & delphinatus repræſentantes, pii Eccleſiæ zelatores, matrem ſuam tot impuritatibus pollui ingemiſcentes, cognoſcentesque talia, ſtimulantibus conſcientiis, abſque graviſſima Dei offenſa diutius diſſimulari non poſſe; & cognoſcentes iidem prælati & cæteri viri eccleſiaſtici, eccleſiam prædictam noſtrorum regni & delphinatus repræſentantes, quod ſuper prædictorum reparatione, ſacræ ipſius Baſilienſis ſynodi decreta proviſionem congruentem videntur attuliſſe, præhabita inter eos multimoda diutinaque apertione, diſcuſſione atque digeſtione, memorata ipſius ſacræ Baſilienſis ſynodi decreta, ordinationes & ſtatuta aliqua ſimpliciter, ut jacent, alia vero cum certis modificationibus & formis, non hæſitatione poteſtatis & auctoritatis condentis & promulgantis, ipſius ſcilicet ſacræ Baſilienſis ſynodi, ſed quatenus commoditatibus, temporibus & moribus regionum & perſonarum ſæpe ſatorum noſtrorum regni & delphinatus congruere, convenireque congrue, jureque conſpexerunt, prout inferius annotantur & inſeruntur, illico & indilate recipienda conſenſerunt & acceptanda deliberaverunt. Quorum quidem decretorum tenor ſequitur.

Et primo decretum per ſacroſanctum Conſtantienſe concilium factum & conditum, & per ſacrum generale concilium Baſilienſe renovatum, de auctoritate generalium conciliorum.

TITULUS PRIMUS.

De Auctoritate & Poteſtate ſacrorum generalium Conciliorum, temporibuſque & modis eadem convocandi & celebrandi.

CAPUT PRIMUM.

Decretum Concilii Conſtantienſis.

Frequens generalium conciliorum celebratio agri dominici præcipua cultura eſt, quæ vepres, ſpinas & tribulos hæreſum, errorum & ſchiſmatum extirpat, exceſſus corrigit, deformata renovat, & vineam Domini ad frugem uberrimam fertilitatis adducit; illorum vero neglectus præmiſſa diſſeminat atque fovet. Hæc præteritorum temporum recordatio & præſentium recordatio ante oculos noſtros ponunt.

§. I. Quapropter hoc edicto perpetuo ſancimus, decernimus atque ordinamus, ut amodo generalia concilia celebrentur, ita quod primum a fine hujus concilii, in quinquennium immediate ſequens; ſecundum vero a fine illius immediate ſequentis concilii in ſeptennium; & deinceps de decennio in decennium perpetuo celebrentur in locis quæ ſummus pontifex per menſem, ante finem cujuslibet concilii, approbante & conſentiente concilio, vel, in ejus defectu, ipſum concilium deputare & aſſignare teneatur; ut ſic per quamdam continuationem ſemper aut concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur.

§. II. Quem terminum liceat ſummo pontifici, de fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalium conſilio, ob emergentes forte caſus, abbreviare; ſed nullatenus prorogetur. Locum autem pro futuro concilio celebrando deputatum abſque evidenti neceſſitate non mutet.

§. III. Sed ſi forte aliquis caſus neceſſarius occurrerit, quo neceſſarium videretur ipſum locum mutari, puta, obſidionis, guerrarum, peſtis, aut ſimilis, tum liceat ſummo pontifici, de prædicto fratrum ſuorum conſilio, aut duarum partium ipſorum conſenſu atque ſubſcriptione, alium locum prius deputato loco viciniorem & aptum, ſub eadem tamen ratione, ſubrogare, niſi idem vel ſimile impedimentum per totam illam nationem vigeret; tunc ad aliquem alium viciniorem alterius nationis locum aptum hujuſmodi concilium poterit convocari.

§. IV. Ad quem prælati & alii qui ad concilium ſolent convocari, accedere teneantur, ac ſi a principio locus iſte fuiſſet deputatus; quam tamen loci mutationem, vel termini abbreviationem per annum ante præfixum terminum teneatur ſummus pontifex legitime & ſolemniter publicare & intimare; ut ad ipſum concilium celebrandum prædicti poſſint ſtatuto tempore convenire. Atque pro ipſius executione decreti civitas Papiæ apud Italiam fuit electa pro concilio generali in fine tunc proxime ſequentis quinquennii celebrando; quod quidem concilium ſuo tempore debito in dicta civitate Papiæ extitit celebrari inchoatum, & inde certis ex cauſis ad civitatem Senenſem translatum; in quo quidem generali concilio Papiæ inchoato, & in civitate Senenſi celebrato, hæc Baſilienſis civitas pro celebratione tunc futuri concilii generalis poſt ſeptennium a fine ipſius Senenſis concilii, celebrandi fuit electa, & debite aſſignata, ut conſtat in inſtrumento publico inde facto.

Item aliud Decretum cujus tenor ſequitur, ſeu

CAPUT II.

De Auctoritate ſanctæ Synodi Baſilienſis.

Sacroſancta generalis ſynodus Baſilienſis, Eccleſiam militantem repræſentans, ad perpetuam rei memoriam, ad laudem Dei omnipotentis, ac benedictæ individuæque Trinitatis gloriam & honorem, pro hæreſum atque errorum extirpatione, morum in capite & in membris Eccleſiæ Dei reformatione, ac regum atque regnorum, cæterorumque chriſticolarum ad invicem, auctore diſcordiarum procurante, diſſidentium pacificatione, in Spiritu Sancto legitime congregata decernit, ſtatuit & diffinit, declarat & ordinat, ut ſequitur.

§. I. Et primo quod eadem ſacra Baſilienſis ſynodus, ſacris Conſtantienſi & Senenſi generalibus conciliis decernentibus atque ordinantibus, & auctoritate apoſtolica interveniente, fuit & eſt in hoc loco Baſilienſi debite legitimeque atque rite nuntiata & aggregata.

§. II. Et ne de ejuſdem ſacræ Baſilienſis ſynodi poteſtate a quoquam dubitetur, ipſa eadem ſynodus duas declarationes ex decretis ſynodi Conſtantienſis in præſenti ſeſſione aliis ſuis decretis editis ſeu edendis inſerendas ordinavit & decrevit. Quarum quidem declarationum tenor primæ ſequitur, & eſt talis.

CANON I.

Concilium generale repræſentat Eccleſiam militantem & Chriſtum.

§. III. Et primo declarat, quod ipſa ſynodus in Spiritu Sancto legitime congregata, generale concilium faciens & Eccleſiam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto habet immediate.

§. IV. Cui quilibet, cujuſcunque ſtatus, conditionis vel dignitatis, etiamſi papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & exſtirpationem dicti ſchiſmatis, & generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris.

Alterius vero sequitur tenor in hæc verba.

CANON II.

Concilio generali non obedientes pœnæ subjiciuntur.

§. V. Item, declarat, quod quicunque, cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi papalis, existat, qui mandatis & statutis, seu ordinationibus aut præceptis hujus sacræ synodi, & cujuscunque alterius concilii generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, vel contraire præsumpserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur & debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.

De loco, tempore & firmitate Concilii.

Præmissis igitur, & nonnullis aliis Constantiensis concilii (præsertim capituli quod incipit, *Frequens*, in priori hujus sacræ synodi Basiliensis sessione recitati) decretis attentis, prælibata synodus Basiliensis decrevit & declaravit, quod ipsa, pro hæresum extirpatione, ac morum generali reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, necnon pace inter christianos procuranda, ut præmittitur, in Spiritu Sancto legitime congregata, per nullum, quavis auctoritate, etiamsi papali dignitate præfulgeat, dissolvi, aut ad alium locum transferri, seu ad aliud tempus prorogari potuit aut debuit, debet aut potest, debebit aut poterit in futurum, absque ejusdem synodi Basiliensis deliberatione & consensu.

Acceptatio superiorum Canonum.

§. VI. Acceptavit & acceptat, prout jacent, jam dictorum prælatorum, cæterorumque virorum ecclesiasticorum, ipsam Ecclesiam repræsentantium, congregatio sæpedicta.

Item acceptat decreta de electionibus, quorum primum incipit: *Sicut in construenda.*

TITULUS II.

De Electionibus.

Sicut in construenda domo, præcipua est architectoris cura, ut tale jaciat fundamentum super quod firmum perduret ædificium; ita in generali Ecclesiæ reformatione potissimum est hujus sanctæ synodi studium, ut tales ecclesiæ præficiantur pastores qui tamquam columnæ & bases ipsam Ecclesiam, doctrinæ & meritorum viribus firmiter sustentent.

§. I. Quanta autem in eligendis prælatis diligentia adhibenda sit, officium eis injunctum evidenter ostendit; ad regimen enim assumuntur animarum pro quibus Dominus noster Jesus Christus mortuus est, & Sanguis ejus pretiosus effusus. Propterea sacri canones Spiritu Dei promulgati provide statuerunt, ut unaquæque ecclesia aut collegium seu conventus sibi prælatum eligant.

§. II. Quibus hæc eadem synodus eodem spiritu congregata inhærens, statuit & definivit generalem reservationem omnium ecclesiarum, metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum, & monasteriorum, ac dignitatum electivarum per Romanum Pontificem de cætero fieri, aut factis uti non debere; reservationibus in corpore juris clausis, & his quæ in terris, Romanæ Ecclesiæ, ratione directi seu utilis dominii, mediate vel immediate subjectis fieri contigerit, semper exceptis; sed quod per electiones & confirmationes canonicas, secundum juris communis dispositionem, prædictis metropolitanis, cathedralibus, collegiatis ecclesiis, monasteriis & dignitatibus electivis vacantibus debite provideatur.

§. III. Non derogando propterea statutis, privilegiis & consuetudinibus rationabilibus quibuscunque, postulationibus in dispositione juris communis remanentibus.

§. IV. Decrevitque hæc sancta synodus rationi fore consentaneum & rei publicæ accommodum, ut contra hoc salutare decretum Romanus Pontifex nihil attentaret, nisi ex magna, rationabili & evidenti causa, in Litteris apostolicis nominatim exprimenda. Et, quo firmius hoc salubre decretum custodiatur, vult eadem synodus, ut inter alia quæ Romanus Pontifex in sua assumptione profitebitur, juret hoc decretum inviolabiliter observare.

§. V. Et quoniam tales, ut prædictum est, oportet esse prælatos, hi ad quos pertinet jus eligendi, omnem curam adhibeant, ut dignam coram Deo & hominibus electionem faciant, exactamque proinde apponant sollicitudinem, ut tales eligantur qui tanto officio valeant satisfacere; scientes, quod si dolose vel negligenter ac timore Dei postposito, in re tam gravi se gesserint, sicut auctores erunt in causa malorum pastorum, ita participes fient pœnarum quas ipsi mali pastores in districto Dei judicio patientur.

De Solemnitatibus in Episcopi vel Abbatis electione observandis.

§. VI. Et cum humanæ fragilitatis conatus nihil sine Dei omnipotentis suffragio queat efficere, a quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit; adveniente die electionis, hi ad quos pontificis vel abbatis spectat electio, in Ecclesiam conveniant, magna cum devotione missam de Spiritu sancto audituri, quem humiliter exorabunt, ut eos ad dignum eligendum pastorem inspirare dignetur; & ut eo facilius gratiam hanc obtinere mereantur, quo devotius ad actum electionis accedent, contriti & confessi Sacramentum eucharistiæ reverenter suscipiant. Ad locum vero electionis ingressi, pro quocunque prælato qui per electionem assumitur, jurabunt in manibus ejus qui capitulo præsidebit, & ipse præsidens in manibus eum immediate sequentis, sub hac forma:

§. VII. *Ego N. juro & promitto omnipotenti Deo, & Sancto, vel Sanctæ sub cujus vocabulo dedicata est hæc ecclesia, eum eligere quem credam futurum esse in spiritualibus & temporalibus utiliorem, nec illi vocem dare quem verisimiliter scivero promissione aut datione alicujus rei temporalis, seu per se aut per alium interpositam, aut alias qualitercunque, directe & indirecte, pro se electionem procurare.*

§. VIII. Idemque juramentum præstet, confiteatur & communicet qui constituit procuratorem ad eligendum certam personam; necnon & procurator generalis ad eligendum constitutus, in quibus, secundum juris communis dispositionem, in hujusmodi electionis negotio procurator constitui potest. Quod etiam juramentum præstetur ab his in quos continget super electione futuri prælati fieri compromissum, qui etiam confiteri & communicare teneantur.

§. IX. Quod si prædicta non fecerint, pro illa vice, jure eligendi sint ipso facto privati.

De Qualitatibus in eligendo requirendis.

§. X. Deinde eligant in præfatum, virum ætatis legitimæ, moribus gravem, litterarum scientia præditum, in sacris ordinibus constitutum, & alias idoneum secundum canonicas sanctiones.

§. XI. Quod si aliter, & de alia persona, quam ut dictum est, aut per simoniacam pravitatem, electionem fieri contigerit, electio sit ipso jure irrita & inanis; & sic simoniace eligentes, præter alias pœnas, perpetuo sint ipso jure eligendi privati; alii vero canonicis pœnis subjaceant; simoniace autem electi, & qui hujusmodi simoniacæ electionis participes fuerint, canonice puniantur, taliterque eligentes & confirmati, in horrorem tanti criminis, pœnam, ipso facto, excommunicationis incurrant, nec a tali reatu & excommunicatione electi & confirmati absolvi possint, nisi ecclesiis & dignitatibus ad quas turpiter assumpti sunt, libere resignantes, renuntiaverint; & ad eas obtinendas quas nefario ingressu adepti sunt, perpetuo reddantur inhabiles.

De Ambitione resecanda.

§. XII. Ad tollendam autem omnem ambitionis radicem, obsecrat per viscera misericordiæ Dei Jesu Christi hæc sancta synodus, ac instantissime exhortatur reges & principes, communitates & alios, cujuscunque gradus vel dignitatis existant, ecclesiasticæ vel mundanæ, ne electoribus litteras scribant aut preces porrigant pro eo qui per se vel alium preces tales vel litteras procurabit; multoque minus comminationes, impressiones, aut aliud faciant, quo minus libere ad electionem procedatur.

§. XIII. Similiter, in virtute sanctæ obedientiæ, ipsis electoribus præcipitur, ne ad hujusmodi litteras, vel preces, vel comminationes, vel impressiones, aut alias, ut præmittitur, quemquam eligere præsumant.

De Electionibus confirmandis.

§. XIV. Facta autem electione, & ei ad quem jus pertinet confirmandi, præsentata, si appareat coelectus, vel se opponens electioni, nominatim vocetur ad videndum discuti negotium electionis; & nihilominus generaliter edictum publicum in ecclesia, in qua facta est

est electio, proponatur, juxta Constitutionem felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII.

§. XV. Comparentibus autem aliquibus, vel non, ipse confirmator nihilominus ex officio, tamquam in negotio inquisitionis, procedat, omnem adhibiturus diligentiam, ut tam forma electionis quam merita electi & omnes circumstantiæ debite examinentur & discutiantur, ut si electio confirmanda, judicialiter confirmetur vel infirmetur.

§. XVI. Et ut omnia munde fiant, & sine labe ac labis suspicione procedant, non solum exigere aliquid quantumcunque parvum, sed etiam gratis oblata confirmator, ratione confirmationis, sub nomine *subventionis*, *subsidii*, *gratitudinis*, aut alio colore, prætextu cujusvis consuetudinis aut privilegii, per se vel per alium, nullatenus recipere præsumat.

§. XVII. Notariis autem & his qui scripserint in hujusmodi causis, emolumentum aliquod moderatum taxetur, habendo respectum ad laborem & operam scripturæ, non ad fructuum prælaturæ valorem.

§. XVIII. Si vero confirmatores prædicti electiones, non servatis superius ordinatis & expressis, & de personis non idoneis, ut præmittitur, factas, vel alias per simoniacam pravitatem confirmaverint; eo ipso confirmationes hujusmodi sint nullæ; confirmantes autem alias personas, quam ut supra dictum est, pro ea vice per simoniacam pravitatem aut labem, perpetuo, ipso facto, jure confirmandi sint privati; & nihilominus propter dictam simoniacam labem, si eam commiserint, etiam excommunicationis sententiam incurrant eo ipso, a qua nisi per Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere non possint.

§. XIX. Summum vero Pontificem hæc sancta synodus exhortatur, ut, cum speculum & norma omnis sanctitatis & munditiæ esse debeat, pro confirmatione earum si ad eum deferri contigerit, nihil penitus exigat aut recipiat; alioquin si secus faciendo notorie & incorrigibiliter Ecclesiam ex hoc scandalizet, futuro concilio deferatur.

§. XX. Pro oneribus autem quæ ipsum pro regimine universalis Ecclesiæ subire oportet, proque sustentatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium & aliorum necessariorum officialium, hoc sacrum concilium, ante sui dissolutionem, omnino debite & congruenter providebit. Quod si contingat aliquam circa hæc provisionem non facere, per hoc eadem sancta synodus non intendit in aliquo præjudicare sanctæ Romanæ & universali Ecclesiæ nec alteri cuicunque. Datum Basileæ in majori ecclesia, in sessione publica celebrata, anno Domini MCCCCXXXIII. 3. Idus Julii.

Item aliud Decretum; seu

CAPUT II.

Incipiens: Licet dudum.

Licet dudum hæc sancta synodus, abolita per eam generali omnium ecclesiarum & dignitatum electivarum reservatione, provide decrevit, ut prædictis ecclesiis & dignitatibus per canonicas electiones & confirmationes provideri deberet, volens etiam speciales seu particulares ipsarum ecclesiarum & dignitatum electivarum prohibere reservationes, per quas libera in eisdem eligendi & confirmandi facultas impediri posset, quodque adversus hoc decretum Romanus pontifex nihil attentaret, nisi ex magna, rationabili & evidenti causa in litteris apostolicis nominatim exprimenda; quia tamen contra ipsius decreti mentem non pauca sine hujusmodi causa gesta sunt, unde gravia hactenus successerunt, & graviora in dies timentur scandala, cupiens hæc sancta synodus his obviare, volens, ut ipsius decreti mens quæ fuit, omne obstaculum a canonicis electionibus & confirmationibus tollere, suo non frustraretur effectu.

§. I. Statuit, ut electiones in dictis ecclesiis sine impedimento aut obstaculo omnino fiant, quæ, causa cognita, juxta juris communis & dicti nostri decreti dispositionem, confirmentur vel infirmentur.

§. II. Verumtamen si forte aliquando contingat electionem aliquam, etiam alias canonicam fieri, quæ in perturbationem Ecclesiæ, aut patriæ, vel boni publici vergere timeatur; summus pontifex, cum ad ipsum confirmatio delata fuerit, si talem urgentissimam causam adesse cognoverit, ea prius mature discussa, ac parte plene defensa, accedente postea Romanæ Ecclesiæ cardinalium aut majoris partis subscriptione, hujusmodi causam veram sufficientemque fore attestantium, rejecta tali electione, ad capitulum vel conventum remittat, ut infra tempus, vel alias juxta loci distantiam, ad aliam non cunctentur electionem procedere.

Sequuntur Litteræ patentes Regis, & Modificatio superioris Decreti.

§. III. Censuit tamen præfata congregatio, quod summus Pontifex habeat remittere unumquemque per ipsum aut ipsius auctoritate, ut præmittitur, promovendum ad suum immediatum superiorem pro munere consecrationis aut benedictionis, ab eo vel ejus auctoritate consequendo, nisi dictus promotus sit præsens in curia & velit ibi consecrari.

§. IV. Et nihilominus consecratos aut benedictos in curia Romana remittat ad eorum immediate superiores, præstituros eis aut, ipsis absentibus, eorum vicariis debitæ obedientiæ juramentum.

§. V. Quod si quis præsumat recipere munus consecrationis & benedictionis extra curiam, etiam in vim cujuscunque commissionis apostolicæ, ab alio quam a suo immediate superiore, vel ejus auctoritate, incurrat pœnam centum aureorum, mediatim applicandorum ordinario & fabricæ ecclesiæ ordinarii, cessante omni dispositione qualicunque in contrarium. Item, nec credit ipsa congregatio Bituricensis fore reprehensibile, si rex & principes regni sui, cessantibus tamen omnibus comminationibus & quibuslibet violentiis, aliquando utantur precibus benignis atque benevolis, & pro personis bene meritis & zelantibus bonum reipublicæ, regni & delphinatus.

Item acceptat Decretum de Reservationibus, quod incipit: *Et quia*.

TITULUS III.

Seu, *Decretum de Reservationibus sublatis*.

Et quia multiplices ecclesiarum & beneficiorum hactenus factæ, per summos pontifices, sunt reservationes quæ non parum ecclesiis onerosæ extiterunt;

Ipsas omnes, tam generales, quam speciales sive particulares, de quibuscunque ecclesiis & beneficiis quibus tam per electionem, quam per collationem, aut aliam dispositionem provideri solet, sive per Extravagantes, *Ad regimen*, &, *Execrabilis*, sive per Regulas Cancellariæ, aut alias apostolicas Constitutiones, introductas hæc sancta synodus abolet; statuens, ut de cætero nequaquam fiant, reservationibus in corpore juris expresse clausis, & his quas in terris, Romanæ Ecclesiæ, ratione directi seu utilis dominii, mediate & immediate subjectis fieri contigerit, dumtaxat exceptis.

Sequuntur Litteræ patentes Regis.

Item, Decretum de Collatione Beneficiorum, sub modificationibus & declarationibus sequentibus, acceptat congregatio; quod quidem Decretum incipit: *Placuit*.

TITULUS IV.

De Collationibus.

CAPUT PRIMUM.

Placuit divinæ pietati hoc tempore animos hominum qui variis abusibus irretiri cœperant, vehementius excitare, ut salus quæreretur cunctorum, &, per synodum universalem, mores Ecclesiæ in melius reformarentur, cum salutari directione capitis & membrorum in viam justitiæ & sanctitatis, & quod ut facilius atque ordinatius fieret, & ne, sub prætextu variarum opinionum, aut Romani pontifices, aut alii quicunque non satis universalibus conciliis obedirent, prædisposuit eadem divina pietas in sacro Constantiensi concilio, synodorum universalium jurisdictionem ita declarari, ut nulli relinqueretur ambigendi occasio, cum decreto solemni diffinitum extitit universale concilium habere auctoritatem immediate a Christo, cui quilibet cujuscunque status & dignitatis, etiamsi papalis fuerit, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & exstirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris, ac pertinentibus ad ea.

§. I. Dum autem hæc cura reformandæ Ecclesiæ huic sanctæ universali synodo Basiliensi incumbit; hoc unum singulari sollicitudine prosequendum arbitratur, ut per singulas ecclesias ministri instituantur idonei qui scientiis & virtutibus effulgeant ad Christi gloriam,

tiam, & universi populi Christiani ædificationem salutarem,

De Gratiis expectativis sublatis.

§. II. Cui rei grave impedimentum hactenus afferre visa est gratiarum expectativarum multitudo quæ gravem ordini & statui ecclesiastico perturbationem, variasque inordinationes ac plurima discrimina comperitur injecisse. Ex his enim frequentius dati sunt in ecclesiis ministri non probati, nec cogniti; vacaturorumque beneficiorum expectatio (sicut antiqua jura testantur) occasionem desiderandæ mortis alienæ præstare solet, quod plurimum præjudicat animarum saluti. Sed & insuper lites innumeræ & contentiones inter servos Dei excitantur, rancores & jurgia nutriuntur, pluralitatis beneficiorum fovetur ambitio, facultates ac pecuniæ regnorum & provinciarum mirum in modum exhauriuntur, pauperes discurrendo ad Romanam curiam innumerabiles vexationes subeunt, & inter viarum discrimina nonnunquam spoliantur, occiduntur, & variis affliguntur pestibus, atque etiam in suis patrimoniis ac parentum opibus exhaustis gravi egestati subjacere coguntur; plurimi absque justo titulo beneficia sibi vindicant, & non quibus jure debentur, illi obtinent, sed nonnunquam ii quibus aut circumveniendi proximum major astutia, aut ad litigandum facultas suppetit uberior; sub involutionibus prærogativarum aut antelationum, aliorumque hujusmodi gratias concomitantium, fraudes plurimas ac deceptiones contingit inveniri. Juvenibus etiam qui studio litterarum & virtuosis operibus intendere deberent, datur materia evagandi, qui sæpius per litium anfractus & varios discursus, ratione gratiarum ipsarum, turbantur & inquietantur. Ordinariis collatoribus suum ministerium subtrahitur, & confunditur ordo ecclesiasticus, dum unicuique sua jurisdictio non servatur; Romanique pontifices, dum officia inferiorum sibi nimium vindicant, a majoribus & magis functuosis operibus, universale bonum concernentibus, retrahuntur; nec inferiorum directioni atque correctioni invigilant, sicut publica utilitas exposcit. Quæ omnia gravem confusionem statui clericali & sacerdotali in dispendium divini cultus & præjudicium publicæ salutis afferunt, possentque graviorem in futurum afferre ruinam, rebus his in deteriora jugiter prolabentibus, nisi provideretur in adversum.

§. III. Volens itaque hæc sancta synodus super his opportunum remedium adhibere, statuit & decrevit, ut pontifex Romanus qui pro tempore fuerit, eas deinceps gratias expectativas, aut nominationes nullo modo, nullave ex causa concedat, cum ipse præ cæteris (ne sit tantorum occasio malorum) abstinere debeat.

§. IV. Frustra enim inhiberetur inferioribus, si ipse qui aliis debet esse omnium bonorum & virtutum exemplar, non abstineret. Ut enim ille sanctissimus & doctissimus Leo papa inquit, totius familiæ domini status & ordo mutabitur, si quod inquiritur in corpore, non inveniatur in capite; integritas enim præsidentium, salus dignoscitur esse inferiorum; cessentque de cætero jam factæ, & tam ipsæ, quam etiam fiendæ (si quæ fiant) nullæ sint ipso facto; exceptis illis gratiis & nominationibus super quibus processus sunt jam expediti; quos ex certis rationabilibus causis in octo mensibus quibus hactenus cursum habere consueverunt, tolerandas duximus, donec aliter fuerit ordinatum.

De Reservationibus particularibus sublatis.

§. V. Reservationes etiam particulares, quæcunque fuerint, beneficiorum vacaturorum, tam per Romanos pontifices, quam per legatos sedis apostolicæ de cætero sint nullæ ipso facto.

Reservationes legitimæ.

§. VI. Non tamen intendit prohibere hæc sancta synodus hoc præsenti decreto, quominus futuri Romani pontifices, tempore pontificatus sui, modo honesto & convenienti, de uno beneficio ad collationem in qua fuerint decem beneficia, de duobus ubi fuerint quinquaginta, & ultra, disponant; ita tamen, ut in ecclesia cathedrali, vel collegiata duas præbendas suo tempore non conferant; ut qualificationes graduatorum inferius designatæ, in ipsis præbendis, suum valeant sortiri effectum.

Præventio Papæ in Reservationibus.

§. VII. Neque etiam collationes per præventionem faciendas intendit impedire; decreto nostro de reservationibus, quoad cætera, & aliis decretis hujus sanctæ synodi in suo robore duraturis.

De Collationibus Graduatis & Litteratis faciendis.

§. VIII. Ut vero cæteri ad quos beneficiorum, dignitatum, personatuum, officiorum & administrationum collatio, seu quævis alia dispositio spectat, ad providendum litteratis viris & scientia perornatis specialius astringantur, voluit hæc sancta synodus certas qualificationes seu qualitates virorum litteratorum & graduatorum designari; quibus certo ordine debeat provideri, prout inferius annotatur; adjiciens, quod si per prælatos & doctores alicujus nationis in hoc concilio consistentes, pro bono suæ nationis aliter circa hujusmodi qualificationes disponendum videatur in futurum, quidquid per illas fuerit ordinatum, & in generali congregatione præsentis concilii conclusum, ex nunc, prout ex tunc, ratum & firmum habeatur, & vim decreti habeat, ac si præsenti decreto de verbo ad verbum expressum foret.

De Decreto irritante.

§. IX. Quod si quis cujuscunque status, etiamsi cardinalatus, patriarchalis, pontificalis, aut alterius cujuslibet dignitatis, contra prædictum ordinem & qualificationes, ut præmittitur, designatas, vel designandas, de ipsis beneficiis, dignitatibus, personatibus, officio & administrationibus quovis modo disposuerit, eo ipso sit irritum & inane; collatioque hujusmodi & provisio, seu quævis dispositio ad superiorem proximum devolvatur, qui similiter, ut præmittitur, habeat providere; quod si non fecerit, ad alium superiorem devolvatur gradatim, usque ad summum Pontificem ascendendo.

De tempore hujus Constitutionis observandæ.

Alias §. VII. Non volumus tamen ordinarios collatores & eos ad quos præsentatio, seu quævis alia dispositio beneficiorum spectat, in quatuor mensibus quibus præfatæ gratiæ expectativæ vel nominationes ad eorum collationem, præsentationem, seu dispositionem concessæ cessaverint, ad qualificationes infrascriptas observandas astringi.

CAPUT II.

§. X. *Sequuntur qualificationes & ordo in conferendis beneficiis per ordinarios, de quibus præfatum est.*

PRimo. Cum per generalis concilii statuta sancte ordinatum existat, quod quælibet ecclesia metropolitana teneatur aut debeat habere unum theologum qui sua doctrina & prædicationibus fructum salutis afferat; ordinat hæc sancta synodus, quod extendatur hujusmodi ordinatio ad ecclesias cathedrales. Taliter videlicet, quod quilibet collator ipsarum præbendarum teneatur & debeat conferre canonicatum & præbendam, quamprimum facultas se obtulerit, & invenire poterit, uni magistro licentiato, vel in theologia baccalario formato qui per decennium in universitate privilegiata studuerit, & onus residentiæ ac lecturæ & prædicationis subire voluerit, quique bis aut semel ad minus per singulas hebdomadas (cessante legitimo impedimento) legere habeat. Et quoties ipsum in hujusmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium Capituli in subtractione distributionum totius hebdomadæ puniri possit; &, si residentiam deseruerit, de alio provideatur. Verumtamen, ut vacare possit liberius studio, nihil perdat, cum absens fuerit a divinis.

De Graduatis & eorum Qualitate.

§. XI. Insuper, quod in qualibet ecclesia cathedrali vel collegiata, ultra præbendam prædictam, theologo, ut præmittitur, assignandam, tertia pars præbendarum conferatur graduatis alias idoneis, modo & forma infra scriptis, sic quod prima vacatura hujusmodi graduato, & deinde post alias duas, sequens eodem modo conferatur; & sic deinceps.

Qui

image
not
available

pellaniæ; & præbenda cathedralis, respectu solius cathedralis; & præbenda ecclesiæ collegiatæ, respectu cujusvis ecclesiæ collegiatæ ad collationem eamdem pertinentes; ita quod in hoc casu omnes ecclesiæ collegiatæ spectantes ad eamdem collationem, pro una collegiata ecclesia sint habendæ. Et idem ordo in regularibus & ecclesiasticis subventionibus perpetuis, quocunque nomine censeantur, observetur.

De Graduatis ab Universitatibus nominandis & eorum prælatione.

§. XXV. Item quod ad dictas duas partes, secundum ordinem prædictum, poterunt universitates cuilibet ecclesiastico patrono, seu ecclesiastico collatori nominare certum numerum suorum graduatorum, qui tunc ipsis universitatibus actu residebunt, & qui pro præsentibus, juxta morem universitatum & studiorum, censebuntur habendi per easdem.

§. XXVI. Ita tamen quod ipse ecclesiasticus collator, vel ecclesiasticus patronus non teneatur de necessitate sequi ordinem hujusmodi nominationis, dum tamen fiat præsentatio, vel collatio alicui de numero nominatorum; adjecto quod si omnibus de dicto numero fuerit, aliquo vel aliquibus, excepto vel exceptis, satisfactum, quod illi vel illis quibus de dicto numero adhuc satisfactum non fuerit, necessario satisfieri primitus oporteat, & eos præferri quibuscunque postea ab ipsis universitatibus nominandis.

De Gradu & numero Beneficiorum in litteris nominationum exprimendis.

§. XXVII. Item quod universitates teneantur describere gradus suorum nominandorum, ac numerum & qualitates beneficiorum quæ præsentationis tempore possidebunt sui nominandi. Ita tamen quod collatores non teneantur in eorum litteris, hujusmodi non-obstantias exprimere, sive describere.

De Turno.

§. XXVIII. Item quod omnia prædicta beneficia, per ordinarios scilicet conferenda, quocunque modo vacaverint, alias scilicet quam ex causa permutationis, vel simplicis resignationis, faciant turnum respectu præsentationis vel collationis illis de universitatis vel studiis faciendæ.

De ad Gradum Promotione.

§. XXIX. Item, ut de cætero floreat sapientia, & vigeant litterarum studia, nullus ad titulos gradnum & honorum assumatur, nisi idoneus & approbatus moribus & scientia, atque benemeritus, nec ita levis & nimium præcipitata promotio fiat. Nam (ut notum est & cunctis ridiculosum) multi magistrorum nomen obtinent quos adhuc discipulos magis esse deceret. Contra facientes aut venientes privilegiis regalibus eisdem universitatibus concessis ipso facto sint privati.

De Mandatis Apostolicis.

§. XXX. Item voluit dicta congregatio, quod decretum faciens mentionem, quod omnis futurus Romanus Pontifex posset providere suo tempore, vel facere provideri de uno beneficio, respectu collationis in qua fuerint quinquaginta, extendatur similiter ad dominum nostrum Papam modernum. Et quia in ipso decreto dicitur, quod possit quilibet Romanus Pontifex, modo tamen licito & honesto, &c. visum fuit ipsi congregationi hoc debere fieri per mandatum apostolicum, collatoribus vel patronis ecclesiasticis dirigendum, juxta formam *Capituli, Mandatum, de Rescriptis, in Antiquis, cum duobus Capitulis sequentibus*; & quod talia mandata fiant sub vera data, non vero sub data retroactiva; ita quod dictum mandatum non habeat executionem nisi post mensem a tempore suæ præsentationis ecclesiastico collatori, aut ejus vicario in sua absentia; ut eo magis malitiis & fraudibus hujusmodi obvietur.

De Collationibus Eugenio IV. Papa reservatis.

§. XXXI. Item insuper visum fuit præfatæ congregationi quod ultra dicti concilii Basiliensis edicta de electionibus & collationibus beneficiorum, sit ipsi domino nostro Papæ moderno circa aliquas provisiones & dispositiones de ecclesiasticis beneficiis aliquibus in regno & delphinatu & aliis dominiis regiis, & tantum tempore Papæ moderni, & per modum doni gratuiti, ac sine præjudicio deferendum; videlicet in casibus qui sequuntur. Et primo de omnibus ecclesiis, monasteriis, beneficiis, aut officiis sæcularibus vel regularibus quibuscunque, etiamsi cathedrales & metropolitanæ, aut provinciales existant, quæ illi qui per eum in antea promovendi de jure communi, & juxta formam prædictorum, tempore promotionis eorum obtinebunt, possit ipse pro suo tempore disponere, etiam ubicunque contigerit eosdem promotos consecrari & benedici. Item non solum de illis quæ dicti promovendi, tempore suæ promotionis, obtinebunt, ut præfertur, sed etiam de illis omnibus quæ ipse dominus noster Papa modernus volet & disponet per assecutionem prædictorum beneficiorum mediate vel immediate, in curia vel extra fore dimittenda; absque tamen quacumque exactione vacaturarum aut aliorum onerum, salva semper provisione quintæ partis sæpe dictæ in casibus circa provisionem pecuniarum annotatis.

§. XXXII. Item voluit dicta congregatio libertatem facere & censeri esse factam personaliter domino nostro Papæ moderno, & sine præjudicio libertatum & jurium Ecclesiæ Gallicanæ (ut præmissum est); ita quod hujusmodi concessio in personam successorum (prout in simili dictum est) transitum non habeat.

De Canonicis ad effectum a Papa creandis.

§. XXXIII. Item censuit ipsa congregatio prosequendum esse apud concilium, ne de cætero Romani Pontifices se intromittant de creandis Canonicis in cathedralibus aut collegiatis ecclesiis, in quibus est certus numerus canonicorum & præbendarum, cum appositione decreti irritantis, ut tanto magis vitetur occasio captandæ aut desiderandæ mortis alienæ, nisi in eo casu dumtaxat, in quo dignitas vel officium, de qua vel de quo ipse alicui censeret providendum juxta formam ante dictam, requireret forsan canonicatum in ecclesia a qua dependeret dignitas ante facta; ita tamen quod per hujusmodi creationem canonicæ, canonicus hujusmodi (si saltem præter consensum collatoris crearetur) non expectet præbendam de proximo vacaturam, in vim scilicet creationis hujusmodi, nisi alia ratione ei debeatur.

Item acceptat Decretum de Causis, quod incipit: Ecclesiasticæ.

TITULUS V.

De Causis.

CAPUT UNICUM.

Ecclesiasticæ sollicitudinis studium jugiter invigilare convenit, ut fraterna charitas in clero ac populo christiano vigeat, nec quisquam per vexationes & afflictiones indebitas proximum suum opprimere permittat; sicque justitia, ordine debito, cuilibet ministretur; ut & viris dolosis auferatur nocendi licentia, & quies & tranquillitas rectorum non facile perturbetur.

De Evocatione Causarum ad Romanam Curiam.

§. I. Inoleverunt autem hactenus intolerabilium vexationum abusus permulti, dum nimium frequenter a remotis etiam partibus ad Romanam curiam, & interdum pro parvis & minimis rebus ac negotiis, quamplurimi citari & evocari consueverunt; atque ita expensis & laboribus fatigari, ut nonnunquam commodius arbitrarentur juri suo cedere, aut vexationem suam gravi damno redimere, quam in longinqua regione litium subire dispendia; sic & facile extitit calumniosis opprimere pauperes, sic beneficia ecclesiastica plerunque minus juste per litium anfractus obtenta sunt, dum justis possessoribus eorum, seu quibus illa de jure competebant, neque opes neque facultates ad sumptus illos sufficere poterant quos longinqua profectio ad Romanam curiam, & litium agitatio in eadem deposcebant. Confunditur etiam exinde ecclesiasticus ordo, dum ordinariis judicibus sua jurisdictio minime servatur, pecuniæ & facultates regnorum ac provinciarum hoc pacto non parum imminutæ sunt; & (quod universo ecclesiastico ordini admodum nocere compertum est) ii quos ad summa negotia christianæ religionis sublimitas dignitatis evocabat, minus illis reddebantur intenti, dum ipsorum mentes nimium occupabat assidua causarum multitudo.

De

De Causis in partibus tractandis.

§. II. Quæ attendens hæc sancta synodus, & pro reformatione Ecclesiæ Dei in capite & in membris juxta potestatem a Domino sibi concessam invigilans, ut omnia deinceps ordine congruo peragantur ad salutem animarum, ac pacem & quietem cunctorum.

Statuit & decrevit, quod in partibus ultra quatuor dietas a Romana curia distantibus, omnes quæcunque causæ, exceptis majoribus in jure expresse enumeratis, & electionum ecclesiarum cathedralium & monasteriorum causis, quas causas immediata subjectio ad sedem apostolicam devolvit, apud illos judices in partibus, qui de jure aut de consuetudine præscripta, vel privilegio, cognitionem habent, terminentur & finiantur.

De Appellationibus.

§. III. Et ne sub umbra appellationum, quæ nimium leviter & nonnunquam frivole hactenus interponi visæ sunt, atque etiam in eadem instantia ad prorogationem litium sæpe multiplicari, materia fovendis justis vexationibus relinquatur;

§. IV. Statuit eadem hæc sancta synodus, quod si quis offensus, coram suo judice habere non possit justitiæ complementum, ad immediatum superiorem, per appellationem, recursum habeat.

§. V. Nec ad quemcunque, etiam ad Papam, omisso medio.

De Sententia interlocutoria.

Neque a gravamine in quacunque instantia ante diffinitivam sententiam quomodolibet appelletur; nisi forsitan tale gravamen extiterit, quod in diffinitiva reparari nequiret; quo casu, non alias quam ad immediatum superiorem liceat appellare.

De Appellatione ad Papam in Partibus tractanda.

§. VI. Si vero quisquam a sedis apostolicæ immediate subjecto ad ipsam sedem duxerit appellandum, causa per rescriptum usque ad finem litis inclusive committatur in partibus; nisi forte propter defectum justitiæ, aut justum metum, etiam in partibus convicinis, de quibus in commissione exprimendis, legitimo prius documento alias quam per juramentum, summarie constiterit, apud ipsam sedem foret merito retinenda.

Decretum irritans.

Et quidquid in contrarium hujus saluberrimi decreti attentatum, factum vel obtentum fuerit, sit nullum ipso facto; litigantesque qui contra fecerint, in expensis condemnentur.

Exceptio.

§. VII. Romanæ vero cardinales Ecclesiæ, vicecancellarium, camerarium, magnum pœnitentiarium, protonotarios & alios sedis apostolicæ officiales actu in curia suis officiis insistentes, hoc decreto non intendimus comprehendi.

De Causis Concilio reservatis.

§. VIII. Ne tamen dissolutionem vel translationem præsentis concilii, aut erectionem conventiculi apud Ferrariam, vel alibi, sub nomine generalis concilii, quod dominus Eugenius papa IV. efficere conatus est, vel conaretur in futurum, causas illas, & maxime incorporatorum aut incorporandorum in hoc sacro concilio, quas hæc sancta synodus remitteret, aut non reciperet, in curiam ipsius domini Eugenii, aut præfatum conventiculum Ferrariense, vel alibi, de facto trahi contingeret, in fomentum dissolutionis, translationis & erectionis prædictarum; voluit hæc sancta synodus causas quascunque pendentes & commissas, ait etiam quascunque causas incorporatorum aut incorporandorum, ac alias per appellationem devolutas aut devolvendas, nec non illas quæ observationem decretorum ipsius sanctæ synodi concernunt, apud eamdem synodum (ipsa durante, seu donec aliter fuerit ordinatum) tractari, salvis etiam evocationibus causarum pendentium in curia Romana, per quæcunque nostra decreta factis aut faciendis; decretis etiam aliis & ordinationibus ejusdem sanctæ synodi in suo robore remanentibus, cum modificationibus sequentibus.

Acceptatio & Modificatio hujus Decreti.

§. IX. Visum fuit dictæ congregationi, quod si Romanam curiam residere contingat citra montes, quod tunc in partibus ultra duas dietas a curia distantibus, omnes causæ ecclesiasticæ habeant tractari coram illis, scilicet, judicibus quibus de jure aut consuetudine, vel privilegio competit cognitio & diffinitio earum; exceptis causis quæ exprimuntur in decreto. Item quod monasteria & alia beneficia qualiacunque sæcularia & regularia, seu loca circa quorum exemptionem providit sacrum Constantiense concilium per quemdam canonem qui (ut dicitur) incipit: *Attendentes*, quod non sunt habenda respectu dicti decreti de Causis, nec alias quovis modo pro exemptis, sed verius pro non exemptis; & pro talibus per generale concilium ex cautela superabundanti declaranda; & quod hoc prosequantur oratores regii apud ipsum concilium.

§. X. Item placet æquitas dicti decreti, quod ad neminem, etiam ad Papam, possit, omisso medio, de cætero appellari; & quod, si quis offensus non possit coram suo judice habere justitiæ complementum, quod tunc possit per appellationem ad immediatum superiorem dicti sui judicis habere recursum; ita quod si Papa sit immediatus superior dicti judicis, causa committatur in partibus, non suspecto vel suspectis.

§. XI. Item placet decretum, in hoc scilicet quod in nulla instantia possit quomodolibet appellari ante diffinitivam sententiam, si gravamen tale existat, quod in diffinitiva possit reparari; secus, si tunc non potest reparari; nam tunc licitum est etiam ante diffinitivam sententiam appellare, non tamen ad alium quam immediatum superiorem, ut præfertur; ita etiam, quod si ille immediatus superior sit ipse Papa, quod causa ipsa committatur non suspecto vel non suspectis, vel in partibus, ut in simili dictum est.

§. XII. Item placet decretum in versiculo: *Si vero quispiam*, usque ad versiculum: *Romanæ vero*; salvo quod pro justificatione & moderatione dicti versiculi, videtur instandum fore ipsos regios oratores apud ipsum concilium ad determinationem numeri, & qualitatum officiariorum apostolicorum & curiæ.

§. XIII. Item circa versiculum; *Voluit hæc sancta synodus*, &c. in decreto prædicto de Causis, visum est, quod prædictus versiculus seu articulus est pro nunc, respectu causarum jam actu basilææ pendentium, adhuc tolerandus, propter bonam spem eo magis inclinandi concilium Basiliense prædictum ad unionem & concordiam cum domino nostro Papa; ita tamen, quod ambasiatores regii qui sunt illic destinati, habeant demonstrare ipsi sacro concilio, quod vacare & intendere tot causis & talibus repugnat officio conciliorum generalium; & quod hoc posset dare causam seu occasionem perpetuandi generalia concilia, & absorbendi auctoritatem Sedis apostolicæ & aliorum prælatorum, & finaliter excitandi reges & principes adversus generalia concilia in grande præjudicium fidei, & Ecclesiæ sanctæ Dei; cum intimatione illis de prædicto concilio facienda, quod si ipsi circa hoc differant providere, rex & ecclesia regni sui & delphinatus, tum ob necessitatem suo regno his diebus plurimum ingruentem, tum ut æqualitas respectu ipsorum, sicut respectu Papæ observetur, prout per decreta eorum adversus Papam statuitur; quod in eventum moræ amplioris, sicut respectu unius partis jam per eos provisum est, ita respectu alterius, inspirante Domino, sicut justum est, providebit; quoniam scriptum est: patere legem quam ipse tuleris; & alibi: quod quisque juris in alterum statuerit, ipse eodem jure utatur.

§. XIV. Item fuit conclusum per eamdem congregationem, ut omnes & singulæ causæ quæ de sui natura secundum sacros canones non sunt tractandæ apud Sedem apostolicam vel curiam Romanam, aut etiam apud generalia concilia, si in eis nondum est lis contestata, vel quasi contestata, puta porrecto jam libello, & cognito de meritis causæ, seu jam incepto cognosci de eisdem, tractentur & agitentur deinceps coram suis judicibus in partibus quibus, respectu earum, competit jurisdictio; quod si contingat in causis eisdem deinceps ad dicta fora appellari, quod causæ appellationum committantur in partibus, juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit: *Statutum*; & obtineantur litteræ a rege inhibitoriæ ad curiam Parlamenti, & ad alios justitiarios & officiarios regni, & delphinatus.

Item acceptat Decretum contra frivole Appellantes.

TITULUS VI.

De frivolis Appellationibus.

CAPUT UNICUM.

§. I. UT lites citius terminentur, super eodem gravamine, aut super eadem interlocutoria, vim diffinitivæ non habente nullatenus liceat secundo appellare; quodque ante diffinitivam frivole, aut injuste appellans, ultra condemnationem expensarum, damnorum & intereffe, in quindecim florenis aureis de camera parti appellatæ per appellationis judicem condemnetur.

Item acceptat Decretum de pacificis Possessoribus.

TITULUS VII.

De pacificis possessoribus.

CAPUT UNICUM.

QUicumque non violentus, sed habens coloratum titulum, pacifice & sine lite prælaturam, dignitatem, officium, vel beneficium triennio proximo hactenus possedit, vel in futurum possidebit, non possit postea in petitorio vel possessorio a quoquam, etiam ratione juris noviter impetrati, molestari; excepto hostilitatis casu, vel alterius legitimi impedimenti, de quo protestari, & illud, juxta concilium Viannense, intimare teneatur.

§. I. Lis autem hoc casu quoad futuras controversias intelligatur, si ad executionem citationis, jurisque sui in officio exhibitionem, ac terminorum omnium observationem processum fuerit.

§. II. Ordinarii autem inquirant diligenter, ne quis sine justo titulo beneficium possideat.

§. III. Quod si talem quandocunque repererint, declarent jus illi non competere, & huic, si sibi videatur (nisi sit intrusus, vel violentus, aut alias indignus.) vel alteri idoneo provideant. Datum in sessione publica, in ecclesia majori Basiliensi, solemniter celebrata, die jovis nona mensis Julii., anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo quinto.

Item acceptat Decretum de Numero & Qualitate Cardinalium.

TITULUS VIII.

De Numero & Qualitate Cardinalium.

CAPUT UNICUM.

CUM summo pontifici sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales in dirigenda christiana republica collaterales assistant, necesse est, ut tales instituantur, qui sicut nomine, ita reipsa cardinales sint super quos ostia universalis Ecclesiæ versentur & sustententur.

§. I. Statuit hæc sancta synodus, ut deinceps eorum numerus adeo sit moderatus, ut nec gravis Ecclesiæ, nec superflua numerositate vilescat; qui de omnibus christianitatis regionibus, quantum fieri commode poterit, assumantur, ut notitia rerum in Ecclesia emergentium facilius haberi, & super his maturius deliberari possit, sic tamen, quod numerum viginti quatuor inter eos qui nunc sunt, & assumendos non excedant; ita quod de una natione ultra tertiam partem respectu cardinalium pro tempore existentium, ac de una civitate & diœcesi ultra unum inde oriundum, & de ea natione quæ nunc ultra tertiam partem habet, usque ad ipsius tertiæ partis reductionem esse nequeant.

§. II. Sint viri, scientia moribusque & rerum experientia excellentes, non minores triginta annis, magistri, doctores, seu licentiati cum rigore examinis in jure divino vel humano; sit saltem tertia, vel quarta pars de magistris aut licentiatis in sacra Scriptura.

§. III. Inter eos autem viginti quatuor, esse aliqui poterunt, valde admodum pauci, filii, fratres, aut nepotes regum seu magnorum principum, in quibus cum circumspectione & maturitate morum competens litteratura sufficiat.

§. IV. Non fiant cardinales nepotes ex fratre vel sorore Romani pontificis, aut alicujus cardinalis viventis, non illegitime nati, non corpore vitiati, nec alicujus criminis aut infamiæ nota respersi. Prædicto autem numero viginti quatuor pro magna Ecclesiæ necessitate, vel utilitate dummodo alii in quibus vitæ sanctitas, vel eximiæ virtutes refulgeant, quamquam memoratos gradus non habeant, ac de Græcis, cum Romanæ Ecclesiæ uniti fuerint, insignes aliqui viri adjici poterunt.

§. V. Non fiat cardinalium electio solum per auricularia vota; sed illi solum assumi poterunt in quos, facto vero scrutinio ac publicato, majorem partem cardinalium per subscriptionem manus propriæ constiterit collegialiter consensisse; desuper etiam apostolicæ litteræ cum subscriptione cardinalium conficiantur; decreto hujus sacri concilii (in quarta sessione solemniter publicato quod incipit; *Item cum multiplicatis cardinalium*) in suo robore inviolabiliter permansuro.

§. VI. Salvo quod videtur nimis rigorosum contra nepotes Romanorum pontificum, si alias sint bene meriti, prout & alii.

Circa Decretum quod incipit: De Annatis.

TITULUS IX.

CAPUT UNICUM.

STatuit hæc synodus, quod tam in Ecclesia Romana, quam alibi pro, seu, in confirmatione electionum, admissione postulationum, præsentationum, provisione, collatione, postulatione, præsentatione, etiam a laicis facienda, institutione & investitura de ecclesiis, etiam cathedralibus & metropolitanis, monasteriis, dignitatibus, officiisque ecclesiasticis quibuscunque, nec non ordinibus sacris & benedictione ac pallio, de cætero nihil penitus ante vel post exigatur ratione litterarum vel bullæ, sigilli, annatarum communium & minutorum servitiorum, primorum fructuum deportuum, aut sub quocunque alio titulo, colore vel nomine, prætextu cujusvis consuetudinis, privilegii, vel statuti, aut alia quavis causa vel occasione, directe vel indirecte; solum scriptoribus abbreviatoribusque & registratoribus litterarum seu minutarum, pro illorum labore, competenti salario, solvendo.

Huic autem sacro canoni si quis promittendo, exigendo vel dando contravenire præsumpserit, pœnam incurrat, ut adversus simoniacos inflictam, & in ipsis dignitatibus ac beneficiis taliter obtentis nullum jus ac titulum acquirat.

Obligationes quoque, promissiones, censuræ ac mandata, & quidquid in præjudicium decreti hujus saluberrimi fieri contigerit, nullas obtinere vires atque irrita censeantur.

§. I. Et si (quod absit) Romanus pontifex qui præ cæteris universalium conciliorum exequi & custodire debet canones, adversus hanc sanctionem aliquid faciendo Ecclesiam scandalizet, generali concilio deferatur; cæteri vero, pro modo culpæ, juxta canonicas sanctiones, per suos superiores digna ultione puniantur.

§. II. Voluit tamen hæc congregatio pro instanti necessitate moderni Papæ & sacri Collegii dominorum Cardinalium notorie ingruente, & etiam juxta pollicitationem sacri Basiliensis concilii in suo decreto de electionibus, in fine videlicet: quod præfatus summus pontifex modernus habeat, ejus vita durante dumtaxat, pro se & dominis cardinalibus, & cæteris officiariis curiæ Romanæ, ex fructibus quarumcumque ecclesiarum, monasteriorum, quorumcunque beneficiorum, ad decem libras vel amplius taxatorum, vacaturorum deinceps, alias quam ex causa permutationis & simplicis resignationis, quintam illius taxæ, videlicet quæ olim per regem & ecclesias suorum regni & delphinatus tolerabatur, pro tunc quo fuit concilium Constantiense inchoatum; ita quod dicta quinta pars taxæ prædictæ non referatur ad illam taxam ad quam fuit facta ultima reductio per dictum Constantiense concilium, sed referatur ad illam, in hoc casu, ex qua immediate fuit ab eodem Constantiensi concilio facta ipsa reductio; proviso tamen, quod fructus & proventus sic taxati ad minus tantum valeant pro tempore, quantum ipsa taxa.

Item respectu aliorum beneficiorum de quibus forsan aliter taxatio non invenitur, quod secundum taxationem decimæ solvetur, in hoc casu, quinta pars illius taxæ, summæ scilicet totalis quæ ex ipsa decima decies repetita resultaret, hoc est, quod in hoc casu solvantur duæ decimæ: prima, primo anno, & secunda, secundo anno; dum tamen illa totalis summa quæ ex illis decimis resultat, ad minus ad decem libras ascendat.

Item quod hujusmodi subventio conceditur per modum

dum folius doni gratuiti, & non aliis, & fine præjudicio libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, & dumtaxat hujus moderni Papæ vita durante.

§. III. Item quod dicta quinta pars locum suum obtinebit per quemcumque, ubicumque, in curia vel extra; & quacunque auctoritate ecclesiastica, de ipsis ecclesiis, monasteriis, vel beneficiis, quomodolibet, præterquam ex causa permutationis aut resignationis puræ & simplicis, ut præfertur, disponatur, exceptis beneficiis quorum, jure patronatus, præsentatio, collatio, institutio vel provisio ad regem jure regaliæ, vel alias, aut alium quemcunque vel alios jure laico spectat & pertinet, de quibus nihil prorsus solvetur.

§. IV. Item fuit deliberatum, quod quinta pars solvatur in partibus & in moneta usuali auri vel argenti, ad æstimationem scilicet marchæ auri secundum valorem septuaginta aureorum, & collectori vel subcollectori, & intra diœcesim, intra cujus limina erit ipsa ecclesia vel beneficium; ita quod una medietas dictæ quintæ partis solvatur eidem infra annum a tempore possessionis pacificæ, & alia medietas infra annum proxime subsequentem.

§. V. Item quod ratione dictæ quintæ partis vel medietatis aut alterius portionis ejusdem, non possint illi qui ad eam tenebuntur, trahi extra diœcesim, infra cujus metas est, vel erit ipsa ecclesia, monasterium aut beneficium; sed habebit collector aut subcollector ante dictus recursum ad ordinarios judices contra non exemptos, & similiter contra eos qui pro non exemptis sunt censendi; juxta quamdam Constitutionem concilii Constantiensis quæ incipit: *Attendentes*. Contra vero exemptos qui superiores in diœcesi in qua sunt ecclesia, monasterium, beneficium vel officium, aut aliud ministerium ecclesiasticum, quocunque nomine censeatur, noscuntur habere, recurratur ad superiores eorumdem; quod si superiores in diœcesi non habeant, vel, si habeant, tamen negligentes fuerint, aut remissi, ad diœcesanos locorum recurratur, qui tamen apostolica vel synodali auctoritate (remota appellatione quacunque) habebunt facere indilatam justitiam de prædictis.

§. VI. Item quod si ecclesia, monasterium, vel beneficium sic taxatum, ut præfertur, contingat anno eodem bis vel pluries vacare, quod una quinta pars semel tantum solvatur, videlicet, quod si post fructus collectos, seu perceptos, aut acquisitos contingeret vacatio, ad solutionem primæ medietatis quintæ partis prædictæ bona ultimi possessoris teneantur; & ejus successor in ecclesia vel beneficio ad aliam medietatem taxæ prædictæ infra primum annum pacificæ suæ possessionis teneatur. Si vero ante collectionem, perceptionem vel acquisitionem contigerit vacatio, successor in dicto beneficio teneatur ad integram solutionem dictæ quintæ partis.

§. VII. Item quod ex nunc & de cætero penitus cessent & cessabunt in Romana curia omnes exactiones tam ratione vacantiarum, quam ratione pallii sacri, vel minorum servitiorum, & aliæ quæcunque exactiones, quovis nomine censeantur; excepto tamen moderato, & competenti salario Scriptorum curiæ Romanæ, prout in ipso decreto sacri Basiliensis concilii expressius continetur; & hoc sub pœna perdendi ipso facto gratiam de provisione ante dicta respectu curiæ; & sub pœna perditionis beneficii respectu provisi contrafacientis; & hoc per suum immediatum superiorem qui in talibus casibus habeat potestatem.

Advisamentum Ecclesiæ Gallicanæ.

Item visum fuit prædictæ congregationi, quod in præmissis decretis & ipsorum quolibet apponatur per sacrum concilium decretum irritans & gravium pœnarum adjectio, cum clausulis opportunis contra quoscunque, cujuscunque auctoritatis fuerint, in contrarium attentantes, seu facientes.

Item acceptat Decretum quod incipit: Si quis Principem.

TITULUS X.

Quomodo divinum Officium sit celebrandum.

CAPUT UNICUM.

SI quis principem sæculi rogaturus, habitu honesto, gestu decenti, prolatione non præcipiti, sed distincta, attenta quoque mente se ipsum ac verba studeat componere; quanto diligentius in hoc sacro loco omnipotentem oraturus Deum hæc omnia facere curabit?

§. I. Statuit igitur hæc sancta synodus conciliare decretum irritans & gravius, ut in cunctis cathedralibus ac collegiatis ecclesiis, horis debitis, signis congrua pulsatione præmissis, laudes divinæ per singulas horas non cursim ac festinanter, sed tractim & cum pausa decenti, præsertim in medio cujuslibet versiculi psalmorum, debitam faciendo inter solemne & feriale officium differentiam, reverenter ab omnibus persolvantur; horas canonicas dicturi, cum tunica talari ac superpelliceis mundis ultra medias tibias longis, vel cappis, juxta temporum & regionum diversitatem, ecclesias ingrediantur, non caputia, sed amultias, vel birreta tenentes in capite; qui cum in choro fuerint, gravitatem servent quam & locus & officium exigunt, non in simul, aut cum aliis confabulantes, seu colloquentes, aut litteras, seu scripturas alias legentes; &, cum psallendi gratia ibidem conveniant, muta aut clausa labia tenere non debent, sed omnes, præsertim qui majori funguntur honore, in psalmis, hymnis & canticis Deo alacriter modulentur. Cum dicitur, *Gloria Patri & Filio*, &c. omnes consurgant. Cum nominatur illud nomen *Jesus* in quo omne genu flectitur cælestium, terrestrium & infernorum, omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum horæ in communi cantantur, legat, vel dicat privatum officium; nam non solum obsequium cui obnoxius est, choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat.

§. II. Super his debite observandis, aliisque ad divini officii prosecutionem ac chori disciplinam spectantibus, decanus, vel cui onus incumbit, diligenter invigilet, hinc inde, ne quid inordinate fiat, circumspiciens. Horum autem transgressores, illius horæ in qua circa prædicta excesserint, vel alia majori, prout transgressionis gravitas exegerit, plectantur pœna.

Salvis tamen laudabilibus consuetudinibus, statutis ac observantiis specialibus ecclesiarum singularum regni & delphinatus.

Item acceptat Decretum quod incipit: Qui in Matutinis.

TITULUS XI.

Quo Tempore quisque debeat esse in Choro.

CAPUT UNICUM.

QUi in matutinis ante finem psalmi, *Venite, exultemus*, in aliis horis ante finem primi psalmi, in missa ante ultimum *Kyrie, eleison*, usque ad finem divino officio non interfuerint, nisi forte necessitate cogente, ac petita & obtenta a præsidente chori licentia, discedere oporteat, pro illa hora absens censeatur, salvis ecclesiarum consuetudinibus, si quæ circa hæc arctiores existant.

§. I. Idem in his observetur qui a principio usque ad finem in processionibus non permanserint; pro cujus executione deputetur aliquis, onus habens notandi personas singulas statuto tempore non convenientes, juramento astrictus agere fideliter & nulli parcere.

§. II. Jubet etiam hæc sancta synodus, quod illis ecclesiis in quibus, singulis horis certæ distributiones statutæ non sunt, omnino etiam de grossis fructibus, si opus sit, deputentur, ut juxta mensuram laborum, plus minusve quisque capiat emolumenti.

§. III. Tollentes prorsus abusum illum quo in una dumtaxat hora præsens, totius diei distributiones usurpat, & illum quo præpositi vel decani aut alii officiales, ex hoc solum quod officiales sunt, licet actualiter pro utilitate ecclesiæ non absint, quotidianas distributiones percipiunt.

Item acceptat Decretum quod incipit: Quoscunque etiam.

TITULUS XII.

Qualiter horæ Canonicæ sint dicendæ extra Chorum.

CAPUT UNICUM.

QUoscunque etiam alibi beneficiatos, seu in sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet hæc sancta synodus, ut, si orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, non in gutture, vel inter dentes, seu deglutiendo, aut syncopando dictiones, vel colloquia vel risus intermiscendo; sed sive soli, sive associati, diurnum nocturnumque officium reverenter, verbisque distinctis peragant, ac tali in loco, unde a devotione non retrahantur; ad quod se disponere & præparare debent, juxta illud quod scriptum est:

image
not
available

periores, tam in ipsos de neglectu, quam in illos pro concubinatu, modis omnibus, digna punitione animadvertant.

§. V. In conciliis etiam provincialibus & synodalibus adversus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem beneficiorum, vel alia condigna pœna severiter procedatur.

Et si hi quorum destitutio ad summum Pontificem spectat, per concilia provincialia, aut suos superiores propter concubinatum publicum reperiantur privatione digni, statim cum processu inquisitionis ipsi summo Pontifici deferantur. Eadem diligentia & inquisitio in quibuscunque generalibus capitulis & provincialibus quoad suos serventur.

§. VI. Pœnis aliis, contra prædictos & alios non publicos concubinarios statutis in suo robore permansuris.

§. VII. Publici autem intelligendi sunt non solum hi quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in jure factam, seu per rei evidentiam quæ nulla possit tergiversatione celari, notorius est; sed qui mulierem de incontinentia suspectam & diffamatam tenet, & per suum superiorem admonitus, ipsam cum effectu non dimittit.

§. VIII. Quia vero in quibusdam regionibus nonnulli jurisdictionem ecclesiasticam habentes, pecuniarios quæstus a concubinariis percipere non erubescunt, patiendo eos in tali fœditate sordescere; sub pœna maledictionis æternæ, præcipit, ne deinceps sub pacto, compositione aut spe alicujus quæstus talia quovis modo tolerent aut dissimulent; alioquin, ultra præmissam negligentiæ pœnam, duplum ejus quod propterea acceperint, restituere & ad pios usus convertere teneantur & compellantur.

§. IX. Ipsas autem concubinas, aut mulieres suspectas Prælati omnibus modis curent a suis subditis, etiam per brachii sæcularis invocationem (si opus fuerit) penitius arcere; qui etiam ex tali concubinatu procreatos filios apud patres suos cohabitare non permittant.

§. X. Jubet insuper hæc sancta synodus, ut etiam in prædictis synodis & capitulis hæc Constitutio publicetur, ut quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moveat diligenter. Injungit præterea omnibus sæcularibus viris (etiamsi regali præfulgeant dignitate), ne ullum qualecunque inferant impedimentum, quocunque quæsito colore, Prælatis qui ratione officii sui adversus subditos suos pro hujusmodi concubinatu procedunt.

§. XI. Et cum omne fornicationis crimen lege divina prohibitum sit, & sub pœna peccati mortalis necessario vitandum; monet omnes laicos tam uxoratos, quam solutos, ut similiter a concubinatu abstineant; nimis enim reprehensibilis est qui uxorem habet & ad aliam mulierem accedit; qui vero solutus est, si continere nolit, juxta Apostoli consilium uxorem ducat. Pro hujusmodi autem observantia præcepti, hi ad quos pertinet, tam salutaribus monitis, quam aliis canonicis remediis omni studio laborent.

Item acceptat Decretum quod incipit: Ad vitandum, &c.

TITULUS XX.

De Excommunicatis non vitandis.

CAPUT UNICUM.

AD vitandum scandala & multa pericula, *subveniendumque* conscientiis timoratis;

§. I. Statuit, quod nemo deinceps a communicatione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, vel aliis quibuscunque sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ seu suspensionis, aut prohibitionis, ab homine vel a jure generaliter promulgatæ, abstinere teneatur, vel aliquem vitare, vel interdictum ecclesiasticum observare; nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in, vel, contra personam, collegium, vel universitatem, ecclesiam, aut locum certum aut certam a Judice publicata & denuntiata specialiter expresse; aut nisi aliquem ita notorie in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari. Nam a communicatione illius abstineri vult juxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos seu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

Item acceptat Decretum quod incipit: Quoniam.

TITULUS XXI.

De Interdictis indifferenter non ponendis.

CAPUT UNICUM.

QUoniam ex indiscreta interdictorum promulgatione multa consueverunt scandala evenire;

Statuit hæc sancta synodus, quod nulla civitas, oppidum, castrum, villa, aut locus ecclesiastico supponi possit interdicto, nisi ex causa, seu culpa ipsorum locorum, aut domini seu rectoris vel officialium; propter culpam autem seu causam alterius cujuscunque privatæ personæ, hujusmodi loca interdici nequaquam possint auctoritate quacunque ordinaria vel delegata, nisi talis persona prius fuerit excommunicata ac denuntiata, seu in ecclesia publicata; ac domini seu rectores vel officiales ipsorum locorum, auctoritate judicis requisiti, hujusmodi personam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non rejecerint, aut ad satisfaciendum compulerint, qua etiam post biduum ejecta, recedente vel satisfaciente, mox divina resumi possint. Quod etiam in pendentibus locum habebit.

Item acceptat Decretum quod incipit: Licet in Apostolicis.

TITULUS XXII.

De Sublatione Clementinæ, Litteris, *quæ est in Tit. de Probat.*

CAPUT UNICUM.

LIcet in apostolicis vel aliis litteris quibuscunque aliquem dignitati, beneficio, aut juri cuicunque renuntiasse, aut privatum esse, seu aliquid aliud egisse per quod jus proprium auferatur, narratum sit; hujusmodi litteræ in his non præjudicent, etiamsi super ipsis gratia vel intentio narrantis fundetur, nisi per testes, aut alia legitima constiterit documenta. Datum in sessione publica hujus sanctæ synodi, in ecclesia majori Basiliensi, solemniter celebrata nono calendas Aprilis, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo sexto.

TITULUS XXIII.

De Conclusione Ecclesiæ Gallicanæ.

CAPUT UNICUM.

DEmum conclusit prælibata congregatio, ut decreta ipsa de quibus visum est, quod debeant simpliciter acceptari, ex nunc simpliciter acceptentur, & executionem sortiantur, atque ex nunc effectui realiter mancipentur; & similiter illa decreta circa quæ fuerunt factæ prænotatæ modificationes, de quibus superius dictum est, ex nunc, cum ipsis scilicet modificationibus, acceptentur, prout etiam acceptantur, sub spe scilicet, quod ipsæ modificationes per sacrum concilium admittentur. Pro quo regii oratores instabunt vice regia ecclesiæ regni & delphinatus.

§. I. Et postremo visum fuit prædictæ congregationi instandum fore omnino apud regem, ut ipse ex nunc decreta eadem juxta modos prænotatos acceptet & approbet, mandando districte ex nunc curiæ Parlamenti & aliis justitiariis regni & delphinatus, ac aliorum dominorum regni, quatenus de puncto in punctum præmissa inviolabiliter & in perpetuum observent & observari faciant; transgressores & contra facientes taliter puniendo, quod cæteris in posterum cedat in exemplum; & super hoc conficere pragmaticam sanctionem.

§. II. Ea propter nobis humiliter supplicaverunt memorati archiepiscopi; episcopi, capitula notabilia, decani, abbates, cæterique prælati & viri ecclesiastici, atque scientifici universitatum studiorum generalium regni, ecclesiam prædictam regni & delphinatus nostrorum prædictorum repræsentantes, quatenus eorum deliberationibus & conclusionibus, sic secundum Deum, justitiam & sinceritatem conscientiarum suarum acceptis, tam respectu præfatorum decretorum & canonum ipsius sacrosanctæ generalis synodi Basiliensis, quam alias in his quæ pro utilitate rei publicæ regni & delphinatus nostrorum fuerunt inter eosdem deliberata & conclusa, regium nostrum consensum præbere, eaque protegere efficaciter & exequi, ac inviola-

violabiliter per omnes ſubditos noſtros obſervari facere & mandare dignaremur.

Nos igitur attendentes, quod ſicut ſacerdotes debitores ſunt, ut veritatem quam audierunt a Chriſto, libere prædicent, ſic princeps debitor eſt, ut veritatem quam audivit a Sacerdotibus approbatam quidem ſcripturis, defendat fiducialiter, & efficaciter exequatur, præmiſſis & aliis juſtis & rationabilibus cauſis præmoniti, habita etiam ſuper his deliberatione digeſtiſſima cum prædictis principibus noſtræ regalis proſapiæ ac aliis magnatibus, proceribus, multiſque viris prudentibus & ſcientificis eccleſiaſticis & ſæcularibus regni & delphinatus noſtrorum nobis in conſilio noſtro magno aſſiſtentibus, eorumdem prælatorum & aliorum eccleſiaſticorum, eccleſiam regni & delphinatus noſtrorum repræſentantium ſupplicationem & requeſtam juſtam & rationabilem, & ſanctorum patrum decretis conformem, omnique æquitate ſubnixam agnoſcentes, prædictas ipſorum archiepiſcoporum, cæterorumque prælatorum & virorum eccleſiaſticorum noſtrorum regni & delphinatus deliberationes & concluſiones gratas & acceptas habuimus & habemus, eiſdemque conſenſum noſtrum regium præbuimus & præbemus per præſentes; volentes & ordinantes omnes & ſingulas deliberationes & concluſiones prædeclaratas in noſtris regno & delphinatu, cæteriſque dominiis perpetuo teneri, atque inviolabiliter obſervari, ſuumque plenum & integrum a die datæ præſentium penitus ſortiri effectum, abſque alia publicatione ſeu promulgatione, & nihilominus publicari, & inter regias & delphinales ordinationes regiſtrari mandamus.

§. ultim. Quocirca dilectis & fidelibus conſiliariis noſtris præſens tenentibus, & qui in futurum noſtra tenebunt Parlamenta, omnibuſque juſtitiariis regni & delphinatus noſtrorum, cæteriſque officiariis & ſubditis noſtris, & eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, mandamus, diſtrictius injungentes, quatenus omnia præmiſſa & ſingula teneant, cuſtodiant & conſervent in ſua roboris plenaria firmitate, & in cauſis quibuſcunque, occaſione præmiſſorum de cætero orituris & emerſuris, ſecundum deliberationes & concluſiones prædeſcriptas judicent, pronuntient & ſententient, atque ab omnibus ſubditis & incolis noſtrorum regni & delphinatus inviolabiliter faciant in omnibus & per omnia obſervari, prædictas perſonas eccleſiaſticas & ſæculares, ac earum quamlibet, in omnibus & ſingulis ſuperius expreſſis, ab omni turbatione, violentia, impreſſione, moleſtatione, damno, impedimento & diſturbio tueantur, protegant pariter & defendant: omneſque & quaſcunque perſonas, cujuſvis conditionis ac ſtatus fuerint, contra facientes aut venientes taliter puniendo, quod in poſterum cæteris cedat in exemplum; quoniam ſic fieri volumus & jubemus per præſentes; in cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum. Datum Bituris ſeptima die menſis Julii, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo, & regni noſtri decimo ſexto. Sic ſignatum in plica in ſuperiori parte, per regem in ſuo magno conſilio in quo dominus delphinus Viennenſis, dominus dux Borbonii, Carolus de Andegavia comes Cenomaniæ, Petrus filius ducis Britanniæ, necnon comites de Marchia & Vindocinio & de Trancavilla, prælati proceresque, ac alii viri eccleſiaſtici & ſæculares quamplurimi erant. N. DE FIRBOIS. In ſuperiori parte plicæ prædictæ erat ſic ſcriptum: Collatio facta cum originali litterarum præinſertarum atqua incorporatarum. N. DE FIRBOIS. Et in dorſo extitit deſcripta publicatio in dicta curia Parlamenti facta ſub hac forma: Lecta ac publicata Pariſiis in Parlamento, die decima tertia Julii, milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono. Sic ſignatum, GENETHEAU.

Finis Pragmaticæ Sanctionis.

ABROGATIO
PRAGMATICÆ SANCTIONIS,

Edita a Leone Papa X., menſe Januario an. 1516.

LEO Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante concilio. Paſtor æternus gregem ſuum uſque ad conſummationem ſæculi nunquam deſerturus, ita, Apoſtolo teſte, obedientiam dilexit; ut pro expiando primi parentis inobedientiæ peccato ſe ipſum humiliaverit factus obediens uſque ad mortem; migraturus vero ex hoc mundo ad Patrem, in ſoliditate petræ Petrum ejuſque ſucceſſores vicarios ſuos inſtituit, quibus, ex Libri Regum teſtimonio, ita obedire neceſſe eſt, ut *qui non obedierit, morte moriatur*. Et alibi legitur: *In Eccleſia eſſe non poteſt qui Romani Pontificis cathedram deſerit*; quoniam, Auguſtino Gregorioque auctoribus, *ſola obedientia eſt mater cuſtoſque omnium virtutum, ſola fidei meritum poſſidens, ſine qua infidelis quiſque convincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur*. Itaque nos, eodem Petro docente, ſolliciti eſſe debemus, ut quæ a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, præſertim in ſacris conciliis, pro obedientiæ hujuſmodi, auctoritatis libertatiſque eccleſiaſticæ & ſedis apoſtolicæ defenſione, mature & ex legitimis cauſis inchoata ſunt, noſtris ſtudio, cura & diligentia abſolvantur, & ad optatum finem perducantur, ſimpliciumque quoque animæ quarum etiam rationem Deo reddituri ſumus, a dolis & laqueis tenebrarum principis liberentur. Sane felicis recordationis Julius Papa II., prædeceſſor noſter, poſt indictum ex legitimis tunc expreſſis cauſis, de venerabilium fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalium de quorum numero tunc eramus, conſilio & aſſenſu ſacrum Lateranenſe concilium, provide conſiderans cum eodem ſacro Lateranenſi concilio Bituricenſem regni Franciæ corruptelam (quam illi Pragmaticam Sanctionem vocant) cum maximo animarum periculo & ſcandalo, ac dignitatis ſedis apoſtolicæ detrimento & vilipendio, retroactis temporibus viguiſſe & adhuc vigere, ejuſdem Pragmaticæ Sanctionis negotium, eodem approbante concilio, diſcutiendum, certis tunc nominatim deputatis cardinalibus & prælatis certæ congregationis commiſit. Et quamquam Sanctio præfata ex multis nullitati notoriæ ſubjaceret, ſchiſmaque manifeſtum foveret & contineret, & propterea, citatione aliqua minime præcedente, per ſe irrita, nulla & invalida declarari potuiſſet, ex abundanti tamen cautela idem Julius prædeceſſor Gallicos prælatos, capitula eccleſiarum & monaſteriorum, parlamenta & laicos illis faventes, & dicta Sanctione utentes, omneſque & ſingulos alios in præmiſſis ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes, per edictum, cum ad partes illas tutus tunc non pateret acceſſus, in Mediolanenſis, Aſtenſis & Papienſis eccleſiarum valvis affigendum monuit, quare Sanctio præfata, illiuſque corruptela & abuſio in concernentibus auctoritatem Romanæ Eccleſiæ, ſacrorum canonum, & eccleſiaſticæ libertatis violationem nulla & invalida declarari deberet. Cumque, dicto Julio prædeceſſore in humanis agente, diverſis impedimentis cauſantibus, citatio exequi & reproduci, ac negotium abrogationis hujuſmodi plene diſcuti (ut intentio ipſius Julii prædeceſſoris fuerat) non potuiſſet, ſed, eodem Julio prædeceſſore rebus humanis exempto, citatio ipſa legitime executa, & per procuratorem fiſcalem, ſacri concilii promotorem reproducta, & ad ulteriora procedi petitum fuiſſet; nos, divina favente clementia, ad ſummi apoſtolatus apicem aſſumpti, omnibus rite penſatis, petitioni prædictæ ex certis cauſis nullum tunc reſponſum dedimus; ac deinde cum per diverſos monitos & citatos diverſa monita allegarentur, quare in termino eis (ut præfertur) præfixo comparere non potuiſſent, ut omnis juſtæ excuſationis & querelæ occaſio eis auferretur, terminum citationis & monitionis hujuſmodi præfixum, eodem ſacro approbante concilio, ad alium tunc expreſſum terminum jamdiu effluxum in diverſis ſeſſionibus pluries prorogavimus. Cum autem moniti ac citati prædicti, ſublatis jam omnibus impedimentis, effluxiſque omnibus terminis, coram nobis & dicto concilio non comparuerint, nec comparere curaverint, ad allegandum cauſam, quare Sanctio prædicta nulla declarari debeat, ita ut excuſationi ultra locus non ſit, poſſintque merito contumaces reputari, prout eos, exigente juſtitia, reputamus; nos in ea re attendentes Pragmaticam Sanctionem, vel potius (ut dictum eſt) corruptelam, ſchiſmatis tempore a non habentibus poteſtatem editam, reliquæ chriſtianæ reipublicæ & Eccleſiæ ſanctæ Dei nullatenus conformem, & a claræ memoriæ Ludovico XI. Francorum rege Chriſtianiſſimo revocatam, caſſatam atque abolitam, auctoritatem, libertatem ac dignitatem dictæ ſedis violare, ac diminuere facultatem Romanorum pro tempore exiſtentium de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalibus pro univerſali Eccleſia aſſidue laborantium, virorumque doctorum perſonis quibus abundat curia, & quorum conſiliis ſedis apoſtolicæ & Romanorum pontificum atque univerſalis Eccleſiæ auctoritas & poteſtas conſervatur, negotiaque diriguntur & in proſpero ſtatu confoventur, eccleſiis & monaſteriis, eiſdemque perſonis de reliquis beneficiis eccleſiaſti-

ſiaſticis, juxta eorum ſtatus exigentiam, providendi penitus auferre, prælatis vero eccleſiaſticis illarum partium cauſam præbere, ut ipſi nervum eccleſiaſticæ diſciplinæ & obedientiæ ſanctum frangant & violent, ac contra nos & ſedem prædictam eorum matrem cornua erigant, & eis ad præmiſſa audiendum viam aperire, ipſamque notoriæ nullitati ſubjacere, nulloque niſi alicujus temporis, ſeu potius tolerantiæ cujuſdam adminiculo fulciri; & ſi Romani Pontifices prædeceſſores noſtri præfati, prout ipſi ſuo tempore ſummopere optare demonſtrarunt, corruptelam & abuſionem hujuſmodi, vel malignitate temporum, vel alias illis providere & in totum occurrere non valentes, ſuis temporibus toleraſſe viſi fuerunt; conſiderantes tamen ab ipſius Bituricenſis Sanctionis editione vix annos ſeptuaginta fluxiſſe, nullumque infra hoc temporis ſpatium præter hoc Lateranenſe concilium legitime fuiſſe celebratum, in quo cum (diſponente Domino) conſtituti ſimus, ab ejuſdem improbæ Sanctionis exſtirpatione & totali annullatione, ſine noſtra & tantorum patrum in præſente concilio congregatorum nota, & noſtræ & dictorum illa ntentium animarum periculo abſtinere ſeu deſiſtere non poſſe, Auguſtino teſte, judicamus atque cenſemus. Et ſicut piæ memoriæ Leo Papa I. prædeceſſor noſter cujus in hoc libenter, quoad poſſumus, veſtigia imitamur, ea quæ in ſecunda Epheſina ſynodo temere contra juſtitiam & catholicam fidem geſta fuerant, poſtmodum in Chalcedonenſi concilio mandavit ac fecit pro fidei dictæ firmitate revocari; ita & nos a tam nefariæ Sanctionis & contentorum in ea revocatione retrahi aut deſiſtere, ſalva conſcientia, ac noſtro & ipſius Eccleſiæ honore, non poſſe aut debere cenſemus. Nec iſtud nos movere debet, quod Sanctio ipſa, & in ea contenta, & ipſo concilio inſtante, in Bituricenſi congregatione recepta & acceptata fuerunt, cum ea omnia, poſt translationem ejuſdem Baſileenſis concilii per felicis memoriæ Eugenium Papam IV. etiam prædeceſſorem noſtrum factam, a Baſileenſi conciliabulo, ſeu potius conventiculo, quæ præſertim poſt hujuſmodi translationem concilium amplius appellari non merebantur, facta exiſterent, ac propterea nullum robur habere potuerint, cum etiam ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, tamquam auctoritatem ſuper omnia concilia habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum ac diſſolvendorum plenum jus & poteſtatem habere, nedum ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum pontificum, etiam prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque canonum decretis, ſed propria etiam eorumdem conciliorum confeſſione manifeſte conſtat; quorum aliqua referre placuit, reliqua vero utpote notoria ſilentio præterita. In Alexandrina enim ſynodo, Athanaſio ibidem exiſtente, Felici Romano pontifici ab eadem ſynodo ſcriptum fuiſſe legimus, Nicænam ſynodum ſtatuiſſe, *non debere abſque Romani pontificis auctoritate concilia celebrari*. Neque nos latet etiam eumdem Leonem pontificem Epheſinam ſecundam ſynodum ad Chalcedonem transtuliſſe; Martinum etiam Papam V. præſidentibus ſuis in concilio Senenſi legatis poteſtatem transferendi concilium, nulla conſenſus ipſius concilii mentione habita, dediſſe; Epheſinam quoque primam ſynodum Cæleſtino, ac Chalcedonenſem eidem Leoni I. Agathoni VII. Adriano VIII. & Nicolao I. etiam Conſtantinopolitanam ſynodum Adriano, Romanis pontificibus prædeceſſoribus noſtris maximam reverentiam exhibuiſſe, eorumdemque pontificum inſtitutionibus & mandatis in ſacris conciliis per eos editis & factis reverenter & humiliter obtemperaſſe. Unde Damaſus Papa & cæteri epiſcopi Romæ congregati, ſcribentes de concilio Ariminenſi epiſcopis Illyrico conſtitutis, præjudicium aliquod per numerum epiſcoporum Arimini congregatorum fieri non potuiſſe teſtantur; quandoquidem noſter Romanus pontifex, cujus ante omnia decebat ſpectari decretum, talibus non præbuiſſe conſenſum, eumdemque Leonem pontificem univerſis Siciliæ epiſcopis ſcribentem idem noluiſſe apparet; conſueveruntque antiquorum conciliorum patres, pro eorum quæ in ſacris conciliis geſta fuerunt, corroboratione a Romanis pontificibus ſubſcriptionem approbationemque humiliter petere & obtinere, prout ex Nicæna & Epheſina ac Chalcedonenſi, & VI. Conſtantinopolitana, & VII. eadem Nicæna, ac Romana ſub Symmacho ſynodis habitis earumque geſtis, nec non in annuali libro de ſynodis manifeſte colligitur; quod etiam noviſſime Conſtantienſes patres feciſſe conſtat. Quam laudabilem conſuetudinem ſi Bituricenſes & Baſileenſes ſecuti fuiſſent, hujuſmodi moleſtia proculdubio careremus. Cupientes quoque hujuſmodi negotium ad debitum finem perduci, ac tam vigore citationum hactenus a nobis & præfato Julio prædeceſſore ex abundanti emanatarum, quam aliorum præmiſſorum quæ ita notoria ſunt, ut nulla valeant excuſatione aut tergiverſatione celari, etiam ex noſtro paſtorali officio procedentes, omneſque & ſingulos tam juris quam facti defectus, ſi qui forſitan in præmiſſis intervenerint, ſupplentes, *ex certa noſtra ſcientia & de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eodem ſacro approbante concilio, tenore præſentium, præfatam pragmaticam ſanctionem ſeu corruptelam, ejuſque approbationem quomodolibet emanatam, omniaque & ſingula decreta, capitula, ſtatuta, conſtitutiones ſive ordinationes in eadem quomodolibet contentas ſeu etiam inſertas, ac ab aliis prius editas, necnon conſuetudines, ſtilum, uſus, ſeu potius abuſum ex ea in hanc uſque diem quomodolibet emanatos ſeu obſervatos, nullius roboris vel momenti fuiſſe & eſſe decernimus & declaramus; nec non ad abundantiorem cautelam, eamdem Bituricenſem ſeu corruptelam, ejuſque approbationem tacitam vel expreſſam (ut præfertur) & in ea contenta omnia & ſingula etiam inſerta quæcunque revocamus, caſſamus, abrogamus, irritamus, annullamus ac damnamus, & pro infectis, revocatis, caſſatis, abrogatis, irritatis, annullatis & damnatis haberi volumus, decernimus & declaramus*. Et cum neceſſitate ſalutis exiſtat omnes Chriſtifideles Romano pontifici ſubeſſe, prout divinæ Scripturæ & ſanctorum Patrum teſtimonio edocemur, ac Conſtitutione felicis memoriæ Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri quæ incipit, *Unam ſanctam*, declaratur, pro eorumdem fidelium animarum ſalute, ac Romani pontificis & hujus ſanctæ ſedis ſuprema auctoritate, & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ unitate & poteſtate, Conſtitutionem ipſam, ſacro præſenti concilio approbante, innovamus, ſine tamen præjudicio Declarationis ſanctæ memoriæ Clementis Papæ VI. quæ incipit: *Meruit*. Inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis & cenſuris infra dicendis, omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus tam laicis quam clericis ſæcularibus, & quorumvis ordinum etiam mendicantium regularibus, & aliis quibuſcunque, cujuſcunque ſtatus, gradus & conditionis exiſtant, etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalibus, patriarchis, primatibus, archiepiſcopis, epiſcopis & quibuſvis aliis, eccleſiaſtica vel mundana, vel quavis alia dignitate fulgentibus, omnibuſque aliis & ſingulis prælatis, clericis, capitulis & conventibus ſæcularibus, & ordinum prædictorum regularibus, etiam monaſteriorum abbatibus, prioribus, ducibus, comitibus, principibus, baronibus, parlamentis, officialibus etiam regiis, judicibus, advocatis, notariis & tabellionibus eccleſiaſticis vel ſæcularibus, & quibuſvis aliis perſonis eccleſiaſticis regularibus & ſæcularibus (ut præfertur) quacunque dignitate fulgentibus in regno Franciæ, delphinatu, & ubicunque prædicta pragmatica directe vel indirecte, tacite vel expreſſe vigeret, quomodolibet exiſtentibus & pro tempore futuris, ne de cætero præfata pragmatica Sanctione, ſeu potius corruptela, quomodolibet & ex quavis cauſa, tacite vel expreſſe directe vel indirecte, aut quovis alio quæſito colore vel ingenio, in quibuſcunque actibus judicialibus vel extrajudicialibus uti, ſeu eam allegare, vel ſecundum eam judicare, aut quoſvis actus judiciales vel extrajudiciales ſecundum dictæ pragmaticæ tenorem vel capitula in ea contenta, per ſe vel alium ſeu alios nullatenus facere præſumant, aut per alios fieri permittant ſeu mandent, nec præfatam pragmaticam ſanctionem, aut in ea contenta capitula ſeu decreta ulterius in domibus ſuis aut aliis locis publicis vel privatis teneant, quinimmo illam ex quibuſvis archiviis etiam regiis, ſeu capitularibus & locis prædictis infra ſex menſes a data præſentium computandos deleant ſeu deleri faciant, ſub majoris excommunicationis latæ ſententiæ, necnon, quoad eccleſiaſticas & regulares perſonas prædictas, omnium etiam patriarchalium, metropolitanorum & aliarum cathedralium eccleſiarum, monaſteriorum quoque & prioratuum etiam conventualium, & quarumcunque dignitatum aut beneficiorum eccleſiaſticorum, ſæcularium, & quorumvis ordinum regularium privationis & inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, quo vero ad ſæculares, prædictæ excommunicationis, necnon amiſſionis quorumcunque feudorum, tam a Romana quam alia eccleſia ex quavis cauſa obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, inhabilitatiſque ad omnes & ſingulos actus legitimos quomodolibet faciendos, in infameſque, ac criminis læſæ Majeſtatis reos in jure expreſſis pœnis eo ipſo & abſque ulteriori declaratione per omnes & ſingulos ſupradictos, ſi (quod abſit) contra fecerint, incurrendis, a quibus, vigore cujuſcunque facultatis ac clauſularum etiam in confeſſionalibus, quibuſvis verborum formis conceſſis contentarum, niſi a Romano pontifice canonice intrante vel alio ab eo ad hoc in ſpecie facultatem habente, præter quam in mortis periculo conſtituti abſolvi nequeant; non obſtantibus præmiſſis,

missis, necnon constitutionibus & ordinationibus, decretis ac statutis, apostolica seu quacunque alia etiam conciliari auctoritate quomodolibet, etiam ex certa scientia & apostolicæ potestatis plenitudine editis & emanatis, & sæpius innovatis, repetitis, confirmatis & approbatis; quibus illorum omnium & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur ad effectum præmissorum pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, scientia, potestate & tenore præmissis, specialiter & expresse derogamus, & contrariis quibuscunque; aut si communitatibus, universitatibus & personis singulis supra nominatis, etiam cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, marchionibus & ducibus præfatis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut propterea privari & inhabiles reddi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuscunque aliis privilegiis, indulgentiis & litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectum earumdem impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcunque tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo hominum &c. Si quis autem &c. Datum Romæ in publica sessione, in Lateranensi sacrosancta basilica, solemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexto decimo, quartodecimo calendas Januarii, pontificatus nostri anno quarto.

CONCORDATUM
INITUM BONONIÆ
INTER
LEONEM PAPAM X. ET FRANCISCUM REGEM I.

Quod Ecclesiis Prælatos sibi eligendi jus adimit, eorumque Nominationem Regi tribuit. An. 1516.

PROOEMIUM.

FRANCISCUS, Dei gratia, Francorum Rex, Mediolani Dux, Astensis Comes ac Genuæ Dominus, omnibus litteras has lecturis salutem. Cum non pridem, superstite adhuc Ludovico memoriæ commendabilis rege (cujus animæ propitietur Altissimus), sacrum Lateranense concilium, sæpius editis decretis, eumdem socerum nostrum ad ejusdem conventum evocasset, cum eoque regni nostri curias summas (quas Parlamentaria vocamus), Ecclesiam insuper universam Gallicanam, cunctasque regni nostri gentes, delphinatusque nostri potentatus admonendos censuisset, ut, si quid auctoritatis priscæ afferre, si qua jura citare, si rationes consentaneas palam edisserere posse confiderent, quominus sanctio pragmatica, ejusdem concilii auctoritate ac sententia, antiquaretur, abrogaretur, induceretur, irritaque etiam, nulla pronuntiaretur & schismatica, id infra diem, dictis decretis præfixam efficerent; quo neglecto, talis denique, sacro approbante concilio, decerneretur; duduin autem, statimque nobis diadematicum fastigium, divina benignitate, regnumque auspicato ineuntibus, cum rursus hujusmodi edicta alia atque alia ab eadem auctoritate manantia nobis innotuissent, nobis etiam nostrisque curiis, Ecclesiæ Gallicanæ ac subditis populis, edicto novissimo ac causæ peremptorio, spes omnis esset purgandæ moræ præcisa, ut, si ulterius cunctari in animum induxissemus, in futurum omnino videremus in hæc discrimina incidere quæ ante dictæ pragmaticæ sanctionis decretum hoc, in regno nostro patriaque delphinali locum sibi vindicabant; ideo nos animo reputantes, quanta olim ante illius pragmaticæ sanctionis promulgationem indignitas rerum ac deformitas in regno nostro patriaque delphinali grassaretur, cum videlicet res nummaria (quibus veluti nervis respublica fabuixa est) ea maxime ac præcipue ratione exhauriretur, cum præsulibus & antistitibus sacerdotium conferendorum libertas facultasque adimeretur, cum peregrini & incolæ sacerdotiis gallicis sæpenumero donarentur, cum diplomatibus apostolicis, quas *expectativas* nuncupabant, generatim, singillatimque superstitum hominum spirantiumque sacerdotia electiva, mixta ac collectiva in diem mortis eorum conferrentur qui eis fungebantur; id quod cum bonis moribus non convenit, tum vero alieni fati votum habet adjunctum.

Postremo cum sacerdotum controversiæ litesque sacræ in curia Romana disceptarentur ingenti nostrorum hominum dispendio & incommodo; ex quo sequi plerumque necesse erat, ut qui vel sumptibus suppeditare, vel labori sufficere nequirent, hi aut juri suo cedere aut causas deserere, aut pro derelictis habere cogerentur. Simul ea accedebat deformitas, ut litterarum studiosi & disciplinis liberalibus incumbentes, aut sacerdotia adipisci nequirent, aut, si adipisci cuperent, litterarum studium abjicere, aut certe deponere cogerentur, passimque per urbes errabunde vagari, ut id periculum imminere videretur, ne litterarum tandem amor & scientia per incuriam exolescerent. Cum igitur summopere nobis videndum esse existimaremus, ne hujusmodi indignitas in regno nostro exoriretur, id quod futurum intelligebamus, tempori utique inserviendum esse duximus, ac rebus nostris periclitantibus, pro re nata consulendum, imminentiaque detrimenta minore ac leviore dispendio redimenda. Quare cum Bononiam cum omni nostro comitatu venissemus, exhibendæ gratia reverentiæ sanctissimo patri nostro Leoni X. pontifici summo, quam ei Franciæ reges majores nostros, ut primos ac maximos sacrosanctæ Ecclesiæ filios exhibuisse novimus, obnixis precibus ab eo contendimus, ut, si pragmaticæ nomen omnino esset abrogandum, saltem, vice illius, bona sua, concilioque venia, certas nobis leges conditionesque meditari comminisciique liceret, quibus imperium nostrum supradictum in posterum uteretur, quod ad ea quidem pertinet, quæ sanctione pragmatica cavebantur; quibus nostris precibus exorata pontificis sanctitas (nam ei quoque cordi erat regni ecclesiam recte atque ordinate ministrari) haud ægre nobis indulsit, ut conventa quædam nobis meditari, commentarique liceret, pragmaticæ sanctionis vicem regno ac potentatui supradicto utique præbitura quæ ejusdem ipsa concilii auctoritate assensuque confirmarentur, quam homologationem vocant, eam irritante decreto. Hujus commentationis curam cum tum sua sanctitas & nos mandavissemus viris quibusdam consultissimis; ita confecta temperataque sunt ea conventa, ut pleraque pragmaticæ sanctionis capita firma nobis posthac rataque futura sint, qualia sunt ea quæ de reservationibus in universum aut singillatim factis statuunt, de *Collationibus*, de *Causis*, de *frustratoriis Appellationibus*, de *Antiquatione Constitutionis* Clementinæ quam *Litteris* vocant, de *libere quieteque Possidentiis*, de *Concubinariis*, quædamque alia quibus nihil iis conventis derogatum abrogatumque fuit, nisi (si in quibusdam capitibus nonnulla interpretanda immutandave censuimus) quod ita referre utilitatis publicæ arbitraremur. Quod vero ad electiones pertinet, minime, quod optabamus, obtinere potuimus, causis in dictis conventis latissime insertis; ac nihilo secius tamen cum ab ejusdem pontificis sanctitate dilationem semestrem impetrassemus, iis rebus transigendis, super iisque viros multos, doctrina eximia litterarumque peritia præditos, usuque rerum callentissimos consuluissemus; tandem de eorum sententia, quando ita ferebat ratio difficultasque temporis rerumque nos circumstantium necessitas, sæpe dicta conventa in regno nostro ac delphinatu promulganda censuimus, ita ut san-

sanctionis vicem instarque plenum habeant; quorum conventorum, seu approbationis concilii tenor sequitur, & est talis.

APPROBATIO

CONCORDATORUM

Per Concilium generale Lateranense.

LEO episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante concilio. Divina disponente Clementia per quam reges regnant & principes imperant, & eminenti apostolatus specula, & super gentes & regna, meritis licet imparibus, constituti animo revolventes, quod si ea quæ pro salubri & quieto regimine regnorum, & ad pacem & justitiam populorum, perpetua eorumdem regnorum stabilitate, Regibus præsertim de fide catholica & de republica christiana, & apostolica sede benemeritis, laudabili & provida nostra ordinatione cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus concessa, ac ad effectum hujusmodi gesta, statuta, ordinata, decreta factave sunt, plenam roboris firmitatem obtineant; illis nihilominus interdum, sacro approbante concilio, nostræ innovationis & approbationis robur adjicimus, ut eo firmius illibata perdurent, quo sæpius erunt nostra auctoritate ac etiam generalis concilii præsidio communita; efficacemque operam circa eorumdem conservationem libenter adhibemus, ut reges & ipsorum regnorum personæ concessionibus, privilegiis, statutis & ordinationibus hujusmodi in Dominio plene gaudentes, in pacis & tranquillitatis ac amœnitatis dulcedine conquiescant, & in eorum solita erga eamdem sedem devotione ferventius perseverent. Nuper siquidem ut Ecclesia sponsa nostra in sancta unione conservaretur, & Christi-fideles sacris canonibus a Romanis pontificibus & sacris generalibus conciliis dumtaxat editis uterentur, quasdam constitutiones quas de cætero, loco pragmaticæ sanctionis, & contentorum in ea, in regno Franciæ, pro bono pacis & concordiæ, ac illius communi & publica utilitate, cum charissimo in Christo filio nostro Francisco, Francorum rege Christianissimo, dum Bononiæ cum nostra curia essemus, tractatas, & cum iisdem fratribus nostris diligenter examinatas, & de eorum consilio cum præfato rege concordatas, & per ipsius regis legitimum procuratorem acceptas, de eorumdem fratrum consilio, unanimi consensu statuimus & ordinamus, prout in nostris litteris desuper confectis plenius continetur, quarum tenor sequitur, & est talis.

TEXTUS

CONCORDATORUM.

De Constitutionibus.

CAPUT PRIMUM.

LEO episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Primitiva illa Ecclesia in angulari petra a Salvatore nostro Jesu Christo fundata, Apostolorum præconiis elata, Martyrumque sanguine consecrata & aucta, olim ubi primum, juvante Domino, per orbem terrarum lacertos movere cœpit, provide attendens, quantum oneris humeris impositum haberet, quot oves pascere, quot custodire, ad quot etiam remotissima loca oculos intendere cogeretur, divino quodam consilio parochias instituit, diœceses distinxit, episcopos creavit, & metropolitanos præfecit, ut tamquam membra capiti obsequentia, cuncta secundum ejus voluntatem salubriter in Domino gubernarent, & tamquam rivuli a perenni fonte, Romana videlicet Ecclesia, derivantes, ne angulum quidem dominici agri irrigatum dimitterent; unde sic alii Romani pontifices prædecessores nostri, suo tempore omni studio curarunt, ut dicta Ecclesia uniretur, & in sancta unione hujusmodi sine ruga & macula conservaretur, & omnes vepres ab eadem Ecclesia abolerentur, cujus proprium est, divina opitulante gratia, virtutes colere & vitia radicitus extirpare; ita & nos tempore nostro & præsenti durante concilio, ea facere & curare debemus quæ unioni & conservationi ejusdem Ecclesiæ conducere videntur. Ea propter omnes vepres quæ unioni hujusmodi obsistunt, & segetem Domini pullulare non sinunt, tollere prorsus & exstirpare, ac virtutes in vinea Domini inserere satagimus.

Sane inter arcana mentis nostræ revolventes, quot tractatus inter piæ memoriæ Pium II. Sixtum IV. Innocentium VIII. Alexandrum VI. & Julium II. Romanos pontifices prædecessores nostros, & claræ memoriæ reges Franciæ Christianissimos super abrogatione certæ constitutionis in dicto regno Franciæ vigentis quæ Pragmatica vocatur, habiti fuerunt; & licet Sixtus IV. præfatus, nuntiis ad claræ memoriæ Ludovicum XI. Franciæ Regem Christianissimum destinatis, tantis eidem persuaserit rationibus, ut rex ipse Pragmaticam sanctionem hujusmodi, tamquam in seditione & schismatis tempore natam suis patentibus litteris abrogaverit; tamen hujusmodi abrogatio, nec etiam litteræ apostolicæ præfati Sixti super concordata cum oratoribus præfati regis Ludovici ad præfatum Sixtum prædecessorem destinatis habita expeditæ, per prælatos & personas ecclesiasticas dicti regni receptæ non fuerunt, nec ipsi prælati & personæ ecclesiasticæ illis parere, nec monitis Innocentii & Julii prædictorum aures præbere, sed eidem Pragmaticæ constitutioni inhærere voluerunt; unde præfatus Julius prædecessor in præsenti concilio Lateranensi, universalem Ecclesiam repræsentante, per eum legitime indicto, abrogationis Pragmaticæ Sanctionis negotium, & illius discussionem, venerabilium fratrum suorum cardinalium (de quorum numero tum eramus) & aliorum prælatorum congregationibus, relationemque discussorum sibi & eidem concilio faciendam commisit, Gallicosque prælatos, capitula ecclesiarum, & monasteriorum conventus, ac parlamenta & laicos illis faventes, cujuscunque dignitatis, etiamsi regalis existerent, Sanctione prædicta utentes, seu illam approbantes, omnesque & singulos alios sua communiter & divisim interesse putantes, per edictum publicum (cum ad partes illas tutus non pateret accessus) in certis ecclesiis tunc expressis affigendum moneri & citari, infra certum competentem terminum præfigendum, ad comparendum coram eo in concilio præfato, causasque dicendum, quare Sanctio præfata in concernentibus auctoritatem, dignitatem & unitatem Ecclesiæ Romanæ & apostolicæ sedis, sacrorumque canonum & ecclesiasticæ libertatis violationem, nulla & invalida declarari, decerni & abrogari non deberet.

Et cum super his, in forma juris, in præfato concilio Lateranensi procederetur, dictusque Julius prædecessor, sicut Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptus, nosque, divina favente clementia, ad summi apostolatus apicem assumpti fuissemus, & contra prælatos, capitula, conventus & personas hujusmodi ad nonnullos actus processissemus, tandem considerantes pacem esse vinculum charitatis & spiritualem virtutem qua salvamur, dicente Domino, *qui biberit aquam quam ego dabo ei bibere, non sitiet in æternum*, quod in pace consistat salus universorum, Cassiodoro testante, omni quippe regno desiderabilis debet esse tranquillitas in qua populi proficiunt & utilitas gentium custoditur; matura deliberatione cognovimus, non per nuntios aut legatos nostros, sed in præstatione obedientiæ filialis quam charissimus in Christo filius noster Franciscus, Francorum rex Christianissimus, personaliter nobis præstitit, hæc cum Majestate sua coram discutere, eumque paternis hortari monitis, ut ad laudem Dei, & ad sui honorem, prompto animo libens ac volens dictæ Pragmaticæ Sanctioni abrenuntiare, & secundum leges sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quemadmodum cæteri Christiani, vivere, ac mandatis apostolicis quæ a sede apostolica pro tempore emanarent, parere & obedire vellet.

TITULUS II.

De Electionis & Postulationis Derogatione.

ET ex electionibus quæ in ecclesiis cathedralibus, & metropolitanis, ac monasteriis dicti regni, a multis annis citra fiebant, grandia animarum pericula provenirent, cum pleræque per abusum sæcularis potestatis, nonnullæ vero præcedentibus illicitis & simoniacis pactionibus, aliæ particulari amore & sanguinis affectione, & non sine perjurii reatu fierent; cum electores ipsi, etiamsi ante electionem per eos faciendam idoneiorem, & non eum quem promissione aut datione alicujus rei temporalis, seu prece vel precibus, per se vel alium, interpositis, electionem procurare didicissent, eligere sponte jurarent, juramentum hujusmodi non servarent, sed contra proprium hujusmodi juramentum in animæ suæ præjudicium venirent, ut no-

ut nobis notorie constat ex crebris absolutionibus & rehabilitationibus a nobis & prædecessoribus nostris petitis & obtentis; idem Franciscus rex nostris paternis monitis, tamquam verus obedientiæ filius, parere volens, tam pro bono obedientiæ in qua magnum meritum vere consistit, quam pro communi & publica regni sui utilitate, in locum dictæ Pragmaticæ Sanctionis ac singularium capitulorum in ea contentorum, leges & constitutiones infrascriptas invicem tractatas, & cum fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus diligenter examinatas, & de eorum consilio, cum præfato rege concordatas per dilectum filium Rogerium Barme regium advocatum, oratorem suum ad hoc ab eodem Francisco rege ad nos destinatum, habentem ad hoc speciale & sufficiens mandatum, acceptarit.

TITULUS III.

De Regia ad Prælaturas Nominatione facienda.

DE eorumdem fratrum consilio & unanimi consensu, ex certa nostra scientia & potestatis plenitudine, statuimus & ordinamus: quod de cætero perpetuis futuris temporibus, loco dictæ Pragmaticæ Sanctionis ac omnium & singulorum capitulorum in ea contentorum, videlicet, ut de cætero cathedralibus, & metropolitanis ecclesiis in regno dicto, delphinatu & comitatu Diensi ac Valentiensi, nunc & pro tempore etiam per cessionem in manibus nostris & successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium sponte factam vacantibus, illarum capitula, & canonici ad electionem, seu postulationem inibi futuri prælati procedere non possint, sed illarum occurrente hujusmodi vacatione, rex Franciæ pro tempore existens unum gravem magistrum seu licentiatum in theologia, aut in utroque seu altero jurium doctorem, aut licentiatum in universitate famosa, & cum rigore examinis, & in vigesimo septimo suæ ætatis anno ad minus constitutum, & alias idoneum, infra sex menses a die vacationis ecclesiarum earumdem computandos nobis & successoribus nostris Romanis pontificibus, seu sedi prædictæ nominare, & de persona per regem hujusmodi nominata per nos & successores nostros, seu sedem prædictam provideri; & si contigerit præfatum regem personam taliter non qualificatam ad dictas ecclesias sic vacantes nominare, per nos & successores nostros, seu sedem hujusmodi de persona sic nominata eisdem ecclesiis minime provideri debeat; sed teneatur idem rex infra tres alios menses a die recusationis personæ nominatæ non qualificatæ, sollicitatori nominationem non qualificatam prosequenti consistorialiter factæ intimandæ computandos, alium supradicto modo qualificatum nominare; alioquin, ut dispendiosæ ecclesiarum hujusmodi vacationi celeriter consulatur, ecclesiæ tum sic vacanti per nos & successores nostros, seu sedem hujusmodi de persona, ut præfertur, qualificata; nec non per obitum apud sedem prædictam vacantibus, semper, nulla dicti regis præcedente nominatione, libere provideri possit.

Decernentes, electiones contra præmissa attentatas, ac provisiones per nos & successores nostros, seu sedem hujusmodi factas, nullas & invalidas existere.

Consanguineis tamen præfati regis ac personis sublimibus ex causa rationabili & legitima, in nominatione & apostolicis litteris exprimenda, nec non religiosis mendicantibus reformatis eminentioris scientiæ & excellentis doctrinæ, qui juxta sui ordinis regularia instituta ad gradus hujusmodi assumi non possunt, sub prohibitione præmissa minime comprehensis; sed de eorum personis, dictis ecclesiis pro tempore vacantibus ad dicti regis nominationem, per nos & successores nostros, seu sedem hujusmodi, libere provideri possit.

De Monasteriis pure electivis.

Monasteriis vero & prioratibus conventualibus, & vere electivis, videlicet, in quorum electionibus forma capituli, *Quia propter*, servari, & confirmationes electionum hujusmodi solemniter peti consueverunt in regno, delphinatu & comitatu hujusmodi, nunc & pro tempore, etiam per similem cessionem vacantibus, illorum conventus ad electionem, seu postulationem abbatis, seu prioris procedere non possint.

Sed idem rex, illorum occurrente hujusmodi vacatione, religiosum ejusdem ordinis, in ætate viginti trium annorum ad minus constitutum, infra simile tempus sex mensium, a die vacationis monasteriorum & prioratuum hujusmodi, computandorum, nobis & successoribus nostris, aut sedi hujusmodi nominare, & de persona per regem hujusmodi monasterio vacanti nominata, per nos & successores nostros, seu sedem hujusmodi providere, prioratus vero personæ ad illum per eumdem regem nominatæ conferri debeat.

Si vero idem rex presbyterum sæcularem, aut religiosum alterius ordinis, aut minorem viginti trium annorum, vel alias inhabilem nobis & successoribus nostris, infra dictum semestre, seu sedi hujusmodi nominarer, talis nominatus recusari, & nullatenus sibi provideri debeat; sed rex ipse, infra trimestre, a die recusationis supra dicto modo intimandæ computandum, alium modo supra dicto qualificatum, monasterio seu prioratui tum vacanti nominare, & de persona ad monasterium nominata illi providere, ad prioratum vero nominato, prioratus ipse per nos & successores nostros, seu sedem prædictam conferri debeat.

Alioquin, dictis novem mensibus effluxis, nulla seu de persona minus idonea, & modo præmisso non qualificata facta nominatione, ac etiam vacantibus apud sedem prædictam, semper, etiam nulla dicti regis expectata nominatione, per nos & successores nostros, seu sedem prædictam monasteriis provideri; prioratus vero personis, ut præfertur, qualificatis dumtaxat conferri libere possint.

Electiones autem & illarum confirmationes, nec non provisiones, per nos & successores nostros ac sedem prædictam, contra prædicta pro tempore factas, nullas, irritas & inanes esse decernimus.

De singulorum Privilegiis, & quod in Scriptis tantum *probari debent.*

Per præmissa tamen non intendimus in aliquo præjudicare capitulis ecclesiarum, & conventibus monasteriorum & prioratuum, hujusmodi privilegia a sede apostolica proprium eligendi prælatum obtinentibus, quominus ad electionem episcoporum ac abbatum, & priorum, juxta privilegia eis concessa, libere procedere possint juxta formam in eorum privilegiis contentam. Et si in eorum privilegiis forma aliqua expressa non fuerit, tunc formam concilii generalis, Cap. *Quia propter*, tantum servare teneantur; dummodo de privilegiis sibi concessis hujusmodi, per litteras apostolicas, seu alias authenticas scripturas docuerint, omni alia specie probationis eis in hoc adempta.

TITULUS IV.

De Reservationibus sublatis.

§. I. VOlumus quoque & ordinamus, quod in regno, delphinatu & comitatu prædictis, de cætero non dentur aliquæ gratiæ expectativæ, ac speciales vel generales reservationes ad vacatura beneficia per nos & sedem prædictam non fiant; & si de facto, per importunitatem, aut alias a nobis & successoribus nostris & sede prædicta emanaverint, illas irritas & inanes esse decernimus.

De Canonicis ad effectum creandis.

§. I. In cathedralibus tamen, metropolitanis & collegiatis ecclesiis, in quarum statutis caveretur expresse, quod nullus ibidem dignitatem, personatum, administrationem vel officium obtinere possit, nisi in illis actu canonicus existat, canonicos ad effectum dumtaxat inibi obtinendi dignitatem, personatum, administrationem vel officium hujusmodi, & non consequendi primam præbendam vacaturam, creare posse intendimus.

TITULS V.

De Collationibus, & primo de Præbenda theologali.

§. I. STatuimus insuper, quod ordinarius collator in unaquaque cathedrali ac etiam metropolitana ecclesia canonicatum & præbendam theologalem inibi consistentem conferre teneatur uni magistro seu licentiato, aut baccalaureo formato in theologia, qui per decennium in universitate studii generalis privilegiata studuerit, ac onus residentiæ, lecturæ & prædicationis actu subire voluerit; quique bis aut semel ad minus per singulas hebdomadas, impedimento cessante legitimo, legere debeat; & quoties ipsum in hujusmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium capituli, per subtractionem distributionum totius hebdomadæ, puniri possit.

Et, si residentiam deseruerit, de illa alteri provideri possit.

Et, ut liberius studio vacare possit, etiamsi absens fuerit a divinis, habeatur pro præsente, ita ut nihil perdat.

De Gra-

De Graduatis, nominatis & simplicibus.

§. II. Præfatique ordinarii collatores seu patroni ecclesiastici, quicunque fuerint, ultra dictam præbendam theologalem, quam, ut præfertur, qualificato conferre tenentur, tertiam partem omnium dignitatum, personatuum, administrationum & officiorum cæterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, ad eorum collationem, provisionem, nominationem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem quomodolibet spectantium, viris litteratis, graduatis & per universitates nominatis, hoc modo videlicet:

In primo mense post præsentium acceptationem & earumdem publicationem, præfati ordinarii collatores, dignitates, personatus, administrationes & officia ad eorum collationem, provisionem, nominationem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem, ut præfertur, spectantia, graduatis hujusmodi qui litteras suorum graduum tum tempore studii debite insinuaverint, conferre teneantur; beneficia vero quæ in duobus sequentibus mensibus vacare contigerit, illa juxta juris communis dispositionem, personis idoneis libere conferre, seu personas idoneas ad illa præsentare teneantur. Beneficia autem quæ in quarto mense vacare contigerit, viris graduatis per universitatem nominatis qui gradus & nominationis litteras cum studii tempore debite insinuaverint, conferre seu præsentare teneantur; beneficia vero quæ in quinto & sexto mensibus vacare contigerit, simili modo personis idoneis libere conferre, seu personas idoneas ad illa præsentare possint; beneficia autem quæ septimo mense vacare contigerit, graduatis qui simili modo litteras gradus cum tempore studii debite insinuaverint, conferre teneantur; beneficia vero quæ octavo & nono mensibus vacare contigerit, pari modo personis idoneis conferre, seu personas idoneas ad illa præsentare teneantur; beneficia autem quæ in mense decimo vacare contigerit, graduatis nominatis qui gradus & nominationis litteras cum tempore studii debite insinuaverint, per eosdem ordinarios conferri, seu ipsi ad illa præsentari debeant; beneficia autem quæ 11. & 12. mensibus vacare contigerit, per eosdem ordinarios personis idoneis juxta juris communis dispositionem conferri, seu ipsi ad illa præsentari debeant.

Decretum irritans in favorem Graduatorum.

§. III. Si quis vero, cujuscunque status, etiamsi cardinalatus, patriarchalis, archiepiscopalis, aut pontificalis, vel alterius cujuslibet dignitatis, contra prædictum ordinem & qualificationes superius ordinatas, de dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis, seu quibusvis aliis beneficiis ecclesiasticis hujusmodi aliter quam modo prædicto disposuerit, dispositiones ipsæ sint ipso jure nullæ, collationesque & provisiones ac dispositionis illorum ad immediatum superiorem devolvantur qui eisdem personis modo præmisso qualificatis providere teneatur; &, si contravenerit, ad alium superiorem devolvatur provisio & præsentatio hujusmodi gradatim, donec ad sedem apostolicam fiat devolutio.

De Tempore Studii.

§. IV. Præterea volumus, quod collatores ordinarii & patroni ecclesiastici præfati, dignitates, personatus, administrationes & officia ac beneficia, in mensibus, graduatis & nominatis assignatis vacantia, illis graduatis simplicibus aut nominatis illa conferre, aut ad illa eos dumtaxat præsentare teneantur, qui per tempus competens in universitate famosa studuerint. Tempus autem competens decennium in magistris, seu licentiatis, aut baccalaureis in theologia; septennium vero in doctoribus seu licentiatis in jure canonico, civili, aut medicina; quinquennium autem in magistris, seu licentiatis in artibus cum rigore examinis a logicalibus inclusive, aut in altiori facultate; sexennium autem in baccalaureis simplicibus in theologia; quinquennium vero in baccalaureis juris canonici aut civilis; in quibus baccalaureis juris canonici aut civilis, si ex utroque parente nobiles fuerint, triennium esse decernimus.

De prima insinuatione ex exhibitione Litterarum.

§. V. Præfatique graduati & nominati collatoribus ordinariis, sive patronis ecclesiasticis, semel ante vacationem beneficii, de litteris gradus seu nominationis, & de præfato tempore studii per litteras patentes universitatis in qua studuerint, manu scribæ & sigillo universitatis signatas, fidem facere teneantur.

De Probatione Nobilitatis.

§. VI. Cum vero probatio nobilitatis fieri debeat ad effectum, ut nobiles gaudere possint beneficiis minoris temporis studii; tunc nobilitas ipsa per quatuor testes deponentes in judicio coram judice ordinario loci in quo est natus ille de cujus nobilitate ex utroque parente constare debet, etiam in patris absentia probari possit.

De Insinuatione & Exhibitione Litterarum tempore Quadragesimali.

§. VII. Teneanturque præfati graduati, tam simplices quam nominati, patronis ecclesiasticis aut collatoribus ordinariis quibus gradus aut nominationis litteras hujusmodi insinuare debent, litteras suorum gradus & nominationis, certificationis temporis studii, attestationis nobilitatis duplicatas dare; ac singulis annis, tempore Quadragesimæ, per se, aut procuratorem suum, collatoribus, nominatoribus, seu patronis ecclesiasticis, aut eorum vicariis, eorum nomina & cognomina insinuare; & eo anno quo præfatam insinuationem facere omiserint, beneficium in vim gradus aut nominationis hujusmodi petere non possint. Et si collatoribus ordinariis, aut patronis ecclesiasticis, in mensibus deputatis graduatis simplicibus, aut graduatis nominatis, non esset graduatus aut nominatus qui diligentias præfatas fecerit, collatio seu præsentatio per collatorem seu patronum ecclesiasticum, etiam eisdem mensibus facta alteri quam graduato vel nominato, non propter hoc irrita censeatur.

Si tamen graduatus simplex aut nominatus beneficium post insinuationem gradus aut nominationis, in mensibus eis assignatis vacans petierit, & inter suam insinuationem & præfatam requisitionem non supervenerit Quadragesima, in qua nomen & cognomen insinuare debuerit, ad beneficium sic vacans eum capacem, ipsumque illud consequi posse & debere decernimus.

De duobus Mensibus Gratificationis.

§. VIII. Statuimus quoque & ordinamus, quod collatores ordinarii & patroni ecclesiastici præfati, inter graduatos qui litteras gradus, cum tempore studii & attestatione nobilitatis debite insinuaverint, quoad beneficia in mensibus eis deputatis vacantia, gratificare possint illum ex eis quem voluerint.

Quo vero beneficia in mensibus, graduatis nominatis deputatis, antiquiori nominato conferre, seu antiquiorem nominatum qui litteras nominationis, temporis studii & attestationis nobilitatis debite insinuaverit, præsentare seu nominare teneatur. Concurrentibus autem nominatis ejusdem anni, doctores licentiatis, licentiatos baccalaureis (demptis baccalaureis formatis in theologia, quos, favore studii theologici, licentiatis in jure canonico, civili, aut medicina præferendos esse decernimus), baccalaureos juris canonici aut civilis magistris in artibus præferri volumus. Concurrentibus autem pluribus doctoribus in diversis facultatibus, doctorem theologum doctori in jure, doctorem in jure canonico doctori in jure civili, doctorem in jure civili doctori in medicina præferendos esse decernimus; & idem in licentiatis & baccalaureis servari debere volumus.

Et si in eisdem facultate & gradu concurrerent, ad datam nominationis seu gradus recurrendum esse volumus.

Et si in omnibus iis concurrerent, tum volumus, quod collator ordinarius inter eosdem concurrentes gratificari possit.

I. De Beneficiis exprimendis. II. De Repletione. III. De Regula; Regularia Regularibus. IV. *De Generibus vacationum quæ ad Graduates non pertinent.*

§. IX. Volumus autem, quod nominati litteras nominationis ab universitatibus in quibus studuerint, obtinentes, in nominationum litteris beneficia per eos possessa, & eorum verum valorem exprimere teneantur; alioquin litteræ nominationis hujusmodi eo ipso nullæ fiant & esse censeantur.

Si quis vero ex dictis qualificatis graduatis simplicibus aut nominatis, tempore vacationis beneficii in mensibus eis deputatis vacantis, duas obtineat præbendas in cathedralibus aut metropolitanis aut collegiatis, seu dignitatem & præbendam, vel aliud seu alia beneficia quorum in simul, vel cujus fructus, reditus & proventus, tempore residentiæ & horis divinis interessendo ad summam ducentorum florenorum auri de camera ascenderent, beneficium in vim gradus seu nomina-

minationis hujusmodi tunc petere seu consequi non possit.

Et insuper quod tam graduati simplices quam nominati beneficia in mensibus eis assignatis vacantia petere & consequi possint secundum propriæ personæ condecentiam & conformitatem; videlicet, sæculares sæcularia, & religiosi regularia beneficia ecclesiastica; ita quod sæcularis nominatus beneficia regularia in mensibus deputatis vacantia, prætextu cujusvis dispensationis apostolicæ, nec e contra religiosus beneficia sæcularia petere aut consequi minime possint.

Quodque beneficia, simpliciter, vel ex causa permutationis, in mensibus graduatis simplicibus & nominatis assignatis vacantia, eis non sint affecta nec debita, sed ex causa permutationis cum permutantibus dumtaxat; simpliciter vero vacantia beneficia hujusmodi personis idoneis per ipsos ordinarios libere conferri possint.

De Ecclesiis parochialibus in Villis muratis.

§. X. Statuimus quoque, quod parochiales ecclesiæ in civitatibus aut villis muratis existentes non nisi personis modo præmisso qualificatis, aut saltem qui per tres annos in theologia, vel altero jurium studuerint, seu magistris in artibus qui in aliqua universitate privilegiata studentes magisterii gradum adepti fuerint, conferantur.

De Universitatum Nominationibus.

§. XI. Monemus autem præfati regni universitates, sub pœna privationis omnium & singulorum privilegiorum a nobis & sede apostolica obtentorum, ne collatoribus seu patronis ecclesiasticis habeant aliquos nominare, nisi eos qui secundum præfata tempora studuerint, &, secundum dictarum universitatum statuta, ad gradus, & non per saltum, promoti fuerint; quod si secus fecerint, ultra nullitatis pœnam quam in præfatarum nominationum litteris declaramus, nominandi privilegio, ad tempus, secundum culpæ qualitatem, suspendimus.

De Patronis a Graduatis non molestandis.

§. XII. Si quis autem graduatorum aut nominatorum, in mensibus deputatis, a collatoribus ordinariis aut patronis ecclesiasticis beneficium vacans, in vim gradus aut nominationis, petierit, & collatorem ordinarium, in vim præfati gradus aut nominationis, in processu posuerit, & taliter molestaverit, illum, ultra expensarum, damnorum & interesse condemnationem, fructibus sui gradus & nominationis privandum esse decernimus; eodemque vinculo, collatores ordinarios & patronos ecclesiasticos quibus graduati & nominati, debite, ut supra, qualificati suas gradus & nominationis litteras insinuaverint, astringimus, ut beneficia ad eorum collationem vel præsentationem spectantia, in mensibus graduatorum simplicium & nominatorum vacantia, stantibus præfatis graduatis aut nominatis, debite qualificatis, illa prosequentibus, aliis quam graduatis aut nominatis non conferant, sub pœna suspensionis potestatis conferendi beneficia, in octo mensibus illo anno ad collationem eorum ac præsentationem liberam spectantibus.

TITULUS VI.

De Mandatis apostolicis.

§. I. Statuimus & ordinamus, quod quilibet Romanus Pontifex, semel dumtaxat tempore sui pontificatus, litteras in forma mandati, juxta formam inferius annotatam, dare possit, hoc modo videlicet: unum collatorem habentem collationem decem beneficiorum, in uno, habentem autem collationem quinquaginta beneficiorum & ultra, in duobus beneficiis dumtaxat gravare possit; ita tamen, quod in eadem ecclesia cathedrali vel collegiata, collatorem unum pro tempore in duabus præbendis non gravet.

§. II. Et ut obvietur litibus quæ occasione litterarum mandatorum hujusmodi oriri possent, mandata hujusmodi sub forma quæ est inferius annotata, dari volumus; quam ad perpetuam rei memoriam, in cancellaria apostolica publicari, & in illius quinterno registrari mandamus.

§. III. Declarantes, prosequentes hujusmodi mandata, quoad beneficia sub illis comprehensa, ab ordinariis collatoribus, graduatis, simplicibus & nominatis præferendos esse; nosque & successores nostros, jure præventionis, dignitates, personatus, administrationes & officia, cæteraque beneficia ecclesiastica, sæcularia & quorumvis ordinum regularia, quæcunque & quomodocunque qualificata, tam in mensibus, graduatis simplicibus & nominatis quam ordinariis collatoribus præfatis, assignatis vacantia, ac etiam sub dictis mandatis comprehensa libere conferre.

§. IV. Statuimus insuper, quod in provisionibus quas personis quibusvis de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis, per nos & successores nostros ad sedem prædictam, etiam motu proprio, etiam promotis ad ecclesias cathedrales & metropolitanas ac monasteria, ut obtenta per eos beneficia retineri possint, fieri contigerit, illorum verus annuus, per florenos aut ducatos auri de camera aut libras Turonenses, seu alterius monetæ, valor, secundum communem æstimationem exprimi debeat; alioquin gratiæ ipsæ sunt ipso jure nullæ.

TITULUS VII.

Forma Mandati Apostolici.

LEO, Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo N. & dilectis filiis, capitulo, singulisque canonicis ecclesiæ N. Salutem & apostolicam benedictionem. Vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus dilectus filius N. apud nos fide digno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc est, quod nos cupientes, ut idem N. juxta illius quæ olim per felicis recordationis Gregorium Papam IX. prædecessorem nostrum ad tunc episcopum Noviomensem directa extitit, quæ incipit, *Mandatum*, & aliarum duarum illam immediate sequentium decretalium formas, de canonicatu & præbenda aut dignitate, personatu, administratione vel officio vestræ vel alterius ecclesiæ, aut alio beneficio cum cura vel sine cura, etiamsi parochialis ecclesia, vel ejus perpetua vicaria aut capella, sive perpetua capellania fuerit, ad vestram collationem, nominationem seu præsentationem & aliam quamcunque dispositionem communiter vel divisim pertinente provideri possit; ac volentes præfato N. præmissorum meritorum suorum intuitu, gratiam facere specialem, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes; nec non omnia & singula beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura quæ præfatus N. etiam e quibusvis apostolicis dispensationibus obtinet & expectat, ac in quibus & ad quæ jus sibi quomodolibet competit, quæcunque, quodcunque, qualiacunque sint, eorumque fructuum, redituum & proventuum veros annuos valores, ac hujusmodi dispensationum tenores præsentibus pro expressis habentes;

Motu proprio, non ad ipsius N. vel alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra liberalitate, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus (si vobis communiter vel divisim pro alio non scripserimus qui simile mandatum aut similem gratiam prosequatur) canonicatum & præbendam, aut dignitatem, personatum, administrationem vel officium vestræ vel alterius ecclesiæ, aut aliud beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, etiamsi parochialis ecclesia, vel ejus perpetua vicaria, aut capella, vel perpetua capellania fuerit, ad vestram collationem, provisionem, præsentationem, nominationem, seu quamvis aliam dispositionem pertinentia, etiamsi dignitati, personatui, administrationi vel officio hujusmodi cura immineat animarum (dummodo talis dignitas electiva non existat), cum creatione in canonicum vestræ vel alterius ecclesiæ, etiam in ea statuto & privilegio expresse caveatur, quod nulli de dignitate, personatu, administratione vel officio provideri possit, nisi cum effectu illius ecclesiæ canonicus existat, canonicatum hujusmodi ecclesiæ cum plenitudine juris canonici, & non obstante certo canonicorum numero, ad effectum hujusmodi dignitatem, personatum, administrationem vel officium dumtaxat, & non alias obtinendi, auctoritate apostolica, tenore præsentium conferimus, & de illo etiam providemus, si quem, quam vel quod post mensem, postquam præsentes litteræ vobis præsentatæ fuerint, extra Romanam curiam vacare contigerit, cum plenitudine juris canonici, ac omnibus juris & pertinentiis suis, eidem N. conferatis, & de illo aut illa provideatis, seu ipsum ad illum, illam vel illud præsentetis aut nominetis; ipsumque N. in canonicum & in fra-

fratrem vestræ vel alterius ecclesiæ, ad effectum tantum obtinendi dignitatem, personatum, administrationem, vel hujusmodi, recipiatis, stallum sibi in choro & locum in capitulo, cum plenitudine juris canonici, assignatis; inducentes eumdem N. vel procuratorem, ejus nomine, in corporalem possessionem canonicatus & præbendæ, aut dignitatis, personatus, administrationis vel officii seu beneficii hujusmodi, juriumque & pertinentiarum universorum prædictorum, defendentesque inductum, ac facientes N. vel pro eo procuratorem prædictum ad præbendam aut dignitatem, personatum, administrationem vel officium seu beneficium hujusmodi, quodcunque fuerit, ut moris est, admitti; sibique de illius vel illorum fructibus, reditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis integre responderi; non obstantibus forsan, ut supra, de certo canonicorum numero & aliis, constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac dictæ vestræ vel alterius ecclesiæ juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus contrariis quibuscunque, aut si vobis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneamini; quodque de canonicatibus & præbendis seu dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis vestræ vel alterius ecclesiæ, aut aliis beneficiis ecclesiasticis quibuscunque ad vestram collationem, provisionem, præsentationem, nominationem, seu quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim pertinentibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri. & de qua, cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, seu si dictus N. præsens non fuerit ad præstandum de observandis statutis & consuetudinibus vestræ vel alterius ecclesiæ solitum juramentum, dummodo in absentia seu per procuratorem idoneum, & cum ad ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter illud præstet. Datum, &c.

TITULUS VIII.

Forma Litterarum executorialium Mandati Apostolici.

Simili modo, Leo, &c. Dilectis filiis N. & N. ac N. officialibus salutem & apostolicam benedictionem. Hodie cupientes, ut dilecto filio N. clerico N. diœcesis, juxta illius quæ olim per felicis recordationis Gregorium Papam IX. prædecessorem nostrum ad tunc episcopum Noviomensem directa extitit, quæ incipit, *Mandatum*, & aliarum duarum illam immediate sequentium decretalium formas, de canonicatu & præbenda, aut dignitate, personatu, administratione vel officio ecclesiæ N. aut alio beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura provideri;

Motu proprio, venerabili fratri nostro episcopo N., dilectis filiis, capitulo, singulisque canonicis ecclesiæ N. per alias litteras nostras mandavimus, quatenus, si eis communiter vel divisim pro alio non scripsissemus, qui simile mandatum aut similem gratiam prosequeretur, eidem N. canonicatum & præbendam aut dignitatem, personatum, administrationem vel officium aut beneficium ecclesiæ N. aut aliud ecclesiasticum ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, nominationem, seu quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim pertinens, si quem, quam vel quod post mensem, post præsentationem earumdem litterarum vacare contingeret, cum plenitudine juris canonici ac omnibus juribus & pertinentiis suis, prout ad eos communiter vel divisim pertineret, conferrent & assignarent, aut eum ad illa præsentarent, eligerent, nominarent, seu de illis providerent, prout in eisdem litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus vos, vel duo, vel unus vestrum, per vos vel alium, seu alios, si episcopus, capitulum & canonici prædicti canonicatum & præbendam, aut dignitatem, personatum & administrationem, vel officium aut beneficium hujusmodi eidem N. conferre & assignare, ac de illis etiam providere recusaverint, seu distulerint aut negligentes fuerint, canonicatum & præbendam, aut dignitatem, personatum, administrationem vel officium seu beneficium hujusmodi cum plenitudine juris canonici ac omnibus juribus & pertinentiis supradictis, eidem N. conferre & assignare, necnon eumdem N. ad illa, ut moris est, admittere, & in canonicum recipere & in fratrem, stallo sibi in choro & loco in capitulo assignatis, omniaque & singula alia in dictis litteris contenta, alias juxta earumdem continentiam atque formam in omnibus & per omnia facere & exequi curetis; contradictores (prout justitia suadebit) compescendo, non obstantibus omnibus quæ in dictis litteris volumus non obstare. Datum, &c.

TITULUS IX.

De Mandatis Apostolicis pro Regularibus.

Pro regularibus autem similis forma illis conveniens detur.

TITULUS X.

De Causis.

Statuimus quoque & ordinamus, quod in regno, delphinatu & comitatu prædictis, omnes & singulæ causæ, exceptis majoribus in jure expresse denominatis, apud illos judices in partibus, qui de jure aut consuetudine præscripta vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari & finiri debeant.

TITULUS XI.

De frivolis Appellationibus.

§. I. Et ne sub umbra appellationum quæ nimium & nonnunquam frivole interponi consueverunt, atque etiam in eadem instantia ad prorogationem litium sæpe multiplicari, injustis vexationibus materia præbeatur; volumus, quod si quis offensus, coram suo judice, justitiæ complementum habere non possit, ad immediatum superiorem per appellationem recursum habeat; nec ad aliquem superiorem, etiam ad nos & successores nostros vel sedem prædictam, omisso medio, nec a gravamine in quacunque instantia ante diffinitivam sententiam quomodolibet appelletur, nisi forsitan tale gravamen extiterit, quod in definitiva reparari nequiret; & eo casu non nisi ad immediatum superiorem liceat appellari.

De Exemptorum Appellationibus.

§. II. Si quis vero immediate subjectus sedi apostolicæ ad eamdem sedem duxerit appellandum, causa committatur in partibus per rescriptum usque ad finem litis, videlicet usque ad tertiam sententiam conformem inclusive, si ab illis appellari contigerit, nisi propter defectum denegatæ justitiæ aut justum metum; & tunc committi debeat in partibus convicinis, & cum causarum expressione qua etiam de illis legitime alias quam per juramentum coram judicibus a sede apostolica deputandis constare debeat; processus autem contra præmissa annotatos, nullos & irritos esse volumus, ac rescripta contra præmissa impetrantes in expensis, damnis & interesse condemnari debere decernimus atque declaramus.

Sanctæ vero Romanæ ecclesiæ cardinales qui pro universali Ecclesia continue laborant, nec non dictæ sedis officiales officia sua actu exercentes sub præsenti decreto non intendimus comprehendi.

Ut infra biennium lis beneficialis terminetur.

§. III. Statuimus autem & ordinamus, quod judices causas quæ in partibus terminari debent, coram eis pro tempore pendentes, sub pœna excommunicationis & privationis beneficiorum per eos obtentorum ex ipso incurrenda, infra biennium terminare debeant; pars vero diffugiens, & expeditionem ipsius causæ malitiose impediens, gravissime per eosdem judices mulctetur, etiam usque ad privationem juris in hujusmodi processu prætensi, si eis visum fuerit, super quo eorum conscientias oneramus.

A secunda interlocutoria, & tertia diffinitiva non provocetur.

§. IV. Ab interlocutoriis autem secundo, a diffinitivis vero tertio provocare non licere decernimus, sed volumus secundam sententiam interlocutoriam conformem, & tertiam diffinitivam etiam conformem, omni mora cessante, executioni debite demandari debere, quacunque appellatione interposita non obstante.

TITULUS XII.

De pacificis Possessoribus.

§. I. STatuimus quoque, quod quicunque, dummodo non sit violentus, sed habens coloratum titulum, pacifice & sine lite prælaturam, dignitatem, personatum, administrationem vel officium, seu quodcunque beneficium ecclesiasticum triennio proximo hactenus vel pro tempore possederit, seu possedit, in petitorio vel possessorio a quoquam, etiam ratione juris noviter reperti, molestari nequeat, præter quam prætextu hostilitatis, aut alterius legitimi impedimenti, de qua protestari, & illud, juxta concilium Viennense, intimari debeat.

§. II. Lis autem hoc casu quoad futuras controversias intelligatur, si ad executionem citationis, jurisque sui in judicio exhibitionem, aut terminorum omnium observationem processum fuerit.

Monemus etiam ordinarios, ut diligenter inquirant, ne quis sine titulo beneficium possideat.

Et, si quem beneficium sine titulo possidere repererint, declarent illi jus non competere, cujusvis temporis detentione non obstante, de ipsoque beneficio possit illi, dummodo non sit intrusus vel violentus aut alias indignus, vel alteri idoneo provideri.

TITULUS XIII.

De publicis Concubinariis.

§. I. ET insuper statuimus, quod quicunque clericus, cujuscunque conditionis, status, religionis, dignitatis, etiamsi pontificalis, vel alterius præeminentiæ fuerit, (qui præsentium notitiam habuerit, quam habere præsumatur post duos menses, post earumdem præsentium publicationem in ecclesiis cathedralibus factam quam ipsi diœcesani omnino facere teneantur, postquam præsentes ad eorum notitiam pervenerint) fuerit publicus concubinarius, a perceptione fructuum omnium beneficiorum suorum, trium mensium spatio, sit ipso facto suspensus, quos suus superior in fabricam, vel aliam evidentem ecclesiarum utilitatem, ex quibus ii fructus percipiuntur, convertat.

§. II. Nec non hujusmodi publicum concubinarium, ut primum talem esse noverit, mox suus superior monere teneatur, ut infra brevissimum terminum concubinam dimittat; &, si illam non dimiserit, vel dimissam aut aliam publice resumpserit, jubemus, ut ipsum omnibus suis beneficiis omnino privet.

§. III. Et nihilominus ii publici concubinarii, usquequo cum eis per suos superiores post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem fuerit dispensatum, ad susceptionem quorumcunque honorum, dignitatum, beneficiorum, officiorumque sint inhabiles.

§. IV. Quod si post dispensationem recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint, sine spe alicujus dispensationis ad prædicta prorsus inhabiles existant.

§. V. Quod si ii ad quos talium correctio pertinet, eos, ut prædictum est, punire neglexerint, eorum superiores tam in ipsos de neglectu, quam in illos pro concubinatu modis omnibus digna punitione animadvertant.

§. VI. In conciliis etiam provincialibus & synodalibus adversus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem a collatione beneficiorum, vel alia condigna pœna severiter procedatur.

Et, si ii quorum destitutio ad nos & sedem prædictam spectat, per concilia provincialia aut suos superiores, propter concubinatum publicum reperiantur privatione digni, statim cum processu inquisitionis ad nos deferantur; eadem diligentia & inquisitio in quibuscunque generalibus capitulis etiam provincialibus quoad eos servetur.

§. VII. Pœnis aliis contra prædictos & alios non publicos concubinarios a jure statutis in suo robore permansuris.

§. VIII. Publici autem intelligendi sunt non solum ii quorum concubinatus per sententiam aut confessionem in jure factam, sed per rei evidentiam quæ nulla possit tergiversatione celari, notorius est; sed etiam qui mulierem de incontinentia suspectam & diffamatam tenent, & per suum superiorem admoniti, ipsam cum effectu non dimittunt.

§. IX. Quia vero in quibusdam regionibus nonnulli jurisdictionem ecclesiasticam habentes, pecuniarios quæstus a concubinariis percipere non erubescunt, patientes eos in tali fœditate sordescere, sub pœna maledictionis æternæ præcipimus, ne deinceps, sub pacto, compositione, aut spe alicujus quæstus, talia quovis modo tolerent, aut dissimulent; alioquin, ultra præmissam negligentiæ pœnam, duplum ejus quod propterea acceperint, restituere, & ad pios usus omnino convertere teneantur & compellantur.

§. X. Ipsas autem concubinas, aut suspectas Prælati omnes curent a suis subditis, per auxilii etiam brachii sæcularis invocationem, si opus fuerit, penitus arcere; qui etiam filios ex tali concubinatu procreatos apud patres suos cohabitare non permittant.

§. XI. Jubemus insuper, quod in prædictis synodis & capitulis præmissa publicentur, & ut quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moveant diligenter.

§. XII. Injungimus præterea omnibus sæcularibus viris, etiamsi regali præfulgeant dignitate, ne ullum qualecunque inferant impedimentum, quocunque quæsito colore, prælatis qui, ratione officii sui, adversus subditos suos pro hujusmodi concubinatu & aliis casibus sibi a jure permissis procedunt.

Et cum omne fornicationis crimen lege divina prohibitum sit, & sub pœna peccati mortalis necessario evitandum, monentus omnes laicos tam uxoratos quam solutos, ut similiter a concubinatu abstineant; nimis enim reprehensibilis est qui uxorem habet & ad aliam uxorem accedit; qui vero solutus est, si continere nolit, juxta Apostoli consilium uxorem ducat. Pro hujusmodi autem divini observantia præcepti, ii ad quos pertinet, tam salutaribus monitis, quam aliis canonicis remediis omni studio laborent.

TITULUS XIV.

De Excommunicatis non vitandis.

STatuimus insuper, quod ad vitandum scandala, & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis nemo deinceps a communione alicujus in sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, vel extra, prætextu cujuscunque sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ, seu suspensionis aut prohibitionis, ab homine vel a jure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, vel interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio vel censura hujusmodi fuerit vel contra personam, collegium, universitatem, ecclesiam, aut locum, certum aut certam a judice publicata & denuntiata specialiter & expresse, aut notorie in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari; eum a communione illius abstinere voluntus juxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, neque eis quomodolibet suffragari.

TITULUS XV.

De Interdictis non leviter ponendis.

ET quoniam ex indiscreta interdictorum promulgatione, multa consueverunt scandala evenire, statuimus, quod nulla civitas, oppidum, castrum, villa, aut locus ecclesiastico supponi possit interdicto, nisi ex causa seu culpa ipsorum locorum, aut domini, seu rectoris, vel officialium.

Propter culpam autem, seu causam alterius cujuscunque privatæ personæ, hujusmodi loca interdici nequaquam possint auctoritate quacunque ordinaria vel delegata, nisi talis persona prius fuerit excommunicata ac denuntiata, seu in ecclesia publicata, aut domini seu rectores vel officiales ipsorum locorum, auctoritate judicis exquisiti, hujusmodi personam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non ejecerint, aut ad satisfaciendum compulerint; qua etiam post biduum ejecta recedente vel satisfaciente, mox divina resumi possint; quod etiam in pendentibus locum habere decernimus.

TITULUS XVI.

De Sublatione Clementinæ; Litteris.

NEc non Constitutionem de eorumdem fratrum nostrorum consilio editam qua cum irritanti decreto statuimus, decrevimus & ordinavimus, quod ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus de cessione regiminis & administrationis ecclesiarum & monasterio-

steriorum facta per eos qui ecclesiis & monasteriis ipsis præerant, seu illam administrationem seu commendam, aut ut aliis unita obtinebant, seu resignatione aliorum quorumque beneficiorum ecclesiasticorum, seu cessione juris in eis vel ad ea quomodolibet competenti, aut privationis vel dispositionis, aut censurarum fulminatione, etiam in litteris apostolicis a nobis & sede apostolica, etiam motu proprio, pro tempore emanatis quæ in manibus Romani pontificis factæ dicuntur, contentis, etiamsi super illis narratis fundaretur intentio, constare & apparere deberet per publica instrumenta vel documenta authentica; alioquin tam in judicio quam extra illud narrativis & assertionibus hujusmodi in præjudicium tertii minime stari, nec ex illis alicui præjudicium afferri deberet, nisi de hujusmodi narrativa & assertione etiam in litteris apostolicis facta, altero ex præmissis modis doceretur, innovamus, illamque perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari mandamus.

TITULUS XVII.

De perpetua stabilitate Concordatorum.

ET quia supra dictam concordiam cum præfato Francisco rege, ob illius sinceram devotionem quam erga nos & sedem prædictam habet, cum ad præstandam nobis reverentiam & filialem obedientiam, ad civitatem nostram Bononiæ personaliter venire dignatus est, consentimus, illamque inviolabiliter observari desideramus; illam vero contractus & obligationis inter nos & sedem apostolicam prædictam ex una, & præfatum regem & regnum suum ex altera partibus, legitime initi, vim & robur obtinere, ac illi & præsentibus in aliqua sui parte per quascunque litteras & gratias per nos & successores nostros desuper concedendas derogari, clausulamque cum earumdem derogatione, præsentium tenore, latissime extendenda, ac quod eædem præsentes litteræ & earum tenor pro expressis habeantur, in quibusvis supplicationibus, pro tempore signatis appositam nihil penitus operari, & illius vigore in litteris apostolicis super ipsius supplicationibus conficiendis quidquam per quod præsentibus aut alicui particulæ de contentis in eis derogaretur, seu derogari videretur, narrari non possit; & sic per quoscunque judices & commissarios etiam causarum dicti palatii apostolici auditores & præfatæ Romanæ ecclesiæ cardinales, in quibusvis causis super præmissis vel eorum aliquo non pro tempore motis judicari, definiri & sententiari debere, sublata eis aliter sententiandi & diffiniendi omnimoda facultate & auctoritate, nec non irritum & inane quidquid secus super his, vel eorum aliquo a quoquam quavis auctoritate etiam per nos & successores nostros prælatos, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Volumus autem, quod si præfatus rex præsentes litteras ac omnia & singula in eis contenta quæ in prima futura sessione præsentis concilii Lateranensis approbari & confirmari facere promittimus, infra sex menses a die approbationis & confirmationis hujusmodi computandos, non approbaverit, & ea ratificarit perpetuis futuris temporibus in regno suo & omnibus aliis locis & dominiis dicti regni per omnes prælatos & alias etiam ecclesiasticas personas ac curias parlamenti. acceptari, legi, publicari, jurari & registrari, ad instar aliarum constitutionum regiarum, & de acceptatione, lectione, publicatione, juramento & registratione prædictis, infra prædictum tempus, omnium & singulorum supradictorum patentes litteras, aut authenticas scripturas nobis non transmiserit, aut nuntio nostro apud ipsum regem existenti per eum ad nos mittendas non consignaverit, & deinde singulis etiam legi & (prout aliæ ipsius Francisci regis constitutiones & ordinationes quæ in viridi sunt observantia, observari debent) inviolabiliter observari cum effectu non fecerit; præsentes litteræ & inde secuta quæcunque sint cassa & nulla, nulliusque roboris vel momenti.

Et cum omnium quæ in regno, delphinatu & comitatu prædictis aguntur, notitiam non habeamus, consuetudines, statuta seu usus, libertati ecclesiasticæ & auctoritati sedis apostolicæ quomodolibet præjudicantia, si qua in regno, delphinatu & comitatu prædictis alias quam in præmissis existant, non intendimus nobis & eidem sedi in aliquo præjudicare, seu illa tacite vel expresse quomodolibet approbare.

Et nihilominus præfato Francisco & pro tempore existenti Francorum regi in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus per se vel alium seu alios in dignitate ecclesiastica constitutos, præsentes litteras ac omnia & singula in eis contenta, quando & quoties opus fuerit, publicari & ea inviolabiliter observari faciat, contradictores, cujuscunque dignitatis & præeminentiæ fuerint, per censuras ecclesiasticas & pecuniarias pœnas, aliaque juris & facti quævis opportuna remedia, appellatione qualibet, omnino postposita, compescendo, non obstantibus omnibus supra dictis, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint; per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, suspensionis, astrictionis, declarationis, præcepti, injunctionis, monitionis, innovationis, consensus, decreti, voluntatis, promissionis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexto-decimo, quinto-decimo calendas Septembris, pontificatus nostri anno quarto.

TITULUS XVIII.

Conclusio Concilii generalis Lateranensis.

NOs igitur, ut litteræ ipsæ quæ ob id præcipue editæ fuerunt, ut in corpore mystico, sancta videlicet Ecclesia, perpetua charitas & pax inviolata perdurent, & si qua membra dissentiant, ea commode reinserantur corpori, eo magis observentur, quo clarius constiterit, ipsas litteras ea matura & salubri deliberatione a nobis, dicto sacro Lateranensi approbante concilio, approbatas & innovatas, qua statutæ & ordinatæ fuerunt; licet ad earumdem litterarum subsistentiam & validitatem alia approbatione non indigerent; ad abundantiorem tamen cautelam, ut eo tenacius observentur, & difficilius tollantur, quo tantorum patrum fuerint majore approbatione munitæ; litteras prædictas cum omnibus & singulis statutis, ordinationibus, decretis, diffinitionibus, pactis, conventionibus, promissione, voluntate ac pœnis, inhibitione, aliisque omnibus & singulis clausulis in eis contentis, illa præsertim qua volumus, quod si præfatus Franciscus rex supra dictas litteras, ac omnia & singula in eis contenta, intra sex menses a data præsentium computandos, non approbaret & ratificaret, & ea perpetuis futuris temporibus in regno suo & aliis locis & dominiis dicti regni, per omnes prælatos & alias ecclesiasticas personas ac curias parlamentorum acceptari, legi, publicari, jurari & registrari, ad instar aliarum constitutionum regiarum; & de acceptatione, lectione, publicatione, juramento & registratione prædictis, intra prædictum tempus, per omnium & singulorum supradictorum patentes litteras aut authenticas scripturas nobis non transmitteret, aut nuntio nostro apud ipsum regem existenti, per eum ad nos destinandas non consignaret; & deinde singulis annis etiam legi, & (prout aliæ ipsius Francisci regis constitutiones & ordinationes quæ in viridi sunt observantia, observari debent) inviolabiliter observari cum effectu non fecerit, litteræ ipsæ & inde secuta, quæcunque essent, cassa & nulla, nulliusque roboris vel momenti (sacro Lateranensi concilio approbante) apostolica auctoritate & potestatis plenitudine approbamus & innovamus; easque inviolabiliter & irrefragabiliter observari & custodiri mandamus; roburque perpetuæ firmitatis in eventum dictarum approbationis & ratificationis non aliter, nec alio modo obtinere, omnesque in dictis litteris comprehensos ad ipsarum litterarum, ac omnium & singulorum in eis expressorum observationem, sub censuris & pœnis ac aliis in eis contentis, juxta earumdem litterarum tenorem & formam, teneri & obligatos esse decernimus & declaramus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis quæ in dictis litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innovationis, decreti & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ in publica sessione, in Lateranensi sacrosancta Basilica, solemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo, sexto-decimo calendas Januarii, pontificatus nostri anno quarto.

Sic signatum, visa L. Salvi. Bembus. Jo. de Madrigal.

Et in dorso, registrata apud me Bembum.

TITULUS XIX.

Sequuntur Litteræ patentes Regis pro acceptatione & confirmatione Concordatorum.

QUocirca dilectis & fidelibus conciliariis nostris ad præsens tenentibus, & qui in futurum nostra tenebunt Parlamenta, omnibusque justitiariis regni nostri & delphinatus ac comitatus nostrorum, cæterisque officiariis, & subditis nostris, & eorum cuilibet, (prout ad eum pertinuerit) mandamus, districtius injungentes, quatenus omnia præmissa & singula teneant, custodiant & conservent in sua roboris plenaria firmitate; & in causis quibuscunque, occasione præmissorum, de cætero orituris & emersuris; secundum deliberationes & conclusiones præscriptas judicent, pronuntient & sententient, atque ab omnibus subditis & incolis nostrorum regni, delphinatus ac comitatus inviolabiliter faciant in omnibus & per omnia observari; prædictas personas ecclesiasticas & sæculares ac earum quamlibet in omnibus & singulis superius expressis ab omni turbatione, violentia, impressione, molestatione, vexatione, damno & impedimento tueantur, protegant pariter & defendant; omnes & quascunque personas, cujusvis conditionis ac status fuerint, contra facientes aut venientes taliter puniendo, quod in posterum cæteris cedat in exemplum; quoniam sic fieri volumus & jubemus per præsentes; in cujus rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum Parisiis, XIII. mensis Maji, anno Domini millesimo quingentesimo decimo-septimo, & regni nostri tertio. Sic signatum supra plicam; per regem, dominis ducibus Alenconii, Borbonii & Vindocinensi, vobis dominis d'Orval, de la Trimoville, de Boisi magno magistro, Bastardo Sabaudiæ de la Palice, & de Chatillon, marefchalibus Franciæ & aliis præsentibus. ROBERTET.

Arrestum Verificationis Parlamenti.

Lecta, publicata & registrata ex ordinatione & de præcepto domini nostri Regis, reiteratis vicibus, facto in præsentia domini de Trimollia, primi chambellani dicti domini nostri Regis, ad hoc per eum specialiter missi, Parisiis in Parlamento XXII. die Martii, anno Domini millesimo quingentesimo decimo-septimo. Sic signatum, *Pichon*.

TITULUS XX.

De Prorogatione Temporis ad recipiendum & approbandum Concordata, tam a Prælatis Regni, quam ab aliis personis, & ad verum valorem Beneficiorum exprimendum.

FRANCISCUS, Dei gratia, Francorum Rex, Mediolani dux & Genuæ dominus, universis præsentes litteras inspecturis salutem. Cum urgenti necessitate evidentique commodo & utilitate rei publicæ regni nostri ducti, ad evitanda majora pericula quæ ex revocatione Pragmaticæ in futurum eventura cernebamus, sive illi revocationi obediretur, sive non obediretur, quæ unicuique recte sentienti latissime constare possunt, certa iniverimus cum sancta sede apostolica Concordata, in quibus inter cætera cautum est, quod infra sex mensium spatium illa publicari & registrari, necnon jurari in curiis nostris Parlamentorum efficeremus. Ecclesiamque Gallicanam illis consentire, alias nullius essent momenti; quæ nullatenus ob brevitatem temporis, aliis etiam urgentibus negotiis occupati perficere valuimus. Idcirco ne in rete (quod verebamur) incideremus, & ne commodo & utilitate dictorum Concordatorum frustraremur, a sede apostolica, post lapsum dicti spatii sex mensium, unius anni prorogationem obtinuimus.

Cæterum, cum in dictis Concordatis inter cætera etiam caveretur, quod varus valor beneficiorum in illorum impetrationibus exprimendus sit, timendum erat, ne ambitiosi, sub prætextu veri valoris non expressi, jam dicta impetrarent beneficia.

Igitur ut prædictis malitiis via præcluderetur, a sanctissimo Domino nostro Papa Leone X. rescriptum obtinuimus, quo impetrationes, prætextu veri valoris non expressi, obtentæ, infra annum illius rescripti, in quo verus valor non fuisse expressus asseritur, nullius valoris ac momenti esse declararentur. Quarum bullarum seu rescriptorum tenor sequitur, & est talis.

PAPA AD REGIS POSTULATIONEM PROROGAT

sex menses datos ad approbandum Concordata, ad annum, a data præsentium computandum.

LEO, episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Francisco, Francorum regi Christianissimo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum siquidem inter alia, cum irritantis appositione decreti, statuimus & ordinavimus, quod ex tunc de cætero occurrentibus cathedralium & metropolitanarum ecclesiarum ac monasteriorum in regno Franciæ & delphinatu ac comitatu Diensi & Valentinensi consistentium vacationibus, dilecti filii, ecclesiarum, capitulorum & monasteriorum conventus ad electiones, seu postulationes futurorum archiepiscoporum, episcoporum ac abbatum, ecclesiarum & monasteriorum vacantium pro tempore hujusmodi procedere non valerent, sed Majestas tua ad ecclesias & monasteria hujusmodi sic vacantia, infra certum tunc expressi temporis spatium, nobis & pro tempore existenti Romano pontifici personas idoneas, certo tunc expresso modo qualificatas, ad eamdem nominationem per nos & Romanum pontificem hujusmodi ecclesiis & monasteriis eisdem præficiendas nominare valeres, prout in nostris inde confectis litteris (in quibus voluimus, quod si Majestas tua omnia in illis statuta, ordinata & contenta, infra sex menses post tunc proximam futuram sessionem Lateranensis concilii tunc vigentis, non approbares & confirmares, & a prælatis ac aliis personis tunc expressis regni tui approbari non faceres, litteræ ipsæ nullius essent roboris vel momenti) plenius continetur.

Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, Majestas tua propter varias occupationes quibus ad præsens implicitus existis, ac ex certis aliis rationabilibus causis, infra dictum semestre, intra quod adhuc existis, in dictis litteris contenta, per prælatos & personas regni tui hujusmodi approbari facere posse commode non confidat; nos itaque tuis in hac parte supplicationibus inclinati semestre prædictum, infra quod adhuc existis, ad annum a data præsentium computandum, auctoritate apostolica, tenore præsentium prorogamus pariter & extendimus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis quæ voluimus in dictis litteris non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prorogationis & extensionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimo-septimo, calendis Julii, pontificatus nostri anno quinto.

ALTERA PROROGATIO

PETITUR AD ANNUM,

A fine alterius computandum, eo quod propter varias occupationes non fuit Concordatum approbatum & receptum a Regnicolis.

FRANCISCUS, Dei gratia, Francorum Rex, Mediolani dux & Genuæ dominus, universis præsentes litteras inspecturis notum sit & manifestum, quod cum jamdudum a sancta sede Apostolica certæ litteræ apostolicæ per nos obtentæ fuissent quibus semestre, infra quod nos & Ecclesia Gallicana approbare debebamus Concordata inter sanctam sedem apostolicam & nos inita, per annum prorogatum extiterat; verum quia, durante dicto anno, aliis occupati negotiis dictam approbationem & confirmationem a prælatis aut aliis personis ibidem expressis approbari seu confirmari minime fecerimus, idcirco alias litteras apostolicas ab eadem sede obtinuimus, quibus annum jam dictum ad alium a fine illius computandum denuo prorogari fecimus, prout in dictis litteris (quarum tenor sequitur) plenius continetur.

CON-

CONCEDITUR
SECUNDUS ANNUS

A fine primi computandus, ad hoc, ut Concordata recipiantur & observentur a Regnicolis.

LEO, episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Cristo filio Francisco, Francorum regi Christianissimo, salutem & apostolicam benedictionem. Dudum siquidem inter alia, cum irritantis appositione decreti, statuimus & ordinavimus, quod ex tunc de cætero occurrentibus ecclesiarum cathedralium & metropolitanarum, ac monasteriorum in regno Franciæ & delphinatu, ac comitatu Diensi & Valentinensi consistentium vacationibus, dilecti filii, ecclesiarum capitula, & monasteriorum conventus ad electiones seu postulationes futurorum archiepiscoporum, episcoporum, ac abbatum ecclesiarum & monasteriorum vacantium pro tempore hujusmodi procedere non valerent; sed Majestas tua ad ecclesias & monasteria hujusmodi sic vacantia infra certum tunc expressi temporis spatium nobis pro tempore existenti Romano pontifici personas idoneas, certo tunc expresso modo qualificatas, ad eamdem nominationem, per nos Romanum pontificem hujusmodi ecclesiis & monasteriis eisdem præficiendas nominare valeret; ac voluimus, quod si Majestas tua in illis statuta, ordinata, conventa, infra sex menses, post tunc proximam futuram sessionem Lateranensis concilii tunc vigentis non approbaret & confirmaret, & a prælatis & aliis tunc expressis regni tui approbari non faceret, litteræ ipsæ nullius essent roboris vel momenti. Et deinde pro parte tua nobis exposito, quod Majestas tua propter varias occupationes quibus tunc implicitus eras, ac ex certis aliis rationabilibus causis, infra dictum semestre, infra quod tunc adhuc existebas, in dictis litteris contenta per prælatas & personas regni tui hujusmodi approbari facere commode non confidebat; nos per alias nostras litteras semestre prædictum, infra quod tunc adhuc existebas, ad annum a data posteriorum litterarum hujusmodi computandum prorogavimus pariter & extendimus, prout in singulis litteris prædictis plenius continetur.

Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, Majestas tua litteras priores prædictas juxta voluntatem nostram approbavit & confirmavit, & publicari fecit, & approbari facere intendebat, fecissetque, nisi a litterarum priorum editione, ac tuis approbatione & confirmatione, ac earumdem priorum litterarum publicatione hujusmodi, temere appellatum fuisset. Et propterea nobis humiliter supplicari fecisti, ut annum prædictum, infra quem existis, ad alium annum prorogare de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, annum prædictum, infra quem adhuc Majestas tua existit, ad alium annum a fine primi hujusmodi computandum, auctoritate apostolica, tenore præsentium, prorogamus pariter & extendimus, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus apostolicis, nec non omnibus illis quæ in prioribus & posterioribus litteris prædictis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1518. sexto calendas Julii, pontificatus nostri anno sexto.

Quocirca dilectis & fidelibus consiliariis nostris curias nostras Parlamenti tenentibus, necnon seneschallis, baillivis, præpositis, aliisque justitiariis & officiariis nostris harum serie mandamus & injungimus, quatenus has præsentes in suis registris registrent, ut, si pro rebus & negotiis in dies occurrentibus, illis quis egere habuerit, ex dictis registris illas extrahere possit & valeat. Cui extracto debito modo facto talem fidem haberi volumus, ac si dictarum bullarum originale exhiberet; nam sic nobis placet, &, quatenus opus est, ex nostra certa scientia, & potestatis plenitudine, ita fore ordinamus. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum Baugiaci, die 25. mensis Octobris, anno Domini 1518. & regni nostri quinto. Per Regem, *Gedoyn*.

PROROGATIO
TEMPORIS.
TITULUS XXI.

De Annatis.

LEO, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanus pontifex (cui tot tantaque in spiritualibus & temporalibus providenda incumbunt), rerum & temporum qualitate pensata, nonnulla, prout ad cunctorum clericorum beneficia ecclesiastica a sede apostolica pro tempore impetrantium commoda & utilitates, ac litibus & fraudibus obviandum oportere conspicit, salubriter ordinat & disponit.

Nuper siquidem inter constitutiones, ad laudem Dei & Christifidelium pacem & quietem, de fratrum nostrorum consilio, cum charissimo in Christo filio nostro Francisco, Francorum rege Christianissimo matura deliberatione concordatas statuimus, quod in provisionibus quos personis quibusvis regni Franciæ ac delphinatus, & comitatus Diensis & Valentinensis de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis per nos & successores nostros & sedem prædictam, etiam motu proprio, etiam promotis ad ecclesias cathedrales & metropolitanas & monasteria (ut obtenta per eos beneficia retinere possint) fieri contingeret, illorum verus annuus per florenos aut ducatos auri de camera, aut libras Turonenses, seu alterius monetæ valor secundum communem æstimationem exprimi deberet; alioquin gratiæ ipsæ essent ipso jure nullæ.

Cum autem (sicut accepimus) contingeret personas regni & delphinatus ac comitatus hujusmodi vacatione beneficiorum in locis remotis regni ac delphinatus & comitatus eorumdem, per obitum pro tempore vacantia intellecta, eorum veri valoris notitiam habere non posse; & veri valoris hujusmodi notitia non habita, ad illa a Romano pontifice impetrandum, celerem nuntium ad sedem prædictam destinare, & signaturam supplicationis super illorum impetratione cum facultate verum annuum valorem beneficiorum hujusmodi in litterarum super hujusmodi supplicationibus expeditione augendi obtinere, & ad effectum possessionem beneficiorum hujusmodi assequendi, litteras super hujusmodi impetrationibus, cum minus vera valoris beneficiorum eorumdem expressione expedire, & absque eorum culpa, diligentia & expensis pro impetratione hujusmodi obtinenda factis, & gratia eis a nobis concessa & illius effectum frustrari, ac per posteriores (qui, nulla adhibita diligentia, cum expressione veri valoris, eadem beneficia a sede prædicta impetrarunt) excludi ac desuper propterea molestari;

Nos qui subditorum nostrorum commoda libenter procuramus, ac eos a litibus & expensis, quantum cum Domino possumus, relevamus, motu proprio ac ex certa nostra scientia ac de apostolicæ potestatis plenitudine, statuimus & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus impetrantes beneficia in regno, delphinatu & comitatu prædictis per obitum dumtaxat vacantia, si verum annuum valorem beneficiorum in litteris apostolicis quæ super dictis beneficiis expeditæ fuerint, non expresserint, infra annum a die datæ litterarum earumdem computandum, valorem ipsum male expressum corrigi per officiales (ad quos expeditio litterarum hujusmodi pertinet, & a quibus correctiones litterarum earumdem fieri consueverunt) petere; ipsique officiales ipsarum litterarum expeditioni præsidentes, ad eorumdem impetrantium simplicem petitionem, valorem ipsorum ad verum annuum valorem, juxta petentium voluntatem, in eisdem litteris reducere & corrigere, ipsique impetrantes pro augmento valoris expressi dumtaxat annatam cameræ apostolicæ solvere debeant & teneantur; decernentes quascunque impetrationes posteriores de dictis beneficiis, ratione non expressionis veri valoris hujusmodi, infra dictum annum factas, nullius roboris vel momenti esse & pro infectis haberi debere.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexto-decimo calendas Octobris, pontificatus nostri anno quarto.

De Registratione Concordatorum in Curiis facienda.

Quocirca dilectis & fidelibus consiliariis curias nostras Parlamenti tenentibus, necnon senescallis, baillivis, præpositis, aliisque justitiariis & officiariis nostris harum serie mandamus & injungimus, quatenus præsentium tenore suis in registris registrent, ut, si pro rebus & negotiis in dies occurrentibus, illis quis egere habuerit, ex dictis registris illas extrahere possit & valeat; cui extracto debito modo facto talem fidem haberi volumus, ac si prædictarum bullarum originale exhiberent; nam sic fieri volumus, &, quatenus opus esset, ex nostra certa scientia & potestatis plenitudine ita fore ordinamus. Datum Ambasiæ, die duodecima mensis Aprilis, anno Domini millesimo quingentesimo decimo-octavo, & regni nostri quarto.

Super plica scriptum est, per Regem, ita signatum: *Robertet*; obsignatumque ad duplicem caudam ex cera flava.

DE REGIA FACULTATE

PRIMUM MENSEM

Graduatis debitum nominandi.

FRANCISCUS, Dei gratia, Francorum Rex, Mediolani dux & Genuæ dominus; Cum superioribus diebus certa iniverimus Concordata cum sanctissimo domino nostro Papa Leone decimo, quibus, inter cætera, ordinatur, quatenus beneficia vacantia primo mense post publicationem illorum, afficiantur graduatis simplicibus;

Verum cum ex diversitate temporum quibus jam dicta Concordata publicata in Parlamentis nostris fuere, dictorum mensium diversitas confusionem, litium educatricem generare verisimiliter potuisset; Nos igitur, ut dictæ confusioni obicem apponeremus, a jam dicto Domino sanctissimo domino nostro Papa litteras apostolicas obtinuimus, quarum tenor de verbo ad verbum inferius describitur, quibus permissum & concessum est illum primum mensem exprimere nobis ac nominare licere.

Ea propter facultatem nobis a sede apostolica prædicta concessam insequentes, considerantesque dicta Concordata in curia nostra Parlamenti Parisiis in mense Martii ultimo præteriti fuisse publicata; mensem præteritum Aprilis, dictam publicationem immediate sequentem, pro proximo mense eligimus & nominamus; ex cujus initio ordo & computatio sequentium mensium, ut, qui menses graduatis simplicibus, necnon graduatis nominatis, ac ordinariis collatoribus spectant, sciant, & juxta illorum ordinem beneficiis in illis vacantibus provideatur, tenorem dictorum Concordatorum insequendo, nullo habito respectu ad tempus publicationis eorumdem Concordatorum aliis curiis nostris Parlamenti factæ.

Quocirca dilectis & fidelibus consiliariis nostris Parlamenta Parisiis, Tolosæ Burdegalæ, Rothomagi, Divione, Gratianopoli tenentibus, necnon cæteris nostris justitiariis & officiariis mandamus & injungimus, quatenus has præsentes litteras nostras publicare habeant, necnon suis registris registrare, ut nemo ignorantiæ causam prætendere possit, aut valeat; & juxta tenorem jam dictæ facultatis nobis concessæ, & declarationis per nos factæ, processus judicare habeant; quia sic fieri volumus, & ita nobis placet, non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus.

SEQUITUR TENOR

Dictarum Litterarum Apostolicarum.

LEO, episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Francisco, Francorum regi Christianissimo salutem & apostolicam benedictionem. Dudum siquidem, inter alia, cum irritantis appositione decreti, statuimus & ordinavimus, quod ex tunc de cætero occurrentibus ecclesiarum cathedralium etiam metropolitanarum, ac monasteriorum in regno Franciæ & delphinatu, ac comitatu Diensi & Valentinensi consistentium vacationibus, dilecti filii, ecclesiarum capitula, & monasteriorum conventus ad electiones, seu postulationes futurorum archiepiscoporum, episcoporum ac abbatum ecclesiarum & monasteriorum vacantium pro tempore hujusmodi procedere non valerent; sed Majestas tua ad ecclesias & monasteria hujusmodi sic vacantia, infra certum tunc expressi temporis spatium, nobis est pro tempore existenti Romano pontifici personas idoneas, certo tunc expresso modo qualificatas, ad eamdem nominationem per nos, & Romanum pontificem hujusmodi, ecclesiis & monasteriis eisdem præficiendas, nominare valeret; prout in nostris inde confectis litteris (in quibus inter alia, quod primo mense post earumdem litterarum acceptationem & publicationem, ordinarii collatores, dignitates, personatus, administrationes & officia ad eorum collationem, provisionem, nominationem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem spectantia graduatis simplicibus sub certis modo & forma tunc expressis conferre, & de illis etiam providere deberent, caveatur) plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, propter diversa tribunalia plurium Parlamentorum in regno, delphinatu & comitatu prædictis consistentia, in quibus litteras & in eis constitutas & expressas constitutiones publicari, & acceptari diversis temporibus propter locorum distantiam oportet, super primo mense (qui ordinariis collatoribus ad conferendum graduatis conceditur,) qui sit, plures lites, & dispendia partium super hoc exoriri contingere possit; nos litibus & dispendiis hujusmodi, pro nostri pastoralis officii debito, obviare volentes; & ne, quis mensis sit deinceps hujusmodi, dubitari aut hæsitari contingat, Majestati tuæ, ut per publicationem & acceptationem litterarum Concordatorum hujusmodi, primum mensem hujusmodi, quis sit, exprimere & nominare possit & valeat, motu proprio, & ex nostra certa scientia, auctoritate apostolica, tenore præsentium, licentiam & facultatem concedimus, pariterque indulgemus, non obstantibus omnibus quæ in eisdem litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1518. XVIII. Kal. Julii, pontificatu nostri anno sexto. Sic signatum supra plicam, Ja. QUESTEMBERG.

In testimonium quorum, his præsentibus sigillum nostrum duximus apponendum. Datum Baugiaci, die 5. mensis Octobris, anno Domini 1518. & regni nostri quarto. Per regem, GEDOYN. Lecta, publicata & registrata, Tolosæ in Parlamento, 22. die Novembris, anno Domini millesimo quingentesimo decimo-octavo. MICHAELIS.

DE POENA

Temere venientium contra hujusmodi Concordata.

FRANCISCUS, DEI GRATIA, FRANCORUM REX, Mediolani dux, & Genuæ Dominus, universis præsentes litteras inspecturis salutem. Cum pro corroboratione, nec non observatione decretorum Concordati per nos cum sanctissimo domino nostro Papa Leone decimo initi, necessarium ac utile foret, ut a sancta sede apostolica illius Concordati protectores constituerentur, ut utroque mucrone institutis Concordatorum non parentes punirentur; litteras apostolicas a jam dicta sede apostolica obtinuimus, quarum tenor inferius describitur, quibus illorum Concordatorum protectio nobis concessa est. Quocirca dilectis & fidelibus consiliariis nostris, Parlamenta nostra Parisiis, Tolosæ, Burdegalæ, Rothomagi, Divione & Gratianopoli tenentibus, nec non cæteris nostris justitiariis & officiariis mandamus & injungimus, quatenus, juxta facultatem nobis concessam, eorum Concordatorum infractores pœnis legitimis afficiant; & ea quæ in contrarium dictorum Concordatorum attentaverint, in pristinum statum reducant seu reduci faciant, compescendo compescendos, omnibus viis rationabilibus & debitis. Et ut nemo jam dictæ nostræ protectionis ignorantiam prætendere valeat, eas præsentes publicare, & in registris suis registrare faciant indilate; quoniam nobis sic placet, & ita fieri volumus, non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus.

DE

DE
PROTECTIONE
CONCORDATORUM

Franciæ Regibus concessa.

LEO, episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Francisco, Francorum regi Christianissimo salutem & apostolicam benedictionem. Dudum siquidem, inter alia, cum irritantis appositione decreti, statuimus & ordinavimus, quod ex tunc de cætero occurrentibus ecclesiarum cathedralium etiam metropolitanarum, ac monasteriorum in regno Franciæ & delphinatu, ac comitatu Diensi & Valentinensi consistentium vacationibus, dilecti filii, ecclesiarum capitula & monasteriorum conventus ad electiones seu postulationes futurorum archiepiscoporum, episcoporum ac abbatum ecclesiarum, & monasteriorum vacantium pro tempore hujusmodi procedere non valerent, sed Majestas tua ad ecclesias & monasteria hujusmodi sic vacantia, intra certum tunc expressi temporis spatium, & nobis & pro tempore existenti Romano pontifici personas idoneas, certo tunc expresso modo qualificatas, ad eamdem nominationem per nos & Romanum pontificem hujusmodi ecclesiis & monasteriis eisdem præficiendas nominare valeret, prout in nostris inde confectis litteris (in quibus Majestati tuæ, & pro tempore existenti Francorum regi, in virtute sanctæ obedientiæ, quod per te vel alium, seu alios in dignitate ecclesiastica constitutos easdem litteras, ac omnia & singula in eisdem contenta, quando & quoties opus foret, publicari & inviolabiliter observari faceret, mandavimus) plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, nonnulli regni, delphinatus & comitatus prædictorum & a quorum cordibus Dei timor abest, litteras hujusmodi & per eas editas constitutiones & in eis contenta plene acceptare recusent, & illis non sine spiritu blasphemiæ, & censurarum in eis contentarum incursu, verbo & opere, si possent, contravenire contendant; Nos ea quæ tanta maturitate, consilio & sacri tunc vigentis Lateranensis concilii approbatione discussa, statuta, ordinata, facta & concessa sunt, ut inviolabiliter & inconcusse, prout par est, observentur, pro nostri pastoralis officii debito provideri volentes, quamquam aliis litteris nostris, temerariis ausibus contravenire nitentibus occurrerimus, eorumque ora obstruxerimus; motu proprio, & ex nostra certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, cum deceat sæcularem potestatam, præsertim lingua, ecclesiasticam juvare potestatem, in his præsertim quæ animarum salutem concernunt; Majestatem tuam, & pro tempore existentem Francorum regem, litterarum prædictarum, ac per eas editarum constitutionum, & omnium ac singulorum in eis contentorum legitimos protectores, defensores & conservatores, necnon quorumvis adversus illas & in eis contenta venire tentantium, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, vel nobilitatis existentium, ac quacunque mundana dignitate fulgentium, invictissimos oppugnatores, auctoritate apostolica, tenore præsentium, constituimus & deputamus, non obstantibus quæ in dictis litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1518. XVII. Kalendas Julii, pontificatus nostri anno sexto. Sic signatum sub plica, *Joan.* SADOLETUS, & supra plicam, *Ja.* QUESTEMBERG.

In testimonium quorum, his præsentibus sigillum nostrum duximus apponendum: Datum Baugiaci, die 25. mensis Octobris, anno Domini 1518. & regni nostri quarto. Per regem, GEDOYN.

CONCORDATUM
NATIONIS GERMANICÆ,

Initum inter FRIDERICUM III. Imperatorem, & cardinalem SANCTI ANGELI, Legatum *a latere*, & NICOLAI Papæ V. ratihabitione firmatum, pro nominatione ad Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, Prælaturas, & alia Imperii Beneficia.

Executioni mandatum in Regionibus acquisitis a Galliarum Rege, in Germania, &c. An. 1447.

NICOLAUS, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad sacram Petri sedem divina dispensatione sublimati, singulis quæ pro universalis Ecclesiæ unione ac pace & tranquillitate profutura conspicimus, apostolicæ providentiæ sollicitudine libenter intendimus, & ad felicem illorum prosecutionem & consummationem, opem & operam impendimus efficaces.

Nuper siquidem charissimus in Christo filius noster, Fridericus, Romanorum rex illustris, & nonnulli alii dilecti filii, ecclesiastici & sæculares principes inclytæ nationis Germanicæ ex una, ac dilectus filius noster Joannes, sancti Angeli diaconus-cardinalis, in partibus illis apostolicæ sedis de latere legatus, per nos ad dictas partes missus, sufficienti desuper a nobis, & sede apostolica, auctoritate suffultus ex alia partibus, Romanæ Ecclesiæ & dictæ nationis nominibus, pro ipsius Ecclesiæ unione, pace & tranquillitate, inter Ecclesiam & nationem perpetuo solidandis & confovendis, diversa rationabilia & utilia, ordinationes, & statuta a partibus ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, acceptata & concordata fecerunt, ac ediderunt, nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut illis, pro firmiore eorum subsistentia, robur apostolicæ firmitatis adjicere, necnon auctoritatem potiorem, & decretum interponere dignaremur.

Nos itaque qui statuta, ordinationes & concordata prædicta per nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, magnarum maturitatis, auctoritatis & litteraturæ viros diligenter examinari & discuti fecimus, eaque rationabilia & salubria tam Ecclesiæ quam nationi præfatæ comperimus, de dictorum aliorum venerabilium fratrum nostrorum prædictæ Ecclesiæ cardinalium consilio & assensu, apostolica auctoritate, & ex certa scientia approbamus, ratificamus, laudamus & acceptamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, juxta modum & formam subsequentes.

Placet nobis super ecclesiarum & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunque provisionibus, uti juris scripti reservationibus, &, *Execrabilis*, &, *Ad regimen* Constitutionibus modificatis, ut sequitur.

Ad regimen Ecclesiæ generalis, quamquam immeriti superna dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostra diligentia studium, ad quarumlibet ecclesiarum & monasteriorum regimina, & alia beneficia ecclesiastica, juxta divinum beneplacitum & nostræ intentionis affectum, viri assumantur idonei qui præsint & prosint committendis eis ecclesiis, monasteriis & beneficiis prælibatis.

Præmissorum itaque consideratione inducti, & suadentibus nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, omnes patriarchales, archiepiscopales, episcopales ecclesias, monasteria, prioratus, dignitates, personatus & officia, necnon canonicatus, & præbendas & ecclesias cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, sæcularia & regularia, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint, per electionem, seu quemvis alium modum assumi, nunc apud sedem apostolicam quocunque modo vacantia, & in posterum vacatura, necnon per depositionem, vel privationem, seu translationem per nos, seu auctoritate nostra factas, & in antea faciendas ubilibet, necnon ad quæ ali-

aliqui in concordia vel discordia electi sive postulati fuerint, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renuntiatio, & admissa auctoritate nostra extiterit, seu quorum electorum, vel postulatorum, & in antea eligendorum vel postulandorum electionem cassari, seu postulationem repelli, aut renuntiationem admitti per nos, aut auctoritate nostra continget apud sedem prædictam, vel alibi ubicunque, & etiam per obitum cardinalium ejusdem Ecclesiæ Romanæ, aut officialium dictæ sedis, quamdiu ipsa officia actualiter tenebunt (videlicet, vicecancellarii, camerarii, septem notariorum, auditoris litterarum contradictarum, & apostolici palatii causarum actorum, correctorum, centum & unius scriptorum litterarum apostolicarum, & vigintiquatuor pœnitentiariorum præfatæ sedis & viginti quinque abbreviatorum, necnon verorum commensalium nostrorum & aliorum viginti quatuor capellanorum sedis ejusdem in epitaphio descriptorum,) & etiam quorumcunque legatorum, seu collectorum, ac in terris Romanæ Ecclesiæ rectorum, ac thesaurariorum deputatorum, seu missorum hactenus, vel deputandorum aut mittendorum in posterum, nunc vacantia, & in antea vacatura, ubicunque dictos legatos vel collectores seu rectores, & thesaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint, seu venerint, rebus eximi contigerit humanis, (*) necnon quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam curiam venientium, seu etiam recedentium ab eadem; si in locis a dicta curia ultra duas dictas leгas non distantibus jam forsan obierint, vel eos in antea ab hac luce transire contigerit, & etiam simili modo quorumcunque curialium, peregrinationis, infirmitatis seu recreationis, vel alia quacunque causa ad quævis loca secedentium, si eos, antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem curia, ut præmittitur, non remotis (dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem) jam forsan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio submoveri, & nunc per obitum hujusmodi vacantia, vel in posterum vacatura; rursus monasteria, prioratus & dignitates, decanatus, personatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendas & ecclesias, cæteraque beneficia *ecclesiastica*; sæcularia & regularia, cum cura vel sine cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per nos, seu auctoritate nostra ad patriarchalium, archiepiscopalium & episcopalium ecclesiarum, necnon monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocunque modo vacantia, aut in posterum vacatura, necnon etiam per assecutionem pacificam quorumcunque prioratuum, personatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum, ecclesiarum, aut beneficiorum aliorum per nos, seu auctoritate nostrarum litterarum immediate collatorum & conferendorum in posterum, præter quam si virtute gratiæ expectativæ assecutio fiet, nunc vacantia & in antea vacatura, (**) plena super præmissis omnibus & singulis cum fratribus nostris collatione præhabita & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni, ac provisioni nostræ, de ipsorum fratrum consilio, auctoritate apostolica reservamus; decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super præmissis & quolibet eorum per quoscunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Item placet nobis, quod in metropolitanis & cathedralibus etiam immediate non subjectis ecclesiis, & in monasteriis immediate subjectis sedi apostolicæ fiant electiones canonicæ quæ ad dictam sedem deferantur, quas etiam ad tempus constitutum in Constit. fel. record. Nicolai Papæ III. quæ incipit; *Cupientes*, expectabimus, &, elapso dicto tempore, si non præsentatæ, vel si præsentatæ minus canonicæ fuerint, providebimus, &, si canonicæ fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti causa, ac de dictorum fratrum consilio, de digniori & utiliori persona duxerimus providendum; proviso, quod confirmati prædicti, & per nos provisi metropolitanis suis & aliis præstent debita juramenta, & alia ad quæ de jure tenentur. Et in monasteriis dictæ sedi immediate non subjectis, & aliis regularibus beneficiis super quibus pro confirmatione vel provisione ad dictam sedem non consueverit haberi recursus, electi, seu illi quibus providendum est, pro confirmatione & provisione hujusmodi, ad curiam Romanam venire non tenebuntur; ipsaque regularia beneficia sub expectativis gratiis non cadent; ubi autem pro monasteriis ad dictam curiam venire seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus vel providebimus, quam superius de cathedralibus est expressum; & de monasteriis monialium non disponemus, nisi sint exempta, & tunc per commissionem ad partes.

De cæteris vero dignitatibus & beneficiis quibuscunque, sæcularibus & regularibus vacaturis, ultra reservationes prædictas (majoribus dignitatibus post pontificales in cathedralibus, & principalibus in collegiatis ecclesiis, exceptis) de quibus jure ordinario provideatur per illos inferiores ad quos alias pertinet.

Placet etiam nobis, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma, per nos, vel auctoritate nostra factam vel faciendam, non impediemus nos, quominus de illis, cum vacabunt in Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris & Decembris mensibus, libere disponatur per illos ad quos eorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat; reservationibus aliis a præmissis, aut dispositionibus auctoritate nostra factis vel faciendis, non obstantibus quibuscunque. Quoties vero, aliquo vacante beneficio in Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris & Novembris mensibus specialiter dispositioni dictæ sedis reservatis, non apparuerit infra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo apostolica auctoritate provisum fuerit; ex tunc, & non antea ordinarius, vel alius ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponere poterit.

Et ad finem, ut hæc ordinatio collationum beneficiorum non reservatorum, per alternos menses, possit per dictam nationem publicari, & omnes qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi; tunc quoad dictam sedem a calendis Junii proxime futuris ipsa currere incipiet, & durabit deinceps, nisi in futuro concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum.

Placet similiter nobis, quod circa provisionem dictæ sedis ordinandam, modus annatarum hoc modo currat. De ecclesiis cathedralibus omnibus, & monasteriis virorum dumtaxat, vacantibus, & vacaturis, solvantur de fructibus primi anni, a die vacationis, summæ pecuniarum in libris cameræ apostolicæ taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur; & si quæ excessive taxatæ sint, retaxentur; & quod provideatur specialiter in gravatis regionibus, secundum qualitatem rerum, temporum & regionum, ne nimium prægraventur, ad quod petentibus dabimus commissarios in partibus qui diligenter inquirant & retaxent. Taxæ autem prædictæ pro media parte, infra annum a die habitæ possessionis pacificæ totius vel majoris partis, solvantur; & pro alia media parte, infra annum sequentem. Et, si infra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvantur; nec debitum hujusmodi in successorem in ecclesia vel monasterio transeat.

De cæteris vero dignitatibus, personatibus, officiis & beneficiis sæcularibus ac regularibus quibuscunque, quæ auctoritate dictæ sedis conferentur, vel de quibus providebitur (præterquam vigore gratiarum expectativarum, aut causa permutationis), solvantur annatæ seu medii fructus, juxta taxam solitam, a tempore possessionis infra annum; & debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat.

Sed de beneficiis quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de camera non excedunt, nihil solvatur: duretque hæc observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro concilio de ipsius nationis consensu contingat immutari. In aliis autem quæ per fel. record. Eugenium Papam IV. etiam prædecessorem nostrum, pro dicta natione usque ad tempus futuri generalis concilii permissa, concessa, indulta & decreta, ac per nos confirmata fuerunt, in quantum illa concordiæ præsenti non obviant, ista vice nihil esse volumus immutatum. Et per hoc quod in Concordatis hujusmodi, sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis litteris, propter competentiorem descriptionem, Alamannia specialiter appellatur, natio ipsa censeri non debet a Germanica natione distincta, seu quomodolibet separata.

Præterea quia difficile foret præsentes litteras ad singula, de quibus in eis forsan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto, metropolitanorum dictæ nationis sigillo munito, tamquam præsentibus, si exhiberentur, litteris plena fides adhibeatur, & perinde statur,

(*) Subaudi, *reservamus auctoritate apostolica*, ut in fine hujus §.

(**) Repetendum hic rursus: *Auctoritate Apostolica reservamus*.

ftetur, ac fi dictæ præfentes litteræ forent exhibitæ vel oftenfæ. Et infuper quoque irritum & inane, fi fecus fuper his a quoquam, quavis auctoritate, fcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noftræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, refervationis, conftitutionis & voluntatis infringere, vel ei aufu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præfumpferit, indignationis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoftolorum ejus fe noverit incurfurum. Datum Romæ apud fanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millefimo quadringentefimo quadragefimo-feptimo, Kal. Aprilis, pontificatus noftri anno fecundo.

BULLA

PAULI PAPÆ III.

Quæ Indulti Conceffiones ab Eugenio Papa IV. quod Galliæ Cancellarium, & Parifienfis Parlamenti Præfides, Confiliarios aliofque Officiarios confirmat & ampliat.

An. 1538.

PAULUS, Epifcopus, fervus fervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum pontificem, ut ea quæ a prædeceffòribus fuis Romanis pontificibus, perfonis bene meritis præfertim fupremarum catholicorum regum curiarum, in juftitia miniftranda, operæ ac diligentiæ ftudia omni tempore impendentibus, gratiofe conceffa funt, dicatur approbare & innovare, ac defuper difponere, prout in Domino confpicit falubriter expedire. Sane chariffimus in Chrifto filius nofter Francorum rex Chriftianiffimus, (*) fuo, & dilectorum filiorum modernorum, cancellarii, præfidentium & confiliariorum fuæ fupremæ curiæ Parifienfis Parlamenti nominibus, nobis nuper exponi fecit, quod licet dudum Eugenius Papa IV. prædeceffor noster, procurante claræ memoriæ Carolo Francorum rege, tunc in humanis agente, litteras apoftolicas in forma gratiarum expectativarum, feu mandatorum de providendo, tunc & pro tempore exiftentibus, regni Franciæ cancellarios, nec non præfidentibus & confiliariis curiæ Parlamenti Parifienfis, quorum nonnulli laici effe confueverunt, ac per eofdem laicos, loco fui, nominandis parentibus, familiaribus, & aliis tunc expreffis, de ejufdem curiæ corpore & gremio exiftentibus perfonis, ad omnium & fingulorum epifcoporum, abbatum & capitulorum, ac aliorum ordinariorum collatorum dicti regni collationes & alias quaslibet difpofitiones, ita ut cancellario, præfidenti, confiliario clerico, feu perfonæ per cancellarium, præfidentem, aut confiliarium, feu aliam perfonam dictæ curiæ laicam, & ad obtinenda beneficia ecclefiaftica non capacem, nominatæ, ad ejufdem Caroli, & pro tempore exiftentis regis nominationem, uni ex eifdem ordinariis collatoribus, per fuas patentes litteras de perfona hujufmodi faciendam, de uno beneficio ecclefiaftico fæculari, vel cujufvis, etiam Cluniacenfis ordinis regulari, femel in cancellarii, præfidentis, confiliarii, feu perfonæ nominandæ, & ordinarii collatoris hujufmodi vita dumtaxat, per eumdem ordinarium collatorem provideri deberet, apoftolica auctoritate perpetuo conceffèrit, certis executoribus qui in dictorum ordinariorum collatorum negligentiam, perfonis, ut præfertur, nominatis de beneficiis hujufmodi providere poffent, defuper deputatis; tamen pro eo quod cancellarius, præfidentes, confiliarii, & perfonæ curiæ hujufmodi, qui pro tempore fuerunt, litteris & gratiis hujufmodi uti, & illarum effectum profequi forfan prætermiferunt, a nonnullis de viribus litterarum prædictarum hæfitatur. Quare Francifcus rex, fuo ac eorumdem modernorum, cancellarii, præfidentium & confiliariorum nominibus prædictis, nobis humiliter fupplicari fecit, ut, ne cancellarius, præfidentes ac confiliarii, & perfonæ curiæ ejufmodi, qui in reddendis juribus, in regno prædicto, continuo intenti exiftunt, dictarum litterarum fruftrentur effectu, in præmiffis opportune providere de benignitate apoftolica dignaremur. Nos modernos cancellarium, præfidentes & confiliarios præfatos, ac eorum fingulos a quibufvis excommunicatione, fufpenfione & interdicto, aliifque ecclefiafticis fententiis, cenfuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occafione vel caufa, latis, fi quibus quomodolibet innodati exiftunt, ad effectum præfentium dumtaxat confequendum, harum ferie abfolventes, & abfolutos fore cenfentes, hujufmodi fupplicationibus inclinati, litteras Eugenii prædecefforis hujufmodi, cum omnibus & fingulis in eis contentis claufulis, etiam ad hoc, ut cancellarius, præfidentes & confiliarii curiæ Parlamenti Parifienfis hujufmodi, nunc & pro tempore exiftentes, beneficia ecclefiaftica, fæcularia vel regularia, fub dictis gratiis comprehenfa affequi poffint, & de eifdem beneficiis, illorum pro tempore occurrente vacatione, per eofdem ordinarios collatores, aut judices per nos infra deputatos, illis provideri libere poffit; ita tamen, quod propterea perfonis, mandata, juxta formam Capituli, *Mandatum*, & duarum fequentium Decretalium, pro tempore habentibus, præjudicium aliquod non afferatur, prætextu nominationum in vim præfentium faciendarum, nec a profecutione mandatorum hujufmodi excludantur, vel mandatariis noftris præjudicium non afferatur, auctoritate apoftolica, tenore præfentium, approbamus, confirmamus & innovamus. Eifdem modernis & pro tempore exiftentibus cancellario, præfidentibus, confiliariis & perfonis curiæ hujufmodi, ut beneficia ecclefiaftica, fæcularia vel regularia, infra valorem ducentarum librarum Turonenfium, gratiarum expectativarum, feu litterarum mandati de providendo hujufmodi, ac nominationum per præfatum Francifcum & pro tempore exiftentem Francorum regem faciendarum hujufmodi vigore acceptare, feu requirere minime teneantur, indulgemus, decernentes, Eugenii prædecefforis hujufmodi ac præfentes litteras fub quibufvis revocationibus, aut fufpenfionibus quarumcunque fimilium vel diffimilium gratiarum minime comprehenfas, fed femper ab illis exceptas exiftere; & quoties illas revocare contigerit, toties in priftinum ftatum reftitutas fore & effe; (**) ficque per quofcunque judices & caufarum palatii hujufmodi auditores, feu quofcunque alios judicandum fore, fublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, fi fecus fuper his a quoquam, quavis auctoritate, fcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis, fancti Maglorii Parifienfis, & fancti Victoris prope & extra muros Parifienfes monafteriorum abbatibus, ac cancellario ecclefiæ Parifienfis per apoftolica fcripta mandamus, quatenus ipfi, vel duo aut unus eorum, per fe, vel alium feu alios, præfentes litteras & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte præfati Francifci, & pro tempore exiftentis Francorum regis, ac cancellarii, præfidentium, & confiliariorum, & pro tempore exiftentium prædictorum, defuper fuerint requifiti, folemniter publicantes, eifque in præmiffis efficacis defenfionis præfidio affiftentes, faciant, auctoritate noftra præfentes & in eis contenta quælibet firmiter obfervari, ac fingulos quos ipfæ præfentes litteræ concernunt, illis pacifice gaudere; non permittentes eos defuper per quofcunque, contra earumdem præfentium tenorem,

(*) *Francifcus I. fuo, fuorumque officiariorum Indultariorum nomine loquitur.*

(**) Nota. *Magnum Confilium eft unus & unicus Indulti judex.*

rem, quomodolibet molestari; (*) contradictores quoslibet & rebelles per censuras & pœnas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis quæ præfatus Eugenius prædecessor in dictis suis litteris voluit non obstare, aut si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, indulti, decreti & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum extra muros Nicienses, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo octavo, tertio-decimo calendas Julii, pontificatus nostri anno quarto. (**) Sic signatum super plicam: Et N. *Peliaci*. Et in dorso est scriptum: *Registrata in Secretaria apostolica, rotulo 2.*

Collatio facta est cum Originali.

(*) *Clausulæ*: ad terrorem.
(**) *Die 19. Junii, Niciensis Collationis tempore.*

Finis Pragmaticarum & Concordatorum.

STA-

STATUTA
SYNODI PROVINCIALIS ARELATENSIS,
De Disciplina ecclesiastica. An. 1205.

CUM status humanæ conditionis ex sui dispositione tam fragilis tamque variabilis censeatur, ut, quod hodie fit inter homines, die crastino a memoria hominis recedere comprobetur; non immerito antiquis & modernis temporibus est statutum, ut, quidquid ex auctoritate agendum fuerit, ne in posterum valeat obnumbrare, litteris autenticis muniatur. *Ea propter*, in nomine Domini Nostri Jesu Christi, anno Incarnationis ejusdem MCCV. mense Decembris, ego frater Petrus de Castronovo, apostolicæ sedis legatus, cum propter quasdam dissensiones & scandala quæ in Arelatensi ecclesia, diabolo seminante, contigerant, resecanda, apud eamdem urbem cum suffraganeis episcopis ejusdem ecclesiæ accessissemus, ad petitionem venerabilis patris nostris M. (*Est hic Michael de Moresi, archiepiscopus Arelatensis*,) tunc temporis Arelatensis archiepiscopi, & totius ejusdem ecclesiæ capituli, cum consilio & tractatu eorumdem venerabilium patrum nostrorum episcoporum, videlicet, R. Massiliensis, B. Cavallicensis, V. Arausicensis, G. Carpentoratensis, R. Vasionensis, & abbatum, videlicet, Montis majoris, & Sancti Andreæ, & Sinanque, & Sanctæ Mariæ de Ulmetre, & præpositorum Avenionensis, & Massiliensis, & Piniauensis, & Arausicensis, & Vasionensis, & archidiaconi Tricastrini qui vicem episcopi sui gerebat, & aliorum religiosorum & sapientum virorum, auctoritate apostolica nobis commissa, talem in Arelatensi ecclesia constitutionem promulgandam ac perpetuo servandam decrevi, ut quorumdam stultorum hominum, metu ejusdem constitutionis, coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, formidata pœna, nocendi refrenetur facultas.

Imprimis siquidem, communi, circa hæc, habita deliberatione, constituimus, quatenus a tempore quo canonici Arelatenses in choro levati fuerint, & plenam omnimodamque canonici auctoritatem adepti fuerint, si, diabolo suadente, sese invicem percusserint, &, religionis suæ obliti, turpibus manuum injectionibus se maculare præsumpserint, ab administrationis officio & honore, si quod tunc temporis habuerint in majori ecclesia vel in membris, sine spe restitutionis, removeantur, & ab habendo in perpetuum prohibeantur; ita quod, in odium criminis perpetrati & ultionem fraternæ læsionis, priventur omni spe in eadem ecclesia administrationis ecclesiasticæ, & culmine prælationis; & magistro altaris beati Trophimi apostoli & beati Stephani in aliquo officiorum gradu de cætero nullatenus ministrabunt qui tam irreverenter & enormiter manus suas fraternis læsionibus polluerunt, quia scriptum est: *Longe est Dominus ab impiis, & dona iniquorum non probat Altissimus*; *& Gregorius dicit, quia: Cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur*. Hac siquidem pœna tenebitur tam invasor quam invasus, si suum invasorem, se ipsum vindicando, repercutiendum putaverit, qui præsidio fugæ sibi potius consulere debuit, aut, pro religionis suæ perfectione, cum patientia, si fieri posset, injuriam etiam proprii corporis æquanimiter sustinere; sicut scriptum est de magistro totius perfectionis & religionis Domino Jesu Christo qui cum malediceretur non maledicebat, cum percuteretur non repercutiebat, cum pateretur non comminabatur; immo potius pro suis persecutoribus apud Patrem suum altissimum intercedebat. De eo vero, qui primo fratrem suum, ausu temerario, per manuum injectionem invaserit, quia graviori culpa feriendus est qui incepit, id duximus statuendum, ut superiori pœnæ, ad majorem confusionem, istud addatur, ut de choro superiori deponatur, & in inferiori cum pueris ultimum locum teneat, & eorumdem parte & auctoritate, tam in victualibus quam in sedibus, cæterisque omnibus contentus fiat.

Sane hoc solummodo excipimus, ut cum litteris archiepiscopi & capituli, restitutionis beneficium possit a domino Papa misericorditer impetrari. Quod si forte, quod Deus avertat, aliquis illorum, sive qui primo fratrem suum percusserit, sive qui denuo repercutiendo eumdem instinctu diabolico, sanguinis effusionem fecerit, quia facti atrocitas graviorem exigit pœnam, illum ab ecclesia Arelatensi, & ab omni participatione ipsius perpetuo, sine spe restitutionis, decernimus removendum, in aliud districtius monasterium vel canonicam regularem perpetuo detrudendum; ut ibidem, si Deus voluerit, sibi & aliis, bene vivendo, emendatus possit proficere, & hic suo malo exemplo de cætero alios non corrumpat.

Si vero aliquis canonicorum Arelatensium, vel clericorum ejusdem ecclesiæ intitulatorum, in tantam vesaniam, vel furorem lapsus fuerit, ut, pro violenta manuum injectione quam passus est ab altero, aut forte pro illicita verborum dehonestatione, seu pro alia qualibet causa, quia se aliter vindicare non potest, amicos suos laicos ad vindictam faciendam provocaverit, aut mortem, aut captionem, seu etiam verberationem fratri suo canonico, vel clerico intitulato duxerit procurandam, si confessus fuerit, aut convinci poterit, simili sententiæ subjacebit, ut ab Arelatensi canonica, sine spe restitutionis, perpetuo removeatur.

Eos etiam qui secreta capituli, postquam eis dictum fuerit secretum, si istud foris aliis qui non sunt de capitulo, revelaverint, si confessi vel convicti fuerint, præter excommunicationis pœnam quam ex proditione incurrunt, simili sententiæ decernimus subjacere, qua feriuntur illi qui manus violentas sine sanguinis effusione in fratres suos injicere præsumpserunt.

Ut autem hæc omnia superius comprehensa perpetuis temporibus inviolabiliter observentur, illa, auctoritate apostolica nobis commissa, confirmamus, & ea valere præcipimus auctoritate domini Papæ, excommunicantes & anathematizantes omnem hominem qui contra hanc nostræ constitutionis paginam ausu temerario venire tentaverit; & insuper, ad perpetuam memoriam retinendam, sigilli nostri munimine & aliorum fratrum co-episcoporum, eam fecimus pariter roborari. Præterea ad majorem & abundantiorem cautelam, ego M. Dei gratia, Arelatensis archiepiscopus, præsentem constitutionem juramento firmavi; & ego G. præpositus eamdem constitutionem juramento firmavi; & ego S. decanus juravi; & ego B. sacrista juravi; & ego W. Bertrandi archipresbyter juravi; & ego Joannes præcentor juravi; & ego magister B. canonicus juravi; & ego Privatus canonicus juravi; & ego Durantus vestiarius juravi; & ego Rainaldus canonicus juravi; & ego Raimundus de Ameglano canonicus juravi; & ego S. canonicus juravi; & ego Bremundus canonicus juravi; & ego Petrus infirmarius canonicus juravi; & ego W. Michael canonicus juravi; & ego Raimundus Fulio canonicus juravi; & ego Poncius de Tarascone canonicus juravi; & ego Rostagnus Bonet canonicus juravi; & ego Bremundus de Vellans canonicus juravi; & ego Raimundus Ferreoli canonicus juravi; & ego Durantus canonicus juravi; & ego Petrus de Sancto Jacobo canonicus juravi; & ego Ugo Petri canonicus juravi; & ego Guiscardus canonicus juravi; & ego Guillelmus de Valleflorida canonicus juravi.

Descriptum ex autographa coæva epitome, inserta codici, cui titulus, Hostiæ & Statuta, *fol.* 627. *& seq. qui manuscriptus codex in Capituli Ecclesiæ Arelatensis Archiviis servatur. Ego deinde comprobavi & correxi Acta hæc super exemplari quod extat in dicti Capituli Archiviis, in* Tabulario Melignanensi, *titulo* 127. *munitum sigillis duobus, uno e plumbo, Michaelis Moresii, altero e cera, Petri de Castronovo*.

BONNEMANT, Presbyter.

Collatum cum Exemplari de quo supra Dominus Bonnemant, Presbyter, a nobis subscriptis Archivistis dicti Capituli.

PAZERY, *Primicerius, Archivista*; CASTELET, *Canonicus, Archivista*.

FINIS TOMI SECUNDI.

T A-

TABULA ALPHABETICA
ET
CHRONOLOGICA CONCILIORUM.

(*Arithmeticæ notæ, Romanæ quidem Tomum, Arabicæ vero Paginam indicant.*)

A

	Tom.	Pag.
Abrincatense, seu *Abrinense*, an. 1172.	II.	26
Achajense, an. 250.	I.	42
Africanum, an. 262.	I.	43
Agatense in Occitania, an. 506.	I.	110
Agaunense, an. 515.	I.	113
Albiense, an. 1253.	II.	51
Alexandrinum 223.	I.	42
an. 258.	I.	43
an. 263.	I.	43
an. 301. vel 306.	I.	44
an. 315.	I.	55
an. 339. seu 340.	I.	60
an. 349. aut 350.	I.	66
an. 362.	I.	67
an. 363.	I.	93
an. 399.	I.	84
an. 430.	I.	93
Altissiedorense, an. 670.	I.	151
Ancyranum, an. 358.	I.	66
Andegavense, an. 453.	I.	106
Anglicanum, an. 969.	II.	3
Aniciense, an. 1130.	II.	22
Ansanum, an. 1015. seu *Ansense*	II.	7
Antiochenum, an. 253.	I.	43
an. 264. seu 266.	I.	ibid.
an. 268.		ibid.
an. 331.	I.	59
an. 339.	I.	60
an. 341.	I.	ibid.
an. 345.	I.	ibid.
an. 360. seu 361.	I.	67
an. 363.	I.	ibid.
Antiochenum in Caria, an. 367.	I.	71
an. 379.	I.	72
an. 388.	I.	73
an. 390.	I.	ibid.
Antissiodunense. Vide *Altissiedorense*.		
Apamiense, an. 1212.	II.	33
Approbatio Concordatorum,	II.	187
Aquilejense, an. 381.	I.	74
an. 1596.	II.	168
Aqui-sextiense, an. 1585.	II.	ibid.
Aquisgranense, an. 799.	I.	172
an. 802.	I.	173
an. 816.	I.	179
an. 836.	I.	186
an. 862.	I.	195
Arabicum, an. 249.	I.	42
Arausicanum, an. 441.	I.	95
an. 529.	I.	118
Arelatense, an. 314.	I.	49
an. 443.	I.	98
an. 455. seu 461.	I.	106
an. 475.	I.	128
an. 524.	I.	118
an. 554.	I.	127
an. 813.	I.	177
an. 1260.	II.	53
an. 1275.	II.	62
Ariminense, an. 359.	I.	66
Arulense, an. 1047.	II.	8
Asturicense, an. 445. seu 446.	I.	99
Atrebatense, an. 1025.	II.	6
Attiniacense, an. 870.	I.	200
Audomari, vel *Audomari* (*Apud Pontem*), an. 1257.	II.	52
an. 1279.	II.	64
Audemarense, an. 1099.	II.	18
Avenionense, an. 1209.	II.	31
an. 1270.	II.	58
an. 1279.	II.	63
an. 1282.	II.	68
an. 1326.	II.	80
Avenionense, an. 1594.	II.	168
Augusta Auscitorum. Vide *Auscense*.		
Augustanum, an. 952.	II.	3
Augustodunense, an. 670.	I.	151
Aurelianense, an. 511.	I.	112
an. 533.	I.	120
an. 538.	I.	122
an. 541.	I.	123
an. 549.	I.	124
an. 1022.	II.	6
Auscense, an. 1068.	II.	12
an. 1300.	II.	71
an. 1308.	II.	72

B

	Tom.	Pag.
Barcinonense, an. 540.	I.	123
an. 599.	I.	137
Basileense, an. 1431.	II.	99
Bellovacense, an. 845.	I.	188
Beneventanum, an. 1091.	II.	16
Bergamstedense, an. 696.	I.	166
Biterrense, an. 356.	I.	66
an. 1233.	II.	43
an. 1246.	II.	50
an. 1255.	II.	51
an. 1351.	II.	85
Bituricense, an. 472.	I.	108
an. 1031.	II.	7
an. 1276.	II.	62
an. 1286.	II.	69
an. 1336.	II.	83
an. 1528.	II.	113
an. 1584.	II.	167
Bestrense, an. 242. seu 243.	I.	42
Bracarense, an. 411.	I.	89
Budense, an. 1279.	II.	64
Burdigalense, an. 384. seu 385.	I.	74
an. 1079. seu 1080.	II.	15
an. 1255.	II.	51
an. 1262.	II.	55
an. 1583.	II.	166
an. 1624.	II.	168

C

	Tom.	Pag.
Cabillonense, an. 470.	I.	108
an. 650.	I.	146
an. 813.	I.	177
an. 873.	I.	201
Cæsaraugustanum, an. 380.	I.	73
an. 592.	I.	137
an. 691.	I.	156
Cæsariense, an. 333. seu 334.	I.	59
Calichytense, an. 783.	I.	166
Cameracense, an. 1565.	II.	145
Campinacense, seu apud *Campinacum*, an. 1238.	II.	46
an. 1258. seu 1260.	II.	52
an. 1260.	II.	53
an. 1262.	II.	55
Canones Apostolici.	I.	35
Capuanum, an. 391.	I.	76
Carisiacense, an. 853.	I.	192
Carpelloractense, seu *Capentoractense*, an. 527.	I.	118
Carrofense, an. 989.	II.	3
Carthaginense, an. 215.	I.	42
an. 217.	I.	ibid.
an. 251.	I.	ibid.
an. 252.	I.	43
an. 253.	I.	43
an. 254.	I.	ibid.
an. 255.	I.	ibid.
an. 311.	I.	49
an. 311.	I.	ibid.
an. 312.	I.	ibid.
an. 348. seu 349.	I.	65
an. 390.	I.	75
an. 393.	I.	77
an. 397.	I.	78
an. 398.	I.	80
an. 400.	I.	85
an. 401.	I.	87
an. 407.	I.	88
an. 411.	I.	89
an. 416.	I.	ibid.
an. 417.	I.	90
an. 418.	I.	91
an. 419.	I.	ibid.
an. 426.	I.	92
an. 525.	I.	118
an. 534. seu 535.	I.	121
Cassiliense, in *Islandia*, an. 1172.	II.	26
Castrum Gontherii (*Apud*), an. 1231.	II.	43
an. 1268.	II.	57
an. 1336.	II.	83
Celichytense, in *Anglia*, an. 816.	I.	181
Chalcedonense, an. 451.	I.	101
Charucense, an. 682.	I.	139
Cirthense, in *Numidia*, an. 305.	I.	44
Claromontanum, in *Alvernia*, an. 535.	I.	121
an. 1095.	II.	29
an. 1130.	II.	22
Cloveshoviense, an. 747.	I.	162
Coloniense, an. 873.	I.	201
an. 887.	I.	205
an. 1118. seu 1119.	II.	20
an. 1260.	II.	53
an. 1266.	II.	56
an. 1280.	II.	66
an. 1310.	II.	72
an. 1423.	II.	92
an. 1536.	II.	116
an. 1649.	II.	121
Compendiense, an. 757.	I.	165
an. 1085.	II.	16
an. 1270.	II.	58
an. 1304.	II.	72
an. 1329.	II.	82
Complutense, an. 1326.	II.	81
Compostellanum, an. 1056.	II.	11
Concordatum, an. 1516.	II.	186
Confluentinum, an. 860.	I.	194
an. 922.	II.	2
Constantiense, an. 1094.	II.	17
an. 1414.	II.	93
Constantinopolitanum, an. 336.	I.	60
an. 359. seu 360.	I.	67
an. 362.	I.	ibid.
an. 381.	I.	73
an. 382.	I.	74
an. 383.	I.	ibid.
an. 394.	I.	78
an. 400.	I.	85
an. 426.	I.	93
an. 428. seu 429.	I.	93
an. 431.	I.	ibid.
an. 448. seu 449.	I.	100
an. 450.	I.	101
an. 459.	I.	107
an. 492.	I.	109
an. 518.	I.	116
an. 553.	I.	126
an. 587.	I.	131
an. 680.	I.	153
Constantinopolitanum, nuncupatum *Quini-sextum*, an. 692.	I.	156

Tom. Pag.

Constantinopolitanum, an. 869. I. 198
an. 879. I. 204
an. 1140. II. 24
an. 1155. II. 25
an. 1166. II. 26
an. 1638. II. 170
Constitutiones Apostolicæ. I. 38
Coulaniense. Vide *Villa-Colonia (In).*
Coyacense, an. 1050. II. 9
Cyprium, an. 399. I. 84

D

Dalmaticum, an. 1199. II. 30
Dertosanum, an. 1429. II. 98
Diospolitanum, an. 415. I. 89
Duziacense, an. 871. I. 200

E

Eboracense, an. 1195. II. 29
an. 1367. II. 86
Eingshamense, an. 1009. II. 5
Eliberitanum, an. 303. I. 44
Emeritense, seu Emeritanum, an. 666. I. 149
Enilheimense, an. 826. I. 183
an. 948. II. 3
Epaonense, an. 517. I. 115
Erfordiense, *in Germania*, an. 932. II. 2

F

Ferrariense, an. 1438. II. 106
Fismense, an. 881. I. 205
Florentinum, an. 1106. II. 20
Forojuliense, an. 791. vel 796. I. 170
Francofordiense, seu
Francofurtense, an. 794. I. *ibid.*

G

Gangrense, an. 364. I. 70
Germanicum, an. 742. I. 160
Gerundense, in Hispania, an. 517. I. 115
Grateleanum, an. 928. II. 2
Guastallense, an. 1106. II. 20

H

Herbipolense, an. 1287. II. 69
Herfordiense, an. 673. I. 151
Hierapolitense, seu
Hierapolitanum, an. 173. I. 41
Hipponense, an. 397. I. 77
Hispalense, an. 590. I. 136
an. 619. I. 139

I

Ilerdense, an. 524. I. 116
Illyricianum, seu *Illyricum*, an. 375. I. 72
Insulanum, seu *apud Insulam in Provincia*, an. 1288. II. 70
Juliobonense, *in Normannia*, an. 1080. II. 15
Jucense, an. 524. I. 118

L

Lambesitanum, an. 240. seu 242. I. 42
Lambethense, an. 1261. II. 55
an. 1281. II. 67
an. 1330. II. 82
Landaffense, in Anglia, an. 887. I. 205
Langesiense, an. 1278. II. 63
Laodicense, in Phrygia, an. 364. I. 67
Lateranense, an. 649. I. 145
an. 1116. II. 20
an. 1123. II. *ibid.*
an. 1139. II. 24
an. 1179. II. 27
an. 1215. II. 34
an. 1512. II. 111
Lavallense, seu *apud Vallam Guidonis*, an. 1242. II. 48
Lausanense, an. 1449. II. 109
Legionense, *in Hispania*, an. 1012. II. 5
Lemovicense, an. 1028. II. 7
Lexoviense, an. 1055. II. 10
Lingonense, an. 859. I. 194
Londinense, an. 1075. II. 14
an. 1102. II. 19
an. 1125. II. 21
an. 1127. II. 21
an. 1138. II. 23
an. 1175. II. 27
an. 1200. II. 30
an. 1237. II. 45
an. 1268. II. 56
an. 1342. II. 83
an. 1382. II. 88
an. 1396. II. 88
an. 1413. II. 93
Lugdunense, an. 197. I. 41
an. 198. I. *ibid.*
an. 517. I. 114
an. 556. seu 557. I. 128
an. 583. I. 132
an. 1245. II. 48
an. 1274. II. 58
an. 1449. II. 109
Lumbariense, an. 1176. II. 27

M

Macram (apud sanctam.) Vide *Fismense.*
Mantelense, *in Delphinatu*, an. 879. I. 204
Marsiacense, an. 1326. II. 80
Matisconense, an. 581. seu 582. I. 131
Mechliniense, an. 1570. II. 163
an. 1607. II. 168
Mediolanense, an. 347. I. 65
an. 349. I. 66
an. 355. I. *ibid.*
an. 390. I. 76
an. 451. II. 101
an. 1565. II. 148
an. 1569. II. 156
an. 1573. II. *ibid.*
an. 1576. II. 157
an. 1579. II. 162
an. 1582. II. *ibid.*
Meldense, an. 845. I. 188
Meledunense, an. 1216. II. 38
an. 1300. II. 71
Melphitanum, an. 1089. II. 16
Metense, an. 756. I. 165
an. 888. I. 206
Mexicanum, an. 1585. II. 167
Milevitanum, an. 402. I. 87
an. 416. I. 90
Montpessulanense, an. 1215. II. 33
an. 1258. II. 53

N

Nannetense, an. 658. I. 148
an. 1127. II. 21
an. 1264. II. 55
an. 1431. II. 99
Narbonense, an. 257. seu 260. I. 43
an. 589. I. 136
an. 1054. II. 9
an. 1227. II. 41
an. 1235. II. 43
an. 1374. II. 99
an. 1430. II. 87
an. 1551. II. 143
an. 1609. II. 168
Nemausense, an. 1096. II. 17
Neocæsariense, an. 314. I. 54
Nicænum, an. 325. I. 55
an. 787. I. 166
Nogarioliense, an. 1303. II. 72
Noviomense, seu
Noviodunense, an. 1344. II. 84
Nugariolense, an. 1290. II. 70
an. 1315. II. 76

O

Osboriense, *in Saxonia*, an. 1062. II. 12
Ostrhoense, an. 197. I. 41
Oxoniense, an. 1160. II. 25
an. 1222. II. 38
an. 1408. II. 89

P

Palentinum, 1388. II. 88
Palentinum, *in Hispania*, an. 1129. II. 22
Pampelonense, an. 1032. II. 8
Papiense. Vide *Ticinense.*
Parisiense, an. 360. seu 361. I. 67
an. 551. seu 553. I. 127
an. 557. I. *ibid.*
an. 573. I. 131
an. 615. I. 138
an. 825. I. 182
an. 829. I. 184
an. 1104. II. 19
an. 1147. II. 24
an. 1209. II. 31
an. 1212. II. *ibid.*
an. 1314. II. 75
an. 1346. II. 85
an. 1408. II. 89
an. 1429. II. 98
Patricii (Sancti) concilium, an. 451. aut 456. I. 105
Pergamense, an. 152. I. 41
Pictaviense, an. 1000. II. 4
an. 1078. II. 5
an. 1100. II. 19
Pisanum, an. 1134. II. 23
Pistense, an. 862. I. 195
Placentinum, in Italia, an. 1095. II. 17
Placentinum, *in Hispania*, an. 1129. II. 22
Podiense. Vide *Aniciense.*
Pontem Audemari, vel Audemari (Apud). Vide *Audemari* &c.
Pontigonense, an. 876. I. 201
Posoniense, an. 1309. II. 72
Pragmatica Sanctio Caroli VII. II. 173
Regis S. Ludovici, an. 1309. II. 57

Q

Quintilineburgense, an. 1085. II. 16
Quintinum (Apud sanctum), an. 1271. II. 58

R

Raffiacense, an. 1258. II. 52
an. 1327. II. 81
Ravennatense, an. 419. I. 90
an. 877. I. 202
an. 902. II. 1
an. 998. II. 4
an. 1014. II. 6
an. 1286. II. 68
an. 1311. II. 74
an. 1314. II. 75
an. 1317. II. 76
Redingense, in Anglia, an. 1279. II. 64
Redonense, an. 1273. II. 58
Regiense, in Provincia, an. 439. I. 95
Remense, seu *Rhemense*, an. 625. I. 140
an. 813. I. 174
an. 874. I. 201
an. 923. seu 924. II. 2
an. 975. II. 4
an. 989. II. *ibid.*
an. 1049. II. 8
an. 1119. II. 20
an. 1131. II. 23
an. 1148. II. 24
an. 1408. II. 90
an. 1564. II. 144
an. 1583. II. 165
Riminense. Vide *Ariminense.*
Rodomense. Vide *Rothomagense.*
Romanum, an. 146. I. 41
an. 170. I. *ibid.*
an. 237. I. 42
an. 250. I. *ibid.*
an. 251. I. *ibid.*
an. 252. I. 43
an. 256. I. *ibid.*
an. 260. seu 263. I. *ibid.*
an. 268. I. *ibid.*
an. 313. I. 49
an. 315. I. 54
an. 337. I. 60

	Tom.	Pag.
Romanum, an. 341. seu 342.	I.	*ibid.*
an. 342.	I.	62
an. 352.	I.	66
an. 366.	I.	71
an. 368.	I.	*ibid.*
an. 369.	I.	*ibid.*
an. 377. seu 378.	I.	72
an. 379.	I.	*ibid.*
an. 382.	I.	74
an. 386.	I.	75
an. 390.	I.	76
an. 402.	I.	87
an. 443. seu 444.	I.	99
an. 449.	I.	101
an. 465.	I.	108
an. 487.	I.	*ibid.*
an. 494. 495. 499. 501.	I.	109
an. 519.	I.	116
an. 530. & 531.	I.	120
an. 595.	I.	137
an. 601.	I.	138
an. 680.	I.	153
an. 721.	I.	160
an. 744.	I.	161
an. 745.	I.	162
an. 826.	I.	183
an. 853.	I.	193
an. 862.	I.	195
an. 863.	I.	196
an. 864.	I.	196
an. 865.	I.	*ibid.*
an. 868.	I.	*ibid.*
an. 900.	I.	208
an. 964.	II.	3
an. 993.	II.	4
an. 998.	II.	*ibid.*
an. 1047.	II.	8
an. 1059.	II.	11
an. 1063. & 1065.	II.	12
an. 1074.	II.	13
an. 1412. & 1413.	II.	93
Rothomagense, an. 878.	I.	203
an. 1045. seu 1050.	II.	9
an. 1072.	II.	12
an. 1074.	II.	14
an. 1096.	II.	18
an. 1128.	II.	21
an. 1189.	II.	29
an. 1299.	II.	71
an. 1313.	II.	75
an. 1335.	II.	83
an. 1445.	II.	108
an. 1581.	II.	165
S		
Salegunstadiense, an. 1022.	II.	6
Salmanticense, an. 1335.	II.	82
Salmuriense, an. 1253.	II.	50
an. 1276.	II.	62
an. 1294.	II.	71
an. 1315.	II.	76
Saltzburgense, seu *Salisburgense*, an. 1274.	II.	61
an. 1281.	II.	67
an. 1386.	II.	88
an. 1420.	II.	97
Santonense, an. 563.	I.	128
Sapenariis (*Apud*). Vide *Tullense*.		
Sardicense, *in Illyrico*, an. 347.	I.	63
Scoticum, an. 1225.	II.	40
Seleuciense, an. 359.	I.	67
Senonense, an. 1239.	II.	49
an. 1269.	II.	58
an. 1320.	II.	77
an. 1460.	II.	109
an. 1485.	II.	110
an. 1528.	II.	114
an. 1612.	II.	168
Siculum, an. 125.	I.	41
Sidense, an. 390. seu 391.	I.	75
Silvanectense, an. 1315.	II.	76
an. 1326.	II.	79
Sinvessanum, *in Campania*, an. 303.	I.	44
Sirmiense, an. 350. seu 351.	I.	66
an. 357.	I.	*ibid.*
an. 359.	I.	*ibid.*
Stampense, an. 1130.	II.	23
Suessionense, an. 744.	I.	161
an. 851. & 853.	I.	192
an. 866.	I.	196
an. 1092.	II.	16
an. 1455.	II.	109
T		
Tarraconense, *in Hispania*, an. 516.	I.	113
Tarsense, an. 431. seu 432.	I.	94
Taurinense, an. 400.	I.	85
Telepense, an. 418.	I.	91
Textus Concordatorum,	II.	187
Theodonis Villam (*Apud*), an. 835.	I.	187
Toletanum, an. 400.	I.	85
an. 447.	I.	99
an. 531.	I.	120
an. 589.	I.	134
an. 597.	I.	137
an. 633.	I.	141
an. 636.	I.	144
an. 638.	I.	*ibid.*
an. 646.	I.	145
an. 653.	I.	147
an. 655.	I.	*ibid.*
an. 656.	I.	148
an. 675.	I.	151
an. 681.	I.	154
an. 683.	I.	155
an. 684.	I.	156
an. 688.	I.	*ibid.*
an. 693.	I.	159
an. 694.	I.	*ibid.*
an. 701. seu 704.	I.	160
an. 1323.	II.	78
an. 1324.	II.	79
an. 1339.	II.	83
an. 1347.	II.	85
an. 1473.	II.	110
an. 1565.	II.	162
Telesanum, an. 1056.	II.	11
an. 1119.	II.	20
an. 1129.	II.	22
an. 1161.	II.	25
an. 1219.	II.	38
an. 1590.	II.	167
Trecense, seu *Tricassinum*, an. 878.	I.	202
an. 1128.	II.	21
Trevirense, an. 385. seu 386.	I.	75
an. 1238.	II.	47
an. 1549.	II.	123
Triburiense, seu *Triburtinum*, an. 895.	I.	206
Tridentinum, an. 1545.	II.	123
Trosleianum, an. 909.	II.	1
Tullense, an. 859.	I.	194
Turonense, an. 461.	I.	107
an. 566. seu 567.	I.	129
an. 813.	I.	176
an. 1060.	II.	11
an. 1163.	II.	25
an. 1236.	II.	45
an. 1239.	II.	48
an. 1282.	II.	68
an. 1583.	II.	166
Tussiacense, an. 860.	I.	195
Tyriense, an. 335.	I.	59
V		
Valdoletanum, seu *Vallisoletanum*, seu *apud Vallum Oleti*, seu *Vallis-Oletanum*, an. 1322.	II.	77
Valentinum, *in Delphinatu*, an. 374.	I.	71
an. 855.	I.	193
an. 1248.	II.	50
an. 1248.	II.	50
Valentinum in Hispania, an. 524.	I.	117
Varense. Vide *Lavallense*.		
Vasense, seu *Vasionense*, an. 442.	I.	97
Venetense, *in Britannia*, an. 465.	I.	107
Vermeriense, an. 753.	I.	163
an. 853.	I.	193
an. 869.	I.	200
Vernoriense, an. 755.	I.	164
an. 844.	I.	187
Viennense, *in Delphinatu*, an. 892.	I.	206
an. 1060.	II.	11
an. 1311.	II.	73
Viennense, *in Austria*, seu *Vindebonense*, an. 1267.	II.	56
Villa-Colonia (*In*), an. 843.	I.	187
Vintoniense, *in Anglia*, an. 1076.	II.	14
W		
VVormatiense, seu *Augusta Vangionum*, an. 868.	I.	196

Finis Tabulæ Conciliorum.

TOMUS PRIMUS.

Pag.	col.	lin.	ERRATA.	CORRIGE.
62	2	29	*an.* 245.	*an.* 345.
66	1	3	seu 250.	*an.* 350.
120	1	79	*Concilium*	*II. Concilium.*
121	2	2	*an.* 555.	*an.* 535.
131	2	28	*an.* 58.	*an.* 582.
195	1	19	*Concilium Tulliacense*	*Concilium Tussiacense.*

TOMUS SECUNDUS.

Pag.	col.	lin.	ERRATA.	CORRIGE.
7	1	14	*an.* 1025.	*an.* 1015.
50	2	26	*an.* 1255.	*an.* 1248.
62	1	20	*an.* 1276.	*an.* 1275.

VA1 1527849